
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01179832 9

TYCHONIS BRAHE DANI
OPERA OMNIA

TYCHONIS BRAHE DANI
OPERA OMNIA

AUSPICIIS SOCIETATIS LINGUÆ ET LITTERARUM DANICARUM
(DET DANSKE SPROG- OG LITTERATUR-SELSKAB)

TYCHONIS BRAHE DANI
OPERA OMNIA

EDIDIT

I. L. E. DREYER

TOMUS VIII



HAUNIÆ MCMXXV
IN LIBRARIA GYLDENDALIANA
TYPIS NIELSEN & LYDICHE (AXEL SIMMELKIÆR)


LIBRARY
MAY 7 1970
UNIVERSITY OF TORONTO

TYCHONIS BRAHE DANI EPISTOLÆ ASTRONOMICÆ

EDIDERUNT

I. L. E. DREYER ET IOANNES RÆDER

SUMPTUS FECIT INSTITUTUM RASK-ŒRSTEDIANUM

TOMUS III

HAUNIÆ MCMXXV
IN LIBRARIA GYLDENDALIANA
TYPIS NIELSEN & LYDICHE (AXEL SIMMELKIÆR)

EPISTOLÆ ASTRONOMICÆ

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

DAVID CHYTRÆUS AD TYCHONEM BRAHE.

1ʳ NOBILIS, generoſe et magnifice Domine. Gratulor non tam Magnificentiæ veſtræ, quam Academiæ et urbi Roſarum, de incolumi in hanc urbem adventu veſtro, quam vere Generoſæ Nobilitatis veſtræ ſapientia, virtus, doctrina et in Rempublicam literariam merita et Nominis veſtri claritas, ſplendor ac gloria, excellenti virtute ac bene meritis parta, deinceps illuſtriorem et clariorem efficiet. Quod † igitur CICERO alicubi in Orationibus exclamat: *O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit! patriam ingratam, ſi eiecerit, miſeram, ſi amiſerit!* idem ego ijſdem verbis nunc uſurpo, et Deum æternum, ſuæ ſapientiæ et virtutis radios, ingenij et virtutis Heroicæ dona 1ᵛ in men-||tes præſtantium virorum effundentem, precor, ut M. V. incolumem et florentem perpetuo ſervet, et migrationem in hanc urbem clementer gubernet, ut paulo poſt eos, qui talem virum dimiſerunt, erroris ſui pœniteat, et quem retinere omnibus viribus non ſtuduerunt, retrahere tandem ad ſe omni contentione enitantur. His coram M. V. ad nos advenienti gratulaturus eram, ſi accurrere ad M. V. per Arthritidem, quæ me totum poßedit, licuißet. Nunc, quæ proficiſci a mea tenuitate poßunt officiola, reverenter defero, et pro eruditißimis ad me literis et volumine epiſtolarum, mecum ſuperioribus menſibus communicato, reverenter gratias ago. Bene et feliciter M. V. in æternum † valeat. Poſtridie Viti, Anno 1597.

M. V. reverenter colens
DAVID CHYTRÆUS.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

2ʳ NOBILITATE INGENIJ ET GENERIS INPRIMIS CONSPICUO ET EXCELLENTI, DOMINO OLIGERO ROSENKRANTZIO, CONSANGVINEO SUO DILECTO ET AMICO INTIMO.

1ʳ S.

LITERAS tuas, Nobilißime OLIGERE, Amice et cognate ſemper in intimis habende, primo die huius menſis Iulij Haffniæ exaratas decimo eiuſdem hîc Roſtochij recepi, eruditas eas et amoris erga me eximij plenißimas. Ex quibus liquido patet, illud Ovidianum tibi non compe- † tere: *Quam procul ex oculis, tam procul ibit amor;*

 cum

cum tu primus ſis, qui ex tot in Dania genere claris et ſangvine mihi iunctis me abſentem literis inviſere (cum aliter fieri nequeat) non neglexerit. Et ſane haud opus erat tam exquiſita animi tui erga me declaratione, cum integritas tua et erga me benevolus affectus alias mihi ſatis ſuperque perſpecta ſint. Habebis me vicißim, quoad vixero, tibi devinctißimum. Admodum gaviſus ſum, te incolumem ex itinere || navali 1v Œlandico reverſum fuiße, idque ijs ipſis diebus cum Haffnia diſcederem, licet nihil mihi de tuo adventu, antequam Coagij eßem, conſtiterit; alias tecum loqui non intermiſißem, ſi modo ante meum abitum (quod etiamnum ignoro) appuleras.

Dedi autem Pictori in mandatis, ut Effigiem meam, quam expetieras, tibi reduci traderet. Quod etiam eum feciße non dubito. Agoque tibi gratias, quod eam in meam recordationem conſervare velis. De rebus meis, quo in ſtatu fuerint, poſtquam vos reliqui, et quid interea ventilatum ſit, certior ex te fieri averem. Id enim vel prætermiſiße vel parcius attigiße videris. Ego adhuc Roſtochij certis de caußis (licet præter propoſitum) ſubſiſto. Expectabo autem hîc adventum Legatorum noſtrorum, ut cum fratre STENONE colloquar. Utinam vero te in eorum comitatu eße contingeret! || Præſtolabor etiam reſponſum e Dania ad 2r literas quaſdam, de quibus te CRAGIUS noſter monebit. Suaſerunt enim Politici nonnulli homines, ut nihil alibi moverem, antequam de voluntate Regia omnino mihi conſtaret. Quod ſi hæc ab ijs, quæ tracto, ſtudijs, prorſus etiamnum averſa permaneret, idque ſatis edoceri poßet, eo citius et tutius alibi commoditatem exoptatam me inventurum. Quod et mihi ipſi conſultius viſum eſt. Plura ex CRAGIO cognoſces. Vale, meque in amore tui conſtantem perpetuo manſurum, omnino tibi perſuade: quemadmodum et ego de tua erga me ſincera voluntate nihil addubito. Reſalutant te omnes mei quam officioſißime. Datæ Roſtochij die 10 Julij Anni Chriſtiani vulgaris 1597.

T.
TYCHO BRAHE.
manu propria.

[Ex

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

IACOBUS BORDINGUS AD TYCHONEM BRAHE.

1r S.



EDDITÆ mihi ſunt literæ tuæ, Vir Nobilißime, quibus ſignificas, te patrium ſolum vertere coactum, et nunc Roſtochij ſubſiſtere, quod etiam ex alijs iam pridem intellexeram. Doleo profecto non modo vices tuas, ſed ingens quoque illud rerum Aſtronomicarum diſpendium, quod ob haſce rerum tuarum inexpectatas conturbationes eventurum, unâ prævideo. Sed quid facias? cum hæc nulla tua culpa aut merito acciderint, nullumque in eo ſtudio laborem, quantumvis gravem aut moleſtum, detrectâris, omnibus æquis cenſoribus facile excuſatus eris. Verum de his aliquando coram plura. De Illu-
1v ſtrißimi Principis mei in ‖ te clementi favore nihil eſt quod dubites. Literas tuas C. E. reverenter obtuli, ac curabo, ut non tantum ad illas reſponſum, ſed etiam commendatorias ad Sereniß. Daniæ Regem intra biduum vel triduum accipias. Nunc enim tantum otij mihi non fuit, ut confici potuerint, nec etiam iuſto diutius illos detinere volui, qui tuas attulerint. Quod reliquum eſt, officia mea tibi defero promptißima. Vale. Guſtrovij die 2. Auguſti Anno 1597.

T. ſtudioſißimus
IACOBUS BORDINGUS.

† [E codice Vindobonensi lat. 9737f]

TYCHO BRAHE AD HENRICUM RANZOVIUM.

45r S. P.



ITERÆ tuæ, Nobilißime et Amantißime Domine RANZOVI, amice et affinis honorande, per Præfectum tuum CHRISTIANUM mihi redditæ ſunt, cum quo loca a te peramice oblata colluſtravi, et pro benevolo hoc erga me affectu gratias officioſe ago quas poßum maximas, pro virili oblatâ occaſione relaturus. Placeret quidem utraque conditio, et præ cæteris ea, quæ Segebergæ monſtrata eſt; verumenimvero, cum nonnihil remotiores ſic ſimus ab urbe quâdam amplâ, nec ego otioſam libenter vitam traducerem, ſed libros quoſdam e meis prælo ferme abſolutos omnino perficere vellem, ad quod Typographia requireretur, et Artifices, qui figuras ſculpere noßent, tum quoque qui Inſtrumentum unum vel alterum pro Obſervationibus cœlitus obtinendis

obtinendis (modo nullum ex ijs quæ Haffniæ repoſui, mature inde recepero) pararent. Si itaque prope Lubecam vel Hamburgum aliquod prædium mihi ad tempus, donec rebus meis commodius proſpectum fuerit, concedere poßes, feceris rem inprimis exoptatam. Conſtitui vero Deo volente, cras Bramſtedium uſque circa veſperam venire, quia tam cito negotia mea expedire non poßum, præſertim in quibuſdam ſcribendis, ut circa meridiem tibi adſim. Si interim Bredenbergam iveris, ſubſequar confeſtim, ita ut die Lunæ annuente numine ibi ulterius de omnibus conſilium tecum capiam, et deſiderium hoc viſendæ Arcis eius amplißimæ, inprimiſque ſplendidæ bibliothecæ tuæ, quod me iampridem inceßit, nunc tandem expleam. Interea Mæ Tæ omnia fauſta precor, eamque quam diutißime incolumem ex animo voveo. Datæ Segebergæ 17. Septembris Anni 97.

TYCHO BRAHE,
manu propria.

[E codice Basileensi G I 33] †

EXCELLENTISSIMO ET CELEBERRIMO 46
VIRO DOMINO DOCTORI IOHANNI IACOBO GRYNÆO, IN LAUDATISSIMA BASILIENSIUM ACADEMIA THEOLOGIÆ PROFESSORI, AMICO SUO HONORANDO.

ZU BASELL.

S. P. 43



LARISSIME et præſtantißime vir. Quod literis tuis eruditißimis pariter et humanißimis, me licet tibi de facie ignotum et longâ viarum intercapedine dißitum inviſere, atque hoc officij genere me prævenire non degravatus es, eſt cur tibi ſummopere gratias habeam, atque hanc erga me benevolentiam magni faciam. Reddidit mihi eas frater STENO adoleſcentis eius, qui apud vos ſtuduit, parens, cum ante duos circiter menſes Roſtochium, ubi tunc morabar, cum cæteris Legatis Smi Regis noſtri nomine ad Adminiſtratorem Magdeburgenſem nuptias eius filiæ expetituris, pertranſiret. Reſcripſißem vero actutum, ſi internuncius aliquis præſto fuißet, quem etiam hucuſque deſideravi, donec commodum hic Danorum tabellarius mihi heri Bredebergam ad Nobilißimum Dominum HENRICUM RANZOVIUM, Producem Holſatiæ Regium, ituro obviaret, quem ob id rus, ubi pernoctavi, mecum regredi volui, quo tibi paucula ſaltem, licet loco et tempore minus oportunis reſcriberem, atque me tuas accepiße, eaſque apprime gratas fuiße, ad minimum ſignificarem. Cumque eas in hoc itinere mecum

cum non habeam, ſpecialiter ad ſingula, quæ continebant, reſpondere
non datur, nec omnia nunc memoriter ſuccurrunt. Attamen has qua-
leſcunque potius quam nullas ad te dare mei officij eße ratus ſum. Exi-
ſtimo te non ignorare, me ante aliquot menſes Daniâ exceßiße, ſiqui-
dem rumor is, uti reſcivi, late per Germaniam ſparſus eſt. Quæ vero
rationes me Patrium ſolum vertere in hac quinquagenariâ ætate, et
totam familiam in Germaniam tranſferre compulerint, plures et gra-
viores fuere, quam calamus referre ſuſtineat. Ut tamen de aliquibus
eorum conſcius reddaris, ſic habe: Poſt innovatam Reip. noſtræ con-
ſtitutionem creato hoc novo Rege, duo Dynaſtæ, qui omnia pro arbi-
trio moderari præſumunt, ſive ob earum quas ibi tractavi, artium in-
ſcitiam, ſive contra me odium et malevolentiam, aut certe utraque de
caußa effecerunt, ut non ſaltem ſubſidijs a laudatißimæ memoriæ Rege
44 FRIDERICO ſecundo in Aſtronomiæ iſthic liberalem || propagationem
deputatis et poſtea a Senatu Regni confirmatis privarer, ſed et ulterior
huius exercitij ſuſtentatio plane denegaretur. Quapropter in exteras
potius Regiones Aſtronomiæ redintegrandæ univerſum apparatum,
derelictâ Inſulâ, in quâ eundem prius molitus eram, tranſferendum
ſatius duxi, quam ut tot Annorum a me exantlati labores, totque ero-
gati ſumptus incaßum abirent, atque ego plurimorum Excellentium
et Eruditißimorum hinc inde virorum per varias Europæ Regiones,
diu de me conceptam ſpem circa hanc ſublimem Artem inſtaurandam
indecenter fruſtrarer. Acceßerunt et aliæ non paucæ tribulationes,
quibus abitum meum eo citius promoverunt, adeo ut ne quidem a
Parocho meo in mei contumeliam et deſpectum perſequendo abſtinu-
erint, quod is deteſtandum et impium iſtum Exorciſmum in Pædobap-
tiſmo me conſcio omiſerit. Ideoque officio privatum et per integrum
menſem citra latam ſententiam incarceratum, parum abfuit, quin eti-
am capite plecterent, niſi ego cum meis Amicis apud reliquum Regni
Senatum tantam ſævitiam avertißem. Quin et Ruſticos tam contra me
quam eundem Parochum meum clancularie excitatos tantum aberat,
ut ſecundum leges (prout urgebam) eorum iniuſtam perfidiam et re-
bellionem refrænare voluerint, ut potius horum immeritâ defenſione
ſuſceptâ in malitia illos confirmârint. Ego autem Parochum tandem
ex iſtis afflictionibus liberatum in Germaniam mecum recepi, ſicque
nos a tot iniurijs et moleſtijs vindicavi. Manſi autem primum cum meis
Roſtochij per Anni Quadrantem, idque certis de caußis, præſertim ne
præpropere quid feciße viderer, et noſtratibus rem prudentius expen-
dendi tempus non reliquiße. Inde vero a prædicto Domino RANZO-
45 VIO, Affine et Amico meo ſingulari, viro omni laude || dignißimo, huc
in Holſatiam ob luem Epidemicam ibi graßantem evocatus, quandam
ex Arcibus eius ſemiße ſaltem milliaris Hamburgo diſtantem Wandes-
burgum

burgum dictam, quam is benigne mihi conceßit, cum familiâ inhabito, et ſtudijs meis, quantum hæ inexpectatæ mutationes ferunt, etiamnum vaco, iſthic moraturus, donec Deus (cuius Providentiæ omnia committo) mihi et meis oportuniorem locum et conditionem clementer largitus fuerit. Neque enim diffido, eius benignitate nobis alicubi in Germaniâ rectius quam in Daniâ, proſpectum iri. Ideoque Patriæ et Neceßariorum derelictionem tantaſque rerum noſtrarum conturbationes minus graviter fero. — Tandem bona cauſa triumphat.

Conſtitueram olim Baſileæ Aſtronomiæ reſtitutionem moliri, antequam a dicto FRIDERICO Rege optimo, ut in Daniâ id ipſum factitarem, invitarer. Et ſi commoditates et ſubſidia ſuppeterent, forte etiamnum tale quid iſthic aggrederer. Sed in viciniore loco, ad quem Inſtrumenta mea ob magnitudinem commodius tranſferri poterint, id ipſum (uti ſpero) præſtare concedetur.

Hæc tibi, Excellentißime GRYNÆE, utut in hoc itineris curſu otio deſtitutus, reſcribere volui, ne nuncius hic plane vacuus meis urbem veſtram repeteret; hæc vero tenuia et extemporanea boni conſulas rogo, atque ulterius per literas amicitiam (ſiquidem aliter non liceat) colere ne ſuperſedeas. Ego vicißim omnia ſinceri amici officia lubens tibi defero. Vale. Dabantur raptim in pago Bramſtedt tribus milliaribus Bredenbergâ remoto, die 8. Octobris ſtylo v. Anni 97.

Tui ſtudioſiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

NOBILITATE NON TANTUM GENERIS, 3v
SED ET GENIJ ATQUE INGENIJ VIRO INPRIMIS CONSPICUO DOMINO OLIGERO ROSÆKRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGVINEO, AFFINI ET AMICO INTIMO.

S. P. 1r



EDI ad te literas, Nobilißime et Præſtantißime Domine OLIGERE, Cognate et Amice charißime, ac tuis reſpondi, priuſquam Roſtochio diſcederem; quas etiam tibi redditas, utut is, quem iſthuc ablegavi, reverſus nondum ſit, nihil ambigo. Nunc vero, cum amanuenſem meum cum Preſbytero iſthuc remeante ad vos mittere decrevißem, denuo te pro neceßitudine noſtra meis compellandum, et de ſtatu meo brevibus edocendum cenſui. Scias itaque me ob luem Epidemicam

Epidemicam Roſtochij ingraveſcentem in Holſatiam a Nobilißimo vi-
ro, Domino HENRICO RANZOVIO literis perbenigne evocatum diſ-
ceßiße, qui aliquot Arcium ſuarum optione mihi data, quam vellem
1ᵛ ex ijs, inhabitandam conceßit, ac pluribus etiamnum || beneficijs me
ſibi devincire non ceßat. Elegi autem præ cæteris mihi oblatis Wandeſ-
burgum, dimidio ſaltem miliari Hamburgo remotum, eo quod egregia
ibi commoditas ſuppeteret, et vicina civitas, unde in omnes ferme Eu-
ropæ partes frequens internuncius offertur, neceßaria omnia procu-
randi oportunitatem ſufficientem concederet. Ubi ſtudijs conſuetis more
ſolito gnaviter incumbo, et a præſtantibus ac Eruditis hinc inde viris
in maiore, quam ipſemet deſidero, et unquam in Patria factum, pretio
et honore habeor. Et ſi non conſulto hîc in vicinijs Daniæ ſubſiſtere
voluißem, conditiones iam antea fuißem nactus, quales Patria vix lar-
giretur; quas etiam me, quam primum lubuerit, ex divina providentia
aßecuturum, nihil addubito; ut hanc rerum noſtrarum mutationem
2ʳ neu-||tiquam doleam, ſed Deum ob id mihi iſthæc evenire permißiße
confidam, quo meliorem in Germania aut alibi locorum fortunam
largiretur. Quod autem tam diu in propinquo moratus ſum, hinc fac-
tum, ut reſponſum ad literas Ill^{mi} Ducis ULDARICI, meo nomine ad
Ser^{mum} Regem noſtrum perſcriptas, quibus etiam meæ adiunctæ erant,
expectarem. Neque enim longius diſcedendum, aut apud alios Mag-
nates quidpiam tentandum duxi, antequam reſponſione accepta, qua-
lis etiamnum eßet in me et mea ſtudia animus Regis, comperirem. Cum
vero his ipſis diebus hanc adeptus ſim, qualem ob quorundam in me
malevolentiam recepturum prævidebam (licet non adeo aſperam et
2ᵛ immeritam) id quod tam diu premebam, iam efficere, nihil || reſtat ob-
ſtaculi. Daboque operam, favente Numine, ut nemini iſthic ſim am-
plius mea præſentia moleſtus.

Relatum mihi eſt te fratris mei AXILLI filiam SOPHIAM in uxorem
ducturum. Quod equidem lubentißime inaudivi, atque in hoc coniu-
gio omnia vobis quam fauſtißima et precor et auguror. Et licet meo
iudicio nihil rectius facere potueris, quam ut uxore ducta te ab Aulicis
compedibus liberares, cum alios tolerabiliores et minus ingratos futu-
ros ſpes ſit (ſiquidem per viam univerſæ carnis eundum eſt) videris
nihilominus, ne per hanc SOPHIAM terrigenam ſublimiorem quan-
dam ac Philoſophicam, Diam illam, et mentem a terrenis caduciſque
ad longe altiora tollentem, atque immortalitati conſecrantem negligas.
3ʳ Solet enim in || his fieri id quod præcinebat OVIDIUS: *Succeßore*
† *novo pellitur omnis amor.* At cum et illa, quatenus fert ſexus, Philo-
ſophica futura ſit, ac Amitam SOPHIAM, quoad datur, haud degene-
rans imitatura, ſociam altioris alicuius, quam vulgus capit, SOPHIÆ
potius quam obſtaculum fore, præſagio et opto.

Plura rerum mearum, temporis anguſtia præpedito mihi nunc ſcribere non datur; ex ſorore SOPHIA, tibi etiam amica, tum quoque communi Amico Domino Doctore NICOLAO CRAGIO cognoſces. Quæ vero me concernentia, mi OLIGERE, noſti, fideliter (uti tibi confido) indica, a me tacite habenda: nec invidos oſores ac detrectatores meos verearis. Quos et te haud extimeſcere, omnino mihi perſuadeo. Ego iam pridem illorum malevolentiam ſuperare et negligere didici. Vale mi optime OLIGERE, meque quod || facis mutuo amare perge. Dabantur Wandeſburgo ex arce Ranzoviana die 7. Novembris Anni 97. 3v

Tuus ex intimis
TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii] †

NOBILITATE NON TANTUM GENERIS, 1v
SED ET GENIJ ATQUE INGENIJ VIRO IN PRIMIS CONSPICUO DOMINO OLIGERO ROSÆKRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGVINEO, AFFINI ET AMICO INTEGERRIMO.

S. P. 1r


ORDATISSIME mi OLIGERE, cognate deſideratißime et affinis exoptatißime. Poſtquam priores hiſce .... viſerint tandem an non potius ſui ipſius, et patriæ, cuius honori ſtudere merito debuißent, maiore incommodo quam meo .... noſtræ ſatis arguunt compoſitoris malevolum animum pari præiudicio et avaritiæ nefanda labe infectum:

Proh ſuperi quid non mortalia pectora cogis †
Sacra ſitis Roſei fontis, præbendaque ſacra!

Dolendum certe eſt, imo ſupra modum dolendum, iuvenem hunc Regem, alias ſuapte natura virtutis capacem et generoſo animo præditum, talibus glaucomatiſtis ita occæcari et in devia deduci, ut id, quod verum rectumque ſit et Regno ac ſibi forſan maiore duratione honorificum, quam multa alia, quæ inutiliter fiunt et profunduntur, perſpicere et ſentire nequeat, utpote alienis oculis et auribus tam videns quam audiens. Veniet forſan tempus quando et oculatior, magiſque auritus (experientia et uſu rerum ſic ſuadente) reddetur. At quantum ad me meaque tamdiu exantlata ſtudia nimis ſero. Præveniam potius, et mihi .... favente divina providentia, dum adhuc tempus ſupereſt

eſt

eſt . . . . iamque alea iacta eſt, numeratæ teßeræ re . . . . . . Bene ſit Regi precor, utut mihi præter culpam et iniuriam non faventi. Bene ſit vobis omnibus . . . . præſertim integrioribus. Bene ſit univerſæ Daniæ ex animo opto.

† . . . . Deo tra . . . . fortuna, ſequamur. Iamque vale
1v mi amantißime OLIGERE, et quæ hîc deſiderantur, in priori-‖bus atque poſtſcriptis lege, TYCHONEMque ex aße tuum ſincere redamare, quod et ſponte facturus es, nunquam deſiſte. Iterumque et ſæpius vale. Dabantur ſubito Wandeſburgo prope Hamburgum, die 16. Novembris Anni 97.

Tuus intimus et extimus
TYCHO BRAHE,
manu propria.

1r POSTSCRIPTA.

AMANTISSIME OLIGERE, ſi res tuæ ullo modo ita ferrent, nihil magis in votis haberem, quam ut peractis Regijs Nuptijs velles Bredenbergam venire et mihi iſthic indicato prius tempore, idque per certum et fidelem internuncium, obviam ire: partim inviſendi optimi illius Senis RANZOVIJ communis noſtri Affinis et Amici integerrimi gratia, partim ut bibliothecam eius, qua vix ampliorem et ſplendidiorem Germania habet, luſtres, ſive iſthic fuerit Produx, ſive non; eſt enim mihi ſemper liberum, nec dubito quin et tibi, quem pariter is (prout tua meretur virtus) ex animo diligit; partim etiam, ut nos invicem adhuc ſemel (dum modo ſæpius non liceat) compellemus, antequam longius diſiungamur; quod non ſaltem ſanguinis ratio et amicitiæ vinculum, ſed et nova inter nos affinitas expoſcit. Neque enim ignoras, ‖
1v me poſt Patrem eße e ſponſæ agnatione proximum adeoque primum, ideoque non negligendum aut prætereundum; veluti in cæteris vix admiſiſti. Atque hæ erunt tibi ſufficientes caußæ, imo unica earum, quod iſthuc impetrata vel non impetrata venia eas. Et ſi de me tacere, idque tibi ſoli ſecretum reſervare, cautius duxeris, libenter id concedam. Mihi enim perinde eſt, ſive quis mea de caußa palam ſive clam agat; modo id quod æquum eſt et res poſtulat, agat. Indica ſaltem actutum, quid a te in his præſtari poßit, ut et ego de meis interea rebus ſic eo commodius diſponam. Exemplum nuperarum (de quibus in prioribus dictum) literarum nunc non addo. Habebis id alias aut ubi convenerimus, ſi etiamnum in Cancellaria veſtra tectum habetur; uti ſolent ea, quæ lucem
2r oderunt. De tua enim voluntate nihil ‖ addubito. Cum ante menſem circiter Obſervationes meas Aſtronomicas invitante Serenitate hîc Wandeſburgi renovarem, atque in libro, quo priores Uraniburgi circa æquinoctium vernum deſinentes denotâram, has poſteriores ſubiungere voluißem, ut earundem tanto tempore præter ſolitum interrupta-

rum occaſio mihi et alijs in poſterum memoria non excideret (quod tamen vix futurum) expoſui primum iſthic proſa diſceßus mei ex Inſula Venuſia, adeoque tota Dania, rationes brevibus comprehenſas, moxque dictante genio incidit Carmen elegiacum, quod unâ iſthic adſcripſi. Cuius hîc te participem reddo, cum ſciam te Poëticis delectari, atque ex Pegaſeis fontibus canoras hauſiße lymphas. Si itaque et tu pariter reſponderis, non quidem conſolandi gratia (cum ſcias me nihil in his aſperi, ſed potius omnia ex uſu puta-‖re), verum ut Uraniæ e 2ᵛ Dania veſtra in alia magiſque gratioſa et commoda loca mecum migranti Propempticum concinnes, nobiſque utrinque ſic congratuleris, rem tam illi quam mihi non ſaltem iocundam ſed et acceptam præſtiteris. Neque authoris nomen prodere opus erit: uti et mea apud te ſecreta haberi, et nemini quidpiam inde communicari velim. Tradas potius Vulcano, ubi legeris. Sufficit in memoria habere qua vales, cum et antea hæc ita ſe habere, ſatis ſuperque memineris. Iamque pluries vale. Dabantur ut ſupra in literis.

T. B.

ALTERA POSTSCRIPTA MINORIS MOMENTI.

CUM Præfectum illum, quem diſcedens Venuſiæ noſtræ præfeci, DAVIDEM PETRI nomine, apud me ſuſpectum reddiderit Parochus ille prior in Inſula, interea dum hîc mecum egit, neſcio an odio aliquo privato an rei veritate, et inter alia narrârit, eum, cum Patri tuo optim. mem. inſerviret, aliquot centenis eum defraudaße, rogo velis mihi ſcheda aliqua obiter indicare, quid de huius Præfecti fide vel ſecus exploratum habeas. Neſcio enim quantum Parocho iſti fidendum ſit, cum quia alteri infenſus erat, tum quod me ſibi omnino optime cupientem, ſupra quam credi poßet, ante abitum deſpexerit, adeoque ut contumelias et calumnias, nulla de caußa in os mihi dicere non erubuerit, quas tamen patienter ferens, ex alto deriſi, hominemque tanquam ſui non compotem, addito viatico et munere, dimiſi. Quod te ſcire volui, ne in mei gratiam quidpiam de eo amplius ſis ſollicitus. Plura ab ESCHILLO BILLE noſtro intelliges, qui acta habet in literas relata et teſtificata. Datum ut in prioribus.

T. B.

† [E codice Hauniensi Ant. Coll. Reg. 316 in 2°]

153bv NOBILISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO
TYCHONI BRAHE, DOMINO IN KNUDSTRUP ET
EQUITI DANO, DOMINO ET AMICO MEO
SUMMA OBSERVANTIA
COLENDO.

153br OBILISSIME et Excellentißime Domine TYCHO, cum poſt abitum tabellarij ſummopere tunc feſtinantis obſervationes in ♃ ad 20 Nov. diem habitas calculo ſubijcere vellem, inveni me erraße in aßignatione diſtantiæ ♃ ab Aldeb. quæ revera tunc erat 8° 51′, non vero 9° 51′, quod ex feſtinatione factum eße ſcias. Diſtantia vero ♃ et Hu. Orio. vera fuit 19° 8′, ut poſt diligenti conſideratione ſextantis inveni. Verum ſextans quo utor (ut et in literis indicavi) mihi nequaquam ſatiſfacit, maxime propter vulgarem diviſionem, eamque minus ratam. Sic ergo ſe habent.

20 Nov. H. 12 P. M.

Diſt. ♃ et Aldeboræ	8°	51′	
Diſt. ♃ et Hu. dext. Orion.	19	8	
Altit. Merid. ♃	57	54½ vel 55′	
Altit. Aldeb.	52	0	
Altit. Æquat.	36	22	Ergo ſe recte poſitio inſtr. quadr. tunc habuit.
Decl. ♃	21	33 fere B.	
Aſc. R.	70	13	

Aſc. hanc ex aſc. R. Aldeb. et ex aſc. R. Hu. dex. Orion. inquiſivi viceverſa. Aſc. R. Hu. Orio. ex loco longit. et latit. iuxta tuum Canonem conſtitui videlicet hoc tempore 83 Gr. 23′ fere.

†	Longitudo ♃	11	39 ♊
	Latitudo ♃	0	42½ Merid.

Fuit ergo medio motu ⊙ iuxta tuam reſtitutionem oppoſitus die 22 Nov. Hor. 2½ circiter P. M. iuxta verum motum ⊙ opponebatur die 23 Nov. Hor. 9 A. M.

Si Ephemerides STADIJ ſe recte habent, calculus parum deviat. Sed tuum de his iudicium peto, et quæ calculi utriuſque ſit differentia.

♂ quoque hiſce diebus aliquoties diligenter conſiderabo, quod tamen ut in poſterum ſubtilius et expeditius fiat, T. Ex. obſervationum mearum in literis propoſitarum dilucida reſolutione haud dubie efficiet. Et hanc deſignationem Tabellario in vicina urbe adhuc commoranti tranſmiſi, ut literis meis eam infereret. Vale.

De

De altitudine ☾ capienda dubium. 153b[v]

Cum ☾ limbus uno quaſi minuto extans per rimulam capitur, obſervatio certa eße non poteſt; nam centrum ☾ haberi nequit. Nam circa unum latus pinnacidij per unam rimulam conſpicitur limbi extremitas, per alteram rimam conſpicitur maior portio ☾. Relinquitur igitur, incertam eße altitudinem, cum nec medium Lunæ (ut in ſtellis) habeatur, nec etiam revera ſciri poßit, an portio unius vel 2 minut. vel plus minuſve de corpore Lunari conſpiciatur, et proinde ignoretur, an ſemidiameter ☾ uno vel duobus minutis minor ſit addenda vel ſubtrahenda. Hoc dubium in accipienda ☾ altitudine certa me valde torquet. Cupio igitur certi quid in hoc negotio ex T. E. cognoſcere. Vale. 23 Nov. 97.

T. Exc.
obſerv.
D. FABRICIUS.

N. B. Quomodo etiam minimarum ſtellarum centrum per rimulas ſext. vel quadr. haberi poßit, valde miror (cum illarum diameter vix 1 minut.). Aut enim rimulas valde amplas eße oportet, et ſic incertus per rimulam talem laxam vel amplam proſpectus eße videtur, aut ſi rimulæ mediocres, non videbitur. Quomodo igitur agendum ſit, magnopere ſcire cupio, et quæ rimularum pro minimis ſtellis laxitas vel amplitudo maxima eße debeat in inſtru. 4 pedum, cognoſcere valde deſidero.

[Ex apographo in codice Vindobonensi lat. 10702]

VIRO NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO TYCHONI BRAHE, DANO, MATHEMATICORUM PRINCIPI AD MANUS. 59[r]



CUM te, Vir amplißime, Mathematicorum omnium non huius tantum ætatis, ſed totius ævi Monarcham conſtituerit incomparabilis doctrina iudicijque præſtantia, iniquum fecero, ſi opuſculo de proportione cœlorum nuper in lucem dato (ſub titulo: *Prodromus dißertationum coſmographicarum*) ullam gloriam, tuo iudicio et commendatione neglecta, aucuper. Quæ me cauſa movit, ut ignotus ex hoc obſcuro Germaniæ angulo literas ad te mitterem, oratum per illum ingentem Veritatis amorem, quem in te quoque ineße fama tuæ magnitudinis prædicat: ut, quid tibi de iſthoc videatur negocio, ea ſynceritate et humanitate, quæ in te prædicatur, explices, brevibuſque literis ſignifices. O me felicem, ſi quod MÆSTLINO, idem et TYCHONI videbitur: quibus ego duobus propugnatoribus non dubitabo totius

totius orbis iam excitatas inſectationes forti animo ſuſtinere. Sin autem id conſecutus fuero, ut quæ inſunt infirma, inepta, et puerilia, qualia mihi per ætatem multa exciderunt, cenſura volueris notare: an ego non rurſum huiuſmodi reprehenſionem totius mundi, ſi eßet, aßenſui præferam? Exemplaria non dubito, quin antea habeas: quare facile patior, ut difficultas tranſmittendi per tantum intervallum a mittendo me avocet. Tuorum autem operum ad nos nihil perfertur: quæque de te ſciebam, ex MÆSTLINO didiceram. Dabis igitur veniam, ſi quibus in locis tui nominis mentionem faciens, iniuriam tibi tuæque hypotheſi faciam. Plura dicturum quæſiturumque reverentia me retinet. Aperi luctanti voci viam, ſcriptis ad me paucißimis: efficies enim, ut tibi demonſtrem, quanto ſim diſcendi, quam laudis cupidior. Vale, Vir Nobilißime, meaque tibi ſtudia commendata habe. Idibus Decemb. An. 1597.

Nobilitatis et Magnitudinis
Tuæ Reverent.
M. IOHANNES KEPLERUS,
Illuſtrium Styriæ Procerum in Gymnaſio
Græcenſi Mathematicus.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

2r GENEROSO TYCHONI BRAHEO, MATHEMATICO PRINCIPI, COGNATO ET AFFINI DESIDERATISSIMO.

1r GENEROSE mi TYCHO, cognate affinis deſideratißime, amicorum intime. Iam inde quo literæ tuæ deſideratißimæ pridie Non. Decembris reddebantur, medijs his turbis nuptialibus, laborioſißimis diſtrictus præpedimentis diſtineor, ne quod valde exoptâram, reſponſum uſque huc feſtinare licuerit. In præſens vero, ubi liberior aliquanto adſpirat aura, rarißimam hanc felicitatem, qua cum amicis ingenuæ mentis tuto communicare conceditur, flagrantißime cupitam, adlubentius eo excipio, quo rariores eius cenſus, multivarios inter, ut noſti ingenia, habeam et æſtimem. Utut autem facile ſciam nil præter ſpem, haud multa præter voluntatem, exuli iam pridem tibi, modo libero, accidiße, doleo nihilo etiamdum minus, non tui equidem, ſed mei ipſius, ſed patriæ immerentis, ſed bonorum in patria omnium, quibus integrior mens et animus, caußa, quos paucorum quorundam livor, alia obtentui ſumpta caußa, ſuo deſiderio, ſua gloria, ſuo privavit amore et gaudio; alias equidem, ut nihil eſt certe, quod, natura ſic imperante,

imperante, in rebus caducis apparere ſolentius autumem dißimilium
inter ſe haud interrupta unquam contentione et pugna, quam non ab-
ſtruſis modo, ſenſuſque latentibus Naturæ laboribus familiarem, ſed
et concitatis deſtinati humanarum rerum diſpenſatoris Mentis facino-
ribus pene domeſticam indies oſtentari ſuſpicimus, ita et nihil eſt, cur
eundem hunc Naturæ morem demirarer, ſi vel maxime hoc ex circo
etiam Muſæ iunctim omnes recentibus æmulationibus proſcriptæ ex-
ularent, tecumque caſtra moventes, ſe in univerſum hinc, ubi nihil
priſci et integri moris, ſubducerent; magis eſt vel tandem experiendo
diſcere, perverſam eiuſcemodi, non utique alias inſolentem, ſcena hac
tripudiantis invidentiæ, caute ſuſpectare inconſtantiam, pru-||denter- 1ᵛ
que proviſis, quæ tempus commonet, ſubductas ſui rationes non ſto-
lidis ac evanidis, aſt ſolidis et ævo dignis firmare munimentis, ne ali-
enis quam proprijs innixi mage virtutibus, ad aleatorios quoſvis for-
tunæ iactus * cernimus nutare, quin et concidere penitus eveniat. Tu
vero nobis, tu inquam TYCHO generoſe facem hîc prætuliſti, tu tuo
nobis præluxiſti exemplo, tu veræ virtutis ipſi ſibi ex aße undique ſuf-
ficientis, veſtigia poſuiſti, quibus inſiſtere, quis ad hanc metam adſpi-
rans non adniteretur? Ipſe ego certe (qui licet illuſtri huic conſeßui
accerſiri non merear, in ſpem tamen ſecundam aut tertiam ſaltem ac-
ciri indies adnitor) multa nec levia in me malevolentiæ indicia, utut
premantur, erumpere ſentiſco, aſt σὺν δαίμονι ἐσθλῷ quod ſpero in-
caßum, nec enim ad hoſce ventus ego mea diſtendi vela, neque enim
importuoſo iſti me commiſerim vado. Sed de me coram ipſe præſens,
ne adfectu et præcipitantia, quorum caußas procul habeo, imprudens
nimis in literas intutas, relatrices, rationum mearum ſecreta conijcere
videar, quæ non aliter conſtant, quam ſi nulli, niſi alteri mihi reddan-
tur. Ad diem itaque anni adproperantis quintum decimum, favente
Numine, aliud vitæ meæ facturus initium, tædioſißimo huic renuncia-
turus ergaſtulo, rogationi tuæ amicißimæ vel non rogatus ſponte ad-
ſentiri iam pridem eſt animus, nec vero ad ullius unquam æmulationes
et odia me in his, quæ recta ſunt, comparaturus ſum unquam. Et vero
quid mage dedeceret, te, quem non affinitate modo, ſed et ſanguine, ſed
et neceßitudinis vinculis omnibus peculiari ſorte, iure primum æſtimo,
colo et obſervo, te inquam poſt tot benevolentißimi animi in immeren-
tem indicia, inſalutatum præterire? Age ergo, num circa dictum tem-
pus ſat commodus tibi meus || videatur acceßus, litera per hunc tabel- 2ʳ
larium adſignifices una aut altera; faxo ego hîc interim, ne, quod in
me deſideres, præter vires forte, ſiet quidquam; alia præſenti adloquio
reſervanda, quo et ſi quæ nova ſunt, quæ referre intereſt, relata velim,
niſi quod hoc unicum in præſens referre interſit, communem noſtrum
CRAGIUM in Poloniam brevi ablegandum, ad l. Ianuarij litteris huc
eße

eße advocatum, quem, itinere per Holſatiam ſumpto, te inviſurum nullus dubito, cui et quo me adiungere queam, modo non feſtinantior abierit, enixe ſtudebo. Ego vero ſi non ſtudio me continerem, finem vix habiturum eßet hoc meum per litteras adloquium, ut et potiora, imo vero, quod ego ſentio potißima, Epiſtolij tui capita commodiori opportunitati lubens reſervem. Ludant interea meæ Muſæ, qua valent, ad hæc; aperte equidem, aſt ſuo ſub velo. Interea te præpotenti rerum noſtrarum gubernatori, Trinuno Numini, cum univerſa tua familia, conſilijs et actionibus, commendo. Vale feliciſsime.

Te nulli ſecundus integerrimo colens animo

OLIGERUS ROSÆCRANTZ.
Perſcribebam
Haderſlebiæ XVI Decemb.
CIↃ CI IIIC.

Salutari te ſuo nomine officioſißime voluit IACOBUS ULFELDIUS, quem te ſincere etiam maioribus renitentibus amare et ſuſpicere ſcias.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

2r NOBILISSIMO ET ERUDITIONE NON VULGARI PRÆEMINENTISSIMO VIRO D. OLIGERO ROSENKRANTZIO DOMINO HÆREDITARIO IN ROSENHOLM, COGNATO, AFFINI ET AMICO MEO INTEGERRIMO.

1r S.


OBILISSIME OLIGERE, cognate et affinis charißime, redditæ mihi quidem ſunt literæ tuæ poſtremæ, eruditæ illæ et amoris ac conſtantiæ erga me plenißimæ. Sed aberam tunc Wandeſburgo in oppidulo quodam ſex miliaribus inde diſtante, quod Brambſted vocatur, ut cum Domino Produce iſthic mihi obvio de quibuſdam loquerer. Reperi autem ibidem Illuſt^{m} Dominum Adminiſtratorem et ipſius Ill^{mam} coniugem, qui me ſingulari favore clementer complexi ſunt. Domum autem reverſus pridie Natalitiorum haſce tuas accepi, quas una e filiabus meis reddidit, nuntij, qui eas apportarat, nulla facta
1v mentione, cum ea, ubi is eßet, ignoraret. At cum poſtmo-||dum ſtatim ad currum conſcenderem huc Hamburgum cum meis iturus, ut feſtos dies hîc tranſigeremus, mihi indicabatur, nuntium tuum adhuc adeße; non quidem retroſpicere licuit, ſed data ſcheda, quæ illum ſuo officio perfunctum teſtaretur, redire eum permiſi, cogitans hîc cum Nobilibus

Danis, qui D. Adminiſtratorem domum deduxerunt, tuis reſpondere velle, quod etiam ſufficienter præſtarem, niſi illi hodie præter opinionem, incidente quadam ingrata neceßitate, abitum feſtinaßent, cum alias me unâ cum BALTHASARE ALFELDIO Wandeſburgi inviſere conſtituißent. Cogor igitur premere ea, quæ latius ad te ſcribere animum induxeram, illa in adventum tuum ad me Wandeſburgum, quem tam amice polliceris, procraſtinaturus. Ego itaque te deſideratißime OLIGERE iſthic, volen-‖te Numine, præſtolabor, et avidißime 2r cum alacritate excipiam. Utinam CRAGIUS noſter tecum ſit vel præcedat; tunc inter nos coram ſermones miſcebimus de ijs, quæ nunc ſcribere importunitas vetat, quæque per ſe calamus non ſatis tuta ſuſtinet. Fac igitur mature ſtes promißis, de quo etiam nihil addubito, utque queas nobis ſalvus adeße. Vale. Dabantur Hamburgo, poſtridie Natalitiorum Anno 97.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

Reſaluta meo nomine quam officioſißime D. IACOBUM ULFELDIUM, de cuius fide et conſtanti in me amore ſatis certus ſum; neque enim levitatibus et nugis eſt obnoxius. Scripſißem illi, niſi temporis penuria præpedirer. Saluta etiam BROCKENHUSIUM illum, qui ſe meum vocat diſcipulum; eius literis reſpondere iam non ſuppetit otium; habeat itaque me excuſatum.

[Ex adumbratione in codice Basileensi G I 35] †

TYCHO BRAHE AD IMPERATOREM
RUDOLPHUM SECUNDUM.



AUGUSTISSIME Imperator RUDOLPHE Secunde. Cum 3r de tuæ Imperatoriæ Maieſtatis erga liberalia ſtudia, præſertim in his principaliora, Mathematica et Aſtronomica, clementi favore, diu multumque inaudiverim, ipſaque tua Cæſarea Maieſtas non tantum potentißimorum et laudatißimorum maiorum ſuorum ALPHONSI Regis Arragonum etc. MATTHIÆ HUNNIADIS, HENRICI illius ſecundi ob indefeßam rerum cœleſtium contemplationem Aſtronomi dicti, CAROLI quinti, FERDINANDI ac Auguſtißimi Parentis MAXIMILIANI ſecundi aliorumque, ſtudijs his impenſe addictorum, quos numerare longum foret, celebratißimo exemplo, ſed et ſua ipſiuſmet vere Heroica et Cæſarea inclinatione, quantum Regnorum ac Reip. gubernatio ferunt, ijſdem his laudabiliter vacet exercitijs: omnino mihi polliceor, Cæſaream tuam Maieſtatem clementi animo accepturam, me viarum

viarum intercapedine alijſque difficultatibus, quo minus Cæſaream tuam Maieſtatem ipſe cito adeo, ac præoptarim alias, accedere liceat, præpeditum, haſce literas arduum licet negotium concernentes ſummiße exhibere non vereri ipſi. Cuius meæ fidentiæ caußam hanc primam habeo et præcipuam Imperatoriæ tuæ Maieſtatis clementißimum erga me eaque, quæ multis abhinc annis tracto ſtudia, favorem, iampridem mihi vel ex ſolo eo ſingulari diplomate perſpectum, quod Cæſarea tua Maieſtas tanquam in epiſtola ad me directo ſermone clementer mihi impertiri, non ſine harum artium præclaro elogio, dignata eſt. Cæſarea itaque tua Maieſtas præſentibus hiſce clementer ſcire dignetur, me, evidentibus ijſque haud levibus de caußis mutato Patrio ſolo, in Germaniam tuæ Cæſareæ Maieſtati ſubditam cum Aſtronomica mea ſupellectile, adeoque tota familia, nuper conceßiße, ut eſt rerum humanarum omnium quædam ſubinde vicißitudo. Ubi, ||
3v favente cœleſtium Opifice, Aſtronomicos meos labores per 21 Annos in patria mea dulcißima Dania exantlatos continuare ac ad propoſitum ſcopum dirigere et abſolvere decrevi, impetrata primum hîc alicubi et conſtituta rebus cœleſtibus ſat commoda, conſtanti et inviolabili ſede, unde fundamentalis earundem tractatio æviternum ad poſteros etiam in Imperij ipſius decus (uti confido) non contemnendum tranſmitti poßit. Quocirca ad tuam Imperatoriam Maieſtatem omnium primo mihi concedendum, eiuſque clementißimam voluntatem quam humillime explorandam cenſui, an non illuſtre hoc Aſtronomicum negotium ſolide et ſolenniter inſtitutum in aliqua ſuarum ditionum porro continuare atque ad optatum finem, Dei beneficio, perducere daretur. Sunt mihi ad hoc Opus in promptu Inſtrumenta varia, eaque maxima et affabre elaborata, qualia et quanta vix uſpiam invenire datur. Sunt plurimorum annorum exactißimæ Obſervationes veterum inventis non cedentes. Sunt multa alia huc conducentia, et non pauca, imo præcipua iam confecta. Ut vero Cæſarea tua Maieſtas ſpecimen aliquod eorum habeat, mitto cum filio meo Organorum, quæ hactenus in uſu habui, quotquot tam cito exſcindi curare licuit, delineationem, appoſita earundem ſuccincta explicatione. Offero quoque humiliter Canonicam Affixarum Stellarum expoſitionem, quotquot in noſtro climate utcunque viſuntur, numero millenarum, quas omnes intra Annos 20 præteritos ſumma et indefeßa diligentia meis Organis cœlitus quam ſcrupuloßißime demenſus ſum, cum ſine harum, potißimum Zodiaco vicinarum, exacta verificatione Planetarum viæ et motiones ad amußim non percipiantur. Qua etiam in parte (quoad errantia videlicet ſidera) quid hactenus præſtiterimus, quidque in poſterum ſuperaddendum reſtet, prior ille, de quo dixi, liber ſuo loco pandit. Plura meorum de Aſtronomia Operum tua Cæſarea Maieſtas, cui me

meaqueſtudia omnia humiliter offero || et commendata cupio, brevi, 4r aſpirante Univerſitatis authore, obtinebit. Interea haſce primitias alijs gravioribus viam ſternentes non averſetur. De cætero Cæſarea tua Maieſtas per Dominum Procancellarium Imperij aut aliquem e ſuis Conſiliarijs intimis, referente Domino Doctore THADDÆO HAGGECIO, clementer intelligat, qui a filio meo præſente ſingula uberius cognoſcat. Utque Cæſarea tua Maieſtas, hoc intermediante, ſibi humillime meo nomine propoſita clementer excipiat, et reſponſum, quandocunque eidem commodum fuerit, impertiri dignetur, qua poßum ſubmißione precor.

Deus Cœleſtium et Terreſtrium author tuam Cæſaream Maieſtatem felici Imperij et Regnorum gubernatione quam diutißime florentem et incolumem tueatur. Datæ Wandeſburgo ex Arce Ranzoviana prope Hamburgum ſita, die 2 Ianuarij Anni 1598.

[Ex apographo Hauniensi excerpt. Langebek. 178]

IOHANNES ISACIUS PONTANUS AD TYCHONEM BRAHE.

..... SCALIGER obſervationes utraſque (quæ munificentiæ tuæ 2r ſunt) vernalem aio et autumnalem, ſuis inſeruit, et videbis propediem. De ſeceßu vero in Germaniam itidem intellexerat, et dolere ſe fatetur, ſi eiuſmodi rerum conturbaretur commoditas, quarum iam fructus redundaret ad Europam univerſam. Placet quidem ei Germania; ſed neſcit, an mores undiquaque gentis ad illam facilitatem humanitatemque apti, quæ debebatur, apti tibi. Optaret, ſi Dania omnino deſerendi ſtaret animus, Bataviam potius inviſeres, amicam ſtudijs, benignam ....; et denique te tuaſque virtutes et honorabit, et fere dixerat, adorabit. Eßet certe in omnem eventum hæc ora propinquior Daniæ, et ille hîc Ordinum ſenſus, ut omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas ſciant.

[Ex apographo in codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°; cf. apographum in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

MAGNIFICO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO DOMINO TYCHONI BRAHE, NOBILI DANO, DOMINO ET FAUTORI SUO OBSERVANDISSIMO.

HAMBURGK.

125r S. P. D.

UM nuper ex Italia per utramque Germaniam in Angliam venißem, Generoſe et præſtantißime Domine TYCHO, accepißemque a quodam meo amico Domino MATTHÆO ROYDON, Anglo, Mathematum, ut mihi videbatur, ſcientißimo, te ex Dania atque Uraniburgo tuo in Germaniam conceßiße, atque adeo cum Lare prope Francofurtum ad Mœnum conſediße, gaudebam ſimul et dolebam. Gaudebam equidem, tum quod meæ, quam alioqui in Daniam ad te ſuſcepturus eram, profectionis compendium facerem; tum etiam quia ſperabam te Haßiæ noſtræ, cum in proximo eius eßes, futurum aliquando inquilinum. Id quod quamvis optare verius, quam ſperare potuerim, quippe qui non ignorabam te Daniæ Regnum patriam tuam cum Haßiæ vix commutaturum, nihilominus quo facilius illud crederem, fecit Illuſtrißimi Principis MAURITIJ Domini mei clementißimini in viros præclaros amor ac munificentia ſingularis, utpote et quæ tibi cum laudatißimæ memoriæ parente eius diu interceßit familiaritas. Dolebam tamen, quod adverſi aliquid in Dania tibi eveniße referrent, tuæque abitionis ex Dania alij alias recenſebant cauſas. Siquidem fuerunt hîc in Anglia, qui tibi cum PETRO SEVERINO Medico litem fuiße neſcio quam aßeverarent, teque indignitatis adverſarij puditum eße, et ideo inde diſceßiße. Alij Cancellarium Regium feudum aliquod tibi a FRIDERICO II felicis memoriæ conceßum, ſibi arrogaße, aliaque ad Aſtronomiæ ſtudium exædificandum adminicula, ab eodem Rege et Regni Proceribus tibi nuncupata, nunc fuiße adempta caußabantur. Hoc veriſimilius et mihi et illis viſum eſt, illud de medico plane incredibile. Quotuſquiſque enim eſt, qui ignorat, te ex præclarißima proſapia ibidem prognatum, et ſummæ apud Regem auctoritatis virum tam levi molimine non poße ex patria moveri, ut taceam e patria emo-
125v veri. || Verum cum in Angliam etiam delatum ſit, SEVERINUM illum apud hunc novellum Cancellarium multum valere, adeo ut is ferme totus ab illo dependeat, atque obſcurum non ſit, Doctorem illum (ut referunt) diutina tui invidia laboraße, fortaßis hoc, quod per ſemetipſum non potuit exequi, per hunc Cancellarium, cui Rex plurimum tribuere dicitur, effectum dediße.

Hæc,

Hæc, Illuſtrißime et præſtantißime Vir, quamvis ad me nihil ſpectant, tibi ſignifico, ut etiam externorum de tuo Uraniburgo inopinato diſceßu iudicium ac ſollicitudinem cognoſcas. Cæterum paucis abhinc diebus, cum de loco ubi hæreres ſollicitus, eos qui ex Germania recens venirent, interrogarem, intelligo te non prope Francofurtum, ut ille exiſtimabat, ſed iuxta Hamburgum ſedes poſuiße. Quare rogatus ab amicis Anglis, qui ad te abituri erant, has ad te depropero, ut cognoſcam, an inibi ſis manſurus, an vero alio iturus. Qua in re illis rem gratam facturum me non dubito, tibi etiam non iniucundum futurum illud arbitratus ſum, ſi intelligeres etiam in Anglia eße, quos amor tui ſollicite tangeret. Quamobrem plane confido, te has meas literas, quamvis ab homine tibi hactenus ignoto et tua familiaritate indigno profectæ ſint, æqui bonique conſulturum, et ad illas prima data occaſione reſponſurum.

Faxit Deus, ut te aliquando, Vir Præſtantißime, in Haßia videamus, exinde enim magnum decus ac nomen acceßurum Patriæ meæ exiſtimarem. Sin minus id ſuperis viſum ſit, efficiam, ut te aliquando, volente Deo, ubicunque Germaniæ etiam ſis, inviſam, coramque venerer. Vale et meæ impudentiæ ignoſce, vir longe præſtantißime. Salutem porro accipe a multis in Anglia tibi etiam forte ignotis, nominis tamen tui obſervantißimis. Londini Angliæ, anno 1598, 15. Calend. Februarij.

T. Magnif. addictißimus
HENRICUS ELLENBERGER,
Haßus. M.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO 4r
VIRO, DOMINO OLIGERO ROSÆKRANTZIO DE ROSENHOLM, COGNATO ATQUE AFFINI SUO UNICE DILECTO.



PTIME a te factum, Exoptatißime mi OLIGERE, Cognate et Affinis deſideratißime, quod hiſce indicaris et tuæ moræ caußas, ac quod CRAGIUS noſter Lubecam confeſtim tranſiturus ſit, non autem huc, uti ſperabamus, venturus. Utrumque veſtrum ſatis excuſatum habeo, cum neuter proprij adhuc ſit arbitrij. Tu ergaſtulo et compedibus iſtis aureis ſolutus, brevi (quod etiam tibi ſummopere exopto) tibi ipſi redderis, quo virtuti et ſtudijs, non aulicis indulgeas affanijs. Tumque te promißi fidem liberaturum nullus addubito. Interea quod nonnihil Iutizâris, cum et Iutus ſis et in Iutia verſeris, nolo Scanico

nico ſupercilio exactius rimari. Adſis nobis felici ſidere, quam primum
1v adfueris, quod etiam, ut mature fiat, et cupio || et opto. Iam enim teneris,
quia ſponte promiſiſti; nec nippizare licet Iuto in Scanicas tranſituro
Nuptias, gentemque Scanicam conſtantem et dicti factique memorem
æmulaturo: tranſplantatione quadam, ut fieri ſolet, quam etiam tibi
non ingratam aut infelicem futurum, auguror atque confido.

Si res meæ ullo modo id patientur, dabo operam, ut intra triduum
vel quatriduum Lubecæ adſim. Et ſi communis ille noſter, dum per
diem unum vel alterum iſthic commoror, ſupervenerit, erit mihi gra-
tißimum, quod ipſius fruar alloquio; utcunque iam antea prævidebam,
non licere illi hac tranſire, vel mea forte de caußa. Quod ex alto rideo.
Habeo alias Lubecæ quod agam, ſatiſque neceßario. Nam res meæ
2r atque Inſtrumenta nuper eo appulerunt, quorum quædam || huc recepi,
quædam iſthic in ædibus RANZOVIJ conſervantur. Et nemo adeſt,
qui diſcrete ordinare poßit, quæ et quomodo huc vehenda, ita ut nunc
diſcohærentia attulerint aurigæ, non ſine meo incommodo et temporis
diſpendio. Sunt et alia quædam, quæ iſthic exequi conſtitui, quæ etiam
volens reieci in tempus tui vel ipſius adventus, ne peregre abeßem, ali-
quo veſtrum huc interea ſuperveniente, utque aliquem ex vobis, ſi non
utrunque, eo deducerem, prout res veſtræ ferrent, abſolutis interea
quibuſdam ex meis, quæ præ manibus habeo, et indies urgeo. Vellem
autem, ut tuum ad nos acceßum ita diſponeres, quo Lubeca redux hîc
domi eße queam, ubi adveneris. Quod etiam ipſas, quas tibi iſthic veſtri
2v Politici nectunt, moras, ſponte effectu-||ras prævideo. Promiſit OTTO
LINDENOW, ſe tibi certo traditurum centum illos Ioachimicos, quos
mihi pro curru et tribus equis ſibi venditis debet, quando me accederes.
Rogo itaque, ut ante abitum eos ad te recipias et meo nomine perſolu-
tionis des chirographum, tecumque eoſdem ſumas. Cuperem etiam,
mi amantißime Cognate atque Affinis, quod quingentos vel ſexcentos
Ioachimicos mihi uſpiam, ſub tuo tamen ſilenter nomine procurares,
quos etiam tecum adferre queas. Reſtituet eos ad Paſcha ESCHILLUS
BILLEUS noſter, quem ſatis integræ eße fidei, noſti, ex ijs, quos mihi
debet, duobus millibus. Et ſi opus erit, curia mea Haffnienſis interea
pignoris loco erit, tam pro ſumma quam intereße; aut etiam ædes in
3r ori-||entali platea Haffniæ SCHYRMANNI, quas hypothecæ loco
habeo pro 1000 Ioachimicis, qui illi ad feſtum Paſchatis reſignati ſunt
iam antea. Pendet vero domus quotannis 80 Ioachimicos, intereße pro
millenis paulo maius ſolito, ut res ſatis tuta ſit. Sin vero commode fieri
nequeat, ut hac in parte noſtris deſiderijs morem geras, nolim te nimi-
um ſic occupari, aut ullas adventus tui remoras inde invenire. Caußa,
cur id expetam (ut tibi ſecreto eam communicem, cui his maiora con-
credo) eſt, quod poſt paucas hebdomadas tres ex meis, quos intimos
habeo,

habeo, in diverſa Germaniæ loca ablegare decreverim: inter quos
etiam filius natu grandior erit, qui nunc apud Adminiſtratorem per
menſem abeſt, ipſo ſic volente. Et quoniam emißarij mei præcipuos
Germa-‖niæ Magnates, adeoque ipſum Imperatorem quidam ex ijs 3v
meo nomine acceßuri ſunt, de rebus magni momenti, uti ipſemet facile
coniectari poßis, iſthic acturi, et a me quædam exhibituri, volo ut nihil
ijs ad viaticum deſit, quo minus omnia decenter et honorifice peragant.
Cumque ſumma hîc ſit annonæ caritas, adeo ut triplo ferme pluris
veneant, quam Roſtochij, ubi 700 thaleros intra anni quadrantem in-
ſumpſi, facile æſtimare poteris, quantam hîc, cum familia, quæ 24 per-
ſonas attingit, per dimidium fere annum expoſuerim pecuniam. Sum-
ma vero illa maior, quam mecum accepi, apud Duces Megapolitanos
fœnori expoſita eſt: uti nihil inde repetere liceat ante ſtatutum tem-
pus. ‖ Charißime OLIGERE, te in his facturum, quicquid per te præ- 4r
ſtari queat, omnino mihi perſuadeo. Neque quid amplius peto aut
deſidero. Ego tibi vicißim in quovis officij genere exhibendo quam
lubentißime morem geram. Vale, reſalutatus a meis omnibus quam
officioſißime. Dabantur raptim Wandeſburgi die 22. Ianuarij, quo ipſe
Tabellarius tuas attulit, anni 98.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

OLIGERO ROSÆKRANTZIO, VIRO COR- 2r
DATO ET MIHI AMICO, CONSANGVINEO
ET AFFINI CHARISSIMO.



OBILISSIME Domine OLIGERE, Conſangvinee et 1r
Affinis deſideratißime et præ multis dilecte. Incidit ali-
quid hodie poſt tuum a me diſceßum, quod in ſcheda
memoriali tibi tradita annotatum non recordor: nempe
quod ſit nomen Baronis illius Auſtriaci, qui uxorem in
Cimbria duxit. Illud enim mihi memoriâ excidit. Cu-
perem etiam ſcire, ubinam habitet, et quomodo intitulandus ſit, iuxta
morem vobis conſuetum; quo illi ſcribam convenientius de putidißimo
et mendacißimo iſto Plagiario, cuius hîc facta eſt mentio; atque eorum,
quæ ipſi de eo conſtant, cum mecum ab ERICO LANGIO adductus
eßet, indicationem efflagitem. Admoneas etiam, ‖ an Latinæ linguæ 1v
ſit peritus, nec ne; quo ſciam, an Germanice vel Latine illi ſcribendum
ſit, aut etiam Danice, ſi hoc callet idioma. Vale, et literas Regi deſti-
natas, ad non Regias oblique reſpondentes per hunc nuncium remitte,
quantum otium tibi permiſerit, critizatas, atque gloßis marginalibus
auctas:

auctas: quod etiam ut in prioribus facias, quibus hæ nonnulla reſpondent, rogo; nec te id effecturum diffido, quoniam ſic in te recepiſti. Iamque ulterius et perpetuo quam felicißime vale, mi exoptatißime et deſideratißime OLIGERE. Raptim Wandeſburgi die 14. Februarij Anni 98.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo Hauniensi excerpt. Langebek. 179]

TYCHO BRAHE AD ANDREAM SEVERINI VELLEIUM.



3v NUPER cum OLIGERUS ROSENKRANTZ conſanguineus Affinis et Amicus meus dilectus hîc me per duas inviſißet hebdomadas, redditæ mihi ſunt unâ cum CHRISTIERNI LANGIJ tuæ literæ, ad quas tunc reſpondendi commoditas non dabatur. Videntur hæ ultimæ tuæ, licet lenire et excuſare quædam in prioribus laborent, a primis tamen illis motu proprio ad me datis [non] longe abeße, et privilegijs ſcatere iudicis, quæ tamen tibi lubens condono, ſiquidem non aliter vis. Obijcis ab initio poſt ea, quæ de LANGIO et Anglicis literis habes (ad quæ poſtea reſpondebo) quod iter tuum iuxta promißum non præſtitum arguam. Et quid ni? cum ſponte promiſeris, nec præ-
4r ſtiteris? Valetu-||dinem tuam, rem domeſticam et anni tempus tunc æque noras atque poſtea. Miraris igitur me ita ſingula tua verba et iota notare. Atqui ſcis me ſemper Geometrice loqui, cum ſerio loquor. Quod et in alijs, præſertim Amicis, quibus bene fido, et requiro et obſervo. Quorſum enim verba, niſi rebus conſona? Hoc ego idem ſentio atque illudere et negligere. Neque perinde eße, ac candide, aperte et libere agere, uti tu vis. Immo quiddam his repugnans.

Quod aliquo loco non ſis inter reliquos Phariſæos et Gnathones, equidem tibi congratulor, nec hanc felicitatem invideo. At quod non talia antea affectâris, quodque adhuc ijs, ſi liceret, te participem non redderes, haud dixerim. Si autem me hîc fallis, eſt cur tibi hanc animi celſitudinem et conſtantiam magis adhuc congratulor. Et ſi nunc ex Politicis non pendes, veluti antea, cordatius forſan agis. Eorum fructus ſunt præ foribus. Cudentur Machiavelliſtarum doli et technæ in ipſorum, uti meriti ſunt, capita. Quod et hactenus iuſtus iudex exequi ſolitus eſt. Quod prandio alicuius interfueris, nihil ad me. Neque ob id ea de re mentionem feci, quia hoc morarer, ſed quoniam tu occaſionem dabas de ERICO LANGIO et me quædam addendo, quæ tamen neuter
† noſtrum curat. Si talibus, qui aſtutam vapido ſervant ſub pectore vul-

 pem,

pem, fidis, te ipſum decipis. ‖ Qui et quales eiuſmodi ſint, fere omnes in 4ᵛ
Dania norunt, atque in poſterum plus forte noſcent. O patria, o mores.
Omnia nunc ruere in peius fata ipſa docebant. Si tibi deinceps vixeris, †
uti ſcribis, rectißime feceris. Nam uti nunc agitur ſcena Mundana, ſi
unquam antea, locum meretur illud NASONIS »*nimium præluſtria*
vita«, et »*bene qui latuit, bene vixit*«. Quod mihi iam tandem con- †
gratularis mutationem hanc et ſortem aliam, rectius facis, quam cum
prius eandem indoleres, tanquam invidens mihi hanc felicitatem. Sic
enim ego infirmas accipio querelas. Et, ſi ſufficienter delictum illud
expiare volueris, tacita quædam pſalmodia Uraniæ noſtræ omnibuſ-
que nobis Propempticum concinna, quodque ea e Cimmerijs, non dico
Cimbricis, tenebris, quibus diu multumque offuſcabatur, ſeſe tandem
Superum dono et proviſu vindicârit, atque in apertam et gratam Uni-
verſæ Europæ lucem univerſalior reddita aßeruerit, congratulare; no-
bis autem, quod tot Machiavelliſmis, iniurijs, odijs, invidijs, malevo-
lentijs, calumnijs et detrectationibus atque contemptibus ſuperatis tran-
quilliori auræ reſtituti ſimus. Hiſce igitur ſi Carmine aliquo, uti Poëta
es, applauſeris, ‖ appoſite feceris et in gratiam cum Urania nobiſque 5ʳ
omnibus redieris.

Rogas deinceps, ut deſinam minuta quæque in literis tuis non recte
intellecta exaggerare. Te ſcripſiße, quod tu cum familia mei eßetis amici
in Dania deſpecti, me ſtatim accepiße, vos a me deſpectos. Atqui tua
non tam clare ſonabant verba, pro ut nunc ea explicas. Aiebas enim:
Vale, ſalutatus a tuis amicis in Dania deſpectis. Non addidiſti, te
aut tuis. Ideoque tuam ſententiam prima fronte non ſatis aßecutus ſum.
Ingerebat hoc dubium, quod ſcirem, mihi in Dania a calumniatoribus
imputari, quod in deſpectum patriæ, Regis, conſangvineorum et ami-
corum inde diſceßerim. Et ſane OLIGERUS ROSENKRANTZIUS,
cui hæc tua verba legenda dedi, non aliter capere potuit, quam ac ſi
tale quid inſinuares. Obſcurius enim quam decuit, ſcripta ſunt. Nec
ego plane aßerui, te quidpiam in me loqui. Ideoque addidi: »*ſi recte*
tuam mentem percipio« aut ſimile quid. Et quod tu infers, me exce-
piße, quaſi vos me deſpiceretis, ſcilicet tu et tui, id non ſaltem eſt mi-
nutula quæque exaggerare, ſed et ſenſum meum quaſi data opera plane
pervertere: cum de te et tuis, ‖ quos ſemper dilexi atque etiamnum di- 5ᵛ
ligo, nihil ſiniſtri ſuſpicer, ſed in genere de meis in Dania malevolis
locutus ſim, a quibus deſpicior, eoſque vicißim ex alto rideo et deſpicio,
ſi quando præ altioribus curis eorum (quod tamen rarißime facio) me-
miniße lubet. Tuos caſus, tuaque infortunia magna ex parte ſcio, et
horum authores non ignoro. Habemus enim hîc mutuo participatio-
nem quandam, licet mihi nihil mali inde evenerit, ſed longe plus boni
etiam invitis authoribus. At nihil tibi hîc exprobro, condolui ſemper,
et

et amovere iſta ſtudui et cum quorundam ex meis offenſione, et plus pro te laboravi, quam conſcius es, aut facile crediturus. Norunt id utriuſque noſtrum, non ſaltem Amici, ſed et inimici, tum quoque neutrales.

† Quod neque tu neque ego moriemur inulti, omnino mihi perſuadeo. Nam iuſtus eſt Deus, etiam tacentibus et patienter ſuſtinentibus, et quæ immerito pertulerunt hominibus, illi vindicta danda eſt, *oc hand vil rette det nod, om * Thule nogen ſdoon end aldrig leffde eller haffde leffuet:* Non tamen Planetarum revolutiones præficiendæ ſunt ei, qui libere et ſine tempore, in tempore tamen ſatque tempeſtive agit.

Demum de victualibus mentionem facis, quod primum et præcipuum 6r eße || [de]buit. De his enim nunc maxime agitur in tanta hîc annonæ caritate, quanta vix unquam fuit, et familiæ meæ propria, quæ quartum attingit ſeptenarium, præter eos, qui indies inviſunt. At tu videris hîc aurem claudere, *paa danſche at være ſchulørit, oc icke gide høret oc mercket ret.* Nam quid pro quo infers. Satis ſcio, etiam abſque tuo iuramento *(ſaa ſandt hielpe mig Gud)* (an hoc Theologicum eſt?) quod ſi præſens ipſe fuißem, non potuißem iſta expedire aliter ſine rerum diſpendio: ſcilicet poſtquam hyems intervenißet, portus concluſi eßent, nec terreſtre iter commodum foret. At antea, dum primas iſtas tuas ſcribebas, nulla eiuſmodi erant obſtacula, aut ſi qua erant, quare adeo categorice promiſiſti? quare tot tantaque præſtanda enumeraſti? Sororem etiam meam in auxilium vocans, a qua ne verbum intellexi, licet ter eidem ſcripſerim. Crediderim vos omnes excellenter iudicare. At ſi quid vobis Scanicæ, id eſt veræ et fidei tenacis, reſtat mentis, en nulla nunc adſunt ſubterfugia, quin recte facere liceat, modo libeat. Ego nullum in me officium ingratum eße ſinam. Et ſi adhuc acceßeris unâ cum LANGIO aut etiam ſolus ſine ipſo, idque ante Paſchatis feſtum (modo fieri queat) inprimis erit id mihi acceptum et eo plenius priora diluentur errata. Vale cum uxore a me ſalutata, totaque domo. Dabantur Wandeſburgi die 18. Februarij Anni 1598.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

IACOBUS MONAVIUS AD TYCHONEM BRAHE.

S. 1r

ONA quidem fide, ſed paulo tardius mihi redditus eſt et in manus meas pervenit faſciculus ille, quem circa finem anni ſuperioris ad me miſiſti, Nobilißime et præſtantißime Domine TYCHO, magnamque debeo gratiam Viro optimo et amico integerrimo Domino VINCENTIO MOLLERO, quod in eo curando voluit tibique mihique gratificari. Vix autem poßum exprimere verbis, quam grata mihi fuerit Epiſtola tua, tam amice ſcripta, et quam accepta ea, quæ unâ cum literis tuis ad me pervenire voluiſti. Cæterum quod tam ſerum reſponſum mitto, non tantum fit eam ob cauſam, de qua dixi, ſed etiam propter invaletudinem meam, quam totis fere tribus menſibus ſenſi prorſus incommodum, et quæ me velut ineptum fecit ad omnes res agendas. Nondum quidem ab ea ſum prorſus liberatus. Sed tamen per Dei gratiam, habere cœpi melius, et ſentio vires tum animi tum corporis non parum firmiores, quam fuerunt. Deus Opt. Max. ſi volet, poterit hoc robur augere, idque tantum cupio fieri ad gloriam ſancti nominis ipſius, et ad animæ meæ, quæ mihi eſt cura in his terris præcipua, ſalutem. Quod attinet ad famam obitus mei iſthuc ad te perlatam, unde tibi data occaſio faciendi mentionem nominis mei in Epiſtolis tuis, fa- † cile potuit hic error committi in aula Cæſaris, ubi fratrem habui unicum Medicum Imperatorium, Virum, quem ab alijs, quam a me prædicari malo, qui [ante] annos decem obijt Pragæ. Quia autem hic error tibi expreßit tam honorificas et amicas voces de me, ut inde, quanti memoriam nominis mei poſt obitum || meum facturus fueris, æſtimare 1v liceat: agnoſco me plurimum debere tuis erga me amori et animo, quem ut mihi conſerves, donec vixero, obnixe rogo; ego vicißim, donec in hoc corpore ſangvis erit, te vicißim amare obſervare et colere ... prædicare et laudare non deſinam. Frater ille meus charißimus, cuius modo feci mentionem, erat rerum Mathematicarum et amantißimus et intelligentißimus, ac propterea tui quoque unice obſervans et ſtudioſus: ac illum ſæpe hoc egiße [ſcio] ut amicitiam tuam conſequeretur, a qua cura etiam non abſtinuißet, ſi Deus ei longiora vitæ ſpatia conceßißet. Nunc in alia Schola philoſophatur, coram Deum cernens, et cœlos opera manuum eius contemplans ...... amori erga fratrem, ſi memoriam illius hoc loco tibi volui commendare. Cæterum quod ad diſceßum tuum e patria, et præſertim ex Uranoburgo attinet: primum de eo certior factus ſum, ex literis communis amici Domini DAVIDIS ..... poſtea enim

enim plenius edoctus de omnibus illis circumſtantijs a CHRISTIANO SEVERINO LONGOMONTANO, qui circa finem anni ſuperioris ad nos venit .... et quem per aliquot dies apud nos retinuimus, et hoſpitem gratißimum habuimus; atque utinam tunc venißent ad me literæ tuæ, cum adhuc apud nos hæreret. Erat enim de te valde ſollicitus et hac inprimis de cauſa.

Ego quidem de ijs quid dicam? Cum eßem aliquando Magdeburgi, 2r vidi ſuper domo quadam aureis literis inſcriptum ſaxo, || quod erat ſupra fores, hunc ineptum ſenſu, ſed reipſa nimis verum verſum: *Eſt erit atque fuit* Vndanck *in fine laborum*. Hic verſiculus mihi ſubinde venit in mentem, quando de te rebuſque tuis cogitavi. Sed et hoc mihi incidit, quod ſi mundus hic non ſit dignus iſtis Atlanticis bonis et donis noſtri TYCHONIS? Etiam hoc cogitavi, quod ſi hæc Τύχη, quæ Domino TYCHONI contigit, nunciet inſtare finem mundi? Utut ſit, adhuc valde dubito, tuamne vicem [an patriæ potius tuæ], imo totius Reipublicæ Chriſtianæ magis dolere debeam. Legi diligenter, quæ ad me miſiſti, et pro ijs communicatis magnas tibi gratias ago, neque eſt, ut putes, ea ventura in manus aliorum. Miratus ſum Regem nihil voluiße conferre in hæc ſtudia, Regibus et eorum ſubſidijs atque [adiumento] dignißima, qui tamen nuper tantos ſumptus fecit in coronationis feſto. Aliud fuit iudicium ALFONSI: imo aliud etiam ipſius patris FRIDERICI. Nolo de his plura; in quibus tamen hoc etiam addo, me idem facere, quod tu facis, hoc eſt diſcernere Actorem a Poëta fabulæ. Facis tu etiam hoc præclare, quod tanto animo (nimirum cœlo et aſtris digno) hæc quæ tibi contigerunt, fers, nec propterea cogitas aliquid omittere in laudabili curſu abs te ..... et olim inſtituto, et per tot annos ſervato, ſed quod cogitas ad metam uſque illum ..... Da hic Deus ut perficias quod cœpiſti. LAZARUS .... vir magnanimus frequenter in ore ſolitus fuit habere verſum iſtum: *Eße aliquid ſi velle tenes, et poße tenebis*. Tibi 2v vero datum eſt et velle et poße. Amplißimi || viri D. HENRICI RANZOVIJ maior nunc erit gloria, et fiet ipſius nomen illuſtre clarius, poſtquam Muſis tuis hoſpitium condit. Erit enim vicina urbs Hamburga, tibi ſatis oportuna ad abſolvenda ea, quorum editio fuit cœpta in Huenna. De conſilijs tuis, quæ apud .... meum deponis, diligenter cogitavi, et ſpero ea ſic geri poße, ut [non] plane careat ſucceßu, verum opus erit tempore: cum nunc omnia, quæ aguntur in aula Cæſarea, tantum ... . Martem in hoc gravißimo Reipublicæ chriſtianæ periculo, quod hoc anno non ſine cauſa (Deus omnia avertat) metuitur. Agam interea, quantum nunc agi poteſt per amicos, ut quaſi via quædam ſternatur, ad ea, quæ ſunt deinceps ..... cura et opera tractanda; faciam te quoque certiorem de rebus omnibus, quæ argumentum facere ad ea, quæ ſane tui animi, conſilij et inſtituti.... Si viveret adhuc Dominus IACOBUS

BUS

BUS CURTIUS, quantopere oſtenderet ſibi eße cordi et curæ res tuas et negotium publicum! Sed tamen ſpero, non defuturos aliter etiam in aula amicos, de quibus alio tempore, ſi Deus volet, rebus magis exploratis te monebo. Pro tranſmißo libro Epiſtolarum, qui mihi a te eſt amplißimum munus, magnas ago gratias, et peto magnopere, cum reliqua tua, quæ iam cœpta ſunt, ad finem perducta fuerint, ut ijs etiam ...... meam ornare non recuſes. Dabitur opera, ne te huius ...... et beneficij iure et merito pœniteat.

Literas tuas ad IOHANNEM ROTHMANNUM, quem cognovi ‖ nunc vitam agere in Republica Erfurdenſi, per certos homines curabo, 3r ſi quid aliud a me poſtulas fieri, ſemper tibi parata erit pro viribus fida mea opera. Ex CHRISTIANO tuo hoc etiam libenter cognovi: Te nimirum natum eße eodem et anno et menſe, quo ego ſum in lucem editus, valde etiam delectatus ſum, inter ... quæ nunc mecum communicaſti, lectione carminum tuorum ad .... quæ non legi ſine varijs animi perturbationibus. Multa enim de multis, tum tuis tum ijs quæ ſunt ſimilia, cogitavi. Geram tibi morem in eo quod petis, et curabo, ne aliquis te non indignus .... de rebus tuis, quæ te digna ſint. Tu vicißim, ſi non eſt moleſtum, exorna meum Symbolum aliquo Epigrammate. Quale ſit Symbolum meum, cognoſces ex noſtro VINCENTIO MOLLERO, qui, ſi voles, dabit tibi legendum Libellum quendam noſtrum, quem de eodem Symbolo curavi ..... publice edi. Equidem miſeram ad te exemplum, quod doleo perijße. Si poſtuletis aliud, non invitus communicabo. Interim habe tibi hanc inſcriptionem ..... mei.

Salutat te reverenter amanter et officioſe optimus ſenex Doctor HERMANNUS noſter, cui vix credas quam grata fuerit ſalus et abs te dicta, et nomine præſtantißimi ſenis ...

Si non eſt moleſtum, rogo ut meis etiam verbis reverenter et officioſe ſalutes Illuſtrem Dominum HENRICUM RANZOVIUM, qui ſuam erga me benevolentiam ſemel et iterum mihi declaravit. Tu eam, ſi placet, augebis et con-‖firmabis. Et quoniam HEMMINGIJ veſtri facta 3v eſt mentio, tuque de eo nunc liberius ſcribere potes, rogo te per amicitiam noſtram, dic mihi in aures meas, an fidem mereatur hæc incluſa pagella, quæ ante aliquot annos fuit circumlata.

Deus ſcit me iſtud quærere nec malo animo, nec ad malam fidem .... enim amo et colo iſtum optimum et optime meritum ſenem, quem aliquis cum poteſt amare et colere, ſed tantum cœpi mihi conſtare hiſtoriam rei geſtæ, de qua mihi et alijs ſemper iure integrum iudicium. Bene et feliciter vale, vir præſtantißime et Nobilißime, mihique conſerva tuam ...... benevolentiam, cuius fundamenta prima, eaque tunc valde tenuia ...... ſunt ante multos annos ..... cum ex tuis peregrinationibus reverſus per aliquot ſeptimanas viveres in domo et menſa

hoſpitis

hoſpitis tunc mei M. LAURENTIJ DANI. Ego te amare et obſervare, et meam tibi fidem quocunque potero genere .... nunquam deſinam. Vratiſlaviæ VII. Martij tempore eclipſeos Solis 1598.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

DEM GESTRENGEN, EDLEN VND ERNVESTEN HERREN TYCHO BRAHEN ITZO ZU WANDESBEGK, MEINEM BESONDERN GUNSTIGEN LIEBEN HERREN VNDT FORDERER.

GENEROSE et Magnifice D. TYCHO, omni cum obſervantia colende mihi Domine. Negotium commißum apud D. IOANNEM BŒKELIUM, quomodo confecerim, a M. V. ex ſcheda inſerta apparebit. Duci OTTONI Brunſvicenſium et Luneburgenſium de ſententia M. V. diligenter ſcripſi. C. ipſius omnino acquieſcit et . . quod M. Veſtræ commodum futurum eſt. De acceßu Reginæ in hanc civitatem nihil ad me perfertur, ſicut et ex filio nihil tale accipio. Verum is, quæ alias publice et notorie ſparguntur, confirmat. M. V. et mihi quoque ubi vacaverit a negotijs, ... dabo operam, ut illam inviſam. Reliqua committo prudentiæ M. V. Quæ ut cum ſuis optime valeat, toto pectore opto. Datæ raptim Hamburgæ XI. Martij An. 1598.

M. V. omni cum obſervantia
qui colo
VITUS WINSHEMIUS.

[Ex apographo Hauniensi excerpt. Langebek. 178; cf. apographum manu scriptum in fine exempli Hauniensis P. J. Resenii *Inscriptionum Haffniensium* (Hauniæ 1668)]

TYCHO BRAHE AD IOSEPHUM SCALIGERUM.

1r S. P.

DIU multumque in votis habui, Illuſtris Domine IOSEPHE SCALIGER, cum adhuc in Dania Patria mea morarer, ut tecum per litteras amicitiam contraherem, præſertim cum a pleriſque iſthinc ad nos venientibus tuum in me, licet de facie tibi ignotum, candorem et benevolentiam aliquoties perceperim, ſed ſemper aliquid intervenit obſtaculi, quominus id efficere commodum fuerit. Nunc autem, cum hunc Nobilem et doctum adoleſcentem FRANCISCUM TEGNAGLIUM

TEGNAGLIUM mihi domeſticum et meæ e Dania migrationis comitem in Bataviam ablegarem, non intermittendum duxi, quin aliquid ſaltem ad te litterarum darem, utut iam eßem occupatißimus. Ad quod me etiam non minimum invitavit excellentißimum et laborioſißimum illud opus tuum redintegratum de Temporum Emendatione, quod his ipſis diebus primum accepi, atque quantum per negotia licuit, perluſtravi. Nec poßum ſatis mirari exactam tuam in eo concinnando diligentiam, pari iudicio atque eruditione coniunctam. Debet tibi ſane vel pro hoc ſolo labore (ut cæteros illos præclarißimos a te exantlatos prætercam) omnis poſteritas immenſas gratias, quod temporum epochas et rationes tam ſedulo et ſubtiliter extricare volueris. Nec curandum ſi qui (uti fit) inveniantur ingrati Zoili, quales et hactenus nonnullos habuiſti, qui e contradictionibus famam venari ſatagunt, ſed ex alto deſpiciendum. Memini, me cum ad quendam eorum mihi Heidelberga ſcribentem litteras reſponſi loco darem, de te ipſum (ſiquidem is occaſionem præbuerat) diſcrete admonuiße, ut te tuaque ſuſpiceret potius quam vellicaret, atque a talibus contradictionibus abſtineret, vel ad minimum ut modeſtius et maiori verecundia rem ageret. Quid hoc pacto apud ipſum profecerim, ignoro. Nam poſtea inter nos altum ſilentium.

Reperi in hoc novo tuo volumine, dum illud evolverem, te alicubi circa finem facere mentionem mearum obſervationum, quas circa utrumque Æquinoctium in Dania habui, eaſque cum Hipparcheis conferre, ut anni Alphonſini a te nunc aßumpti magnitudinem probares. Ago autem tibi officioſe gratias, quod tam honorifice et candide mei et mearum inventionum iſthic memineris, et cuperem, ut hæc ipſa uberius adhuc expenderes, conferendo nimirum HIPPARCHI omnes obſervationes, ſed prius limitatas, ut ſibi invicem, quoad fieri poterit, correſpondeant, aut ſeligendo eas quæ exactiores videbuntur; hac tamen adhibita cautione, ut is annus Iulianus retro numeratus eandem cum noſtro, qui adhibetur, habeat reſpectu bißexti rationem, ita ut vel ambo ſint bißextiles vel pariter hinc removeantur. Ideoque noſtra Tabella utriuſque Æquinoctij, quam e primo capite Progymnaſmatum Aſtronomicorum aßumpſiſti, eos annos continue exhibet, qui ab uno in alterum bißextilem includuntur. Pluribus enim opus non erat, licet multos præterea in promptu habeam pariter ſibi invicem correſpondentes. Optandum ſane foret, ut veteres parem in his præſtitißent accurationem, quod tamen ab ijs factum non eße, propriæ eorum annotationes, ut tu quoque non iniuria arguis, produnt; utique magis indubiam Anni Cœleſtis rationem, quoad minima momenta, nunc obtineremus, præſertim ſi a pluribus Artificibus per aliquot interlapſa ſecula res nunquam hians aut claudicans comprobata eßet. Quin et

utrobique

utrobique medium Æquinoctium capiendum, ut intricatio ea, quæ ex Apogæi et Eccentricitatis mutatione provenit, præcaveatur. Conducit etiam ALBATEGNIJ Aratenſis intermedias Obſervationes in conſilium adhibere. Quibus omnibus rite expenſis et adhibita in ſingulis 1v cautela, quod ‖ parallaxin ☉ inter obſervandum Æquinoctia forte neglexerint, atque his etiam Æquatoris inclinationem non ſatis ſcrupuloſe applicârint, dummodo ex altitudine ☉ meridiana in utroque ſolſtitio Poli ſublimitatem rimati ſunt, exiſtimârim de Alphonſina Anni quantitate nonnihil adhuc deceßurum, ita ut vix 49 minuta ultra inte- † gras horas explere poßit, nedum ea in 6 H. excederet. Si itaque omnes quas habes obſervationes Hipparcheas tam in Æquinoctio vernali quam autumnali in Tabella diſcrete expoſitas (annotando ubique qualis iſte annus fuerit reſpectu bißexti Iuliani) mecum communicaveris, dabo operam, ut hæc cum noſtris ulterius collata exactum quid non tantum anno Civili, ſed et Aſtronomico præfiniendo ſuppeditent. Et ſi plures in promptu tibi ſunt vetuſtißimæ Æquinoctiorum Obſervationes, diligentiam aliquam redolentes, eas etiam pari modo impertiaris, quæſo. Tum quoque de Epocha antiquißima illa Iudaica, quando Æquinoctium die 21. Aprilis ſex horis a Meridie extitiße creditur, ſi quid indubitati habes, unde id probari queat, et ad quem meridianum referendum ſit, atque quomodo hic annus ad bißextum ſeſe habuerit, quantumque ab hiſce temporibus citra omnem ambiguitatem diſtiterit, expone et plenius de his omnibus, quæ a te collecta, mecum per litteras agere non degravare. Erit id mihi longe gratißimum. Quicquid vicißim mea opella præſtari queat, quod tibi acceptum ſit, habebis me ſemper ex voto. Fieri autem poteſt, ut nonnulla horum in hoc libro tuo elucidaveris, quæ adhuc explorata non habeo. Nam mihi accurate eum relegere plurimæ occupationes nondum permiſerunt. Porro referet dictus adoleſcens quædam ad te meo nomine ſecreto, de quibus tuum iudicium et conſilium cognoſcere averem. Is etiam plura, cum mearum rerum ſit conſcius, de ijs aperiet. Quare ut ipſum benigne audias, tibique commendatum habeas, etiam atque etiam rogo. Vale vir tam doctrina quam genere revera illuſtris. Dabantur ſubito Wandeſburgo ex Arce Ranzoviana, quæ eſt prope Hamburgum, die 14. Martij Anni 1598.

Illuſtris tuæ Magnif. ſtudioſiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD CHRISTIANUM LONGOMONTANUM.

ILECTE CHRISTIANE, ſcripſit ad me ante paucos dies 1r IACOBUS MONAVIUS Vratiſlavienſis, Amicus meus integerrimus, te ſub finem anni præteriti Vratiſlaviam veniße, et diſceßus mei cauſas e Dania per omnes circumſtantias ſibi retuliße, tum quoque te admodum de me ſolicitum fuiße, atque hac inprimis de cauſa inde abijße Lipſiam. Quod ſane mihi auditu pergratum fuit, dum te ita animatum agnoſco. Ego tibi vicißim ex animo bene favere atque ad meliora quæque promovere non intermittam. Indicavit inſuper ibidem MONAVIUS, quod te ad ſororem WITICHIJ B. M. deduci curaverit, ubi omnes illius libros perluſtraveris. Rogo itaque ut de ijs, qui et quales fuerint, præſertim manuſcripti, et an eos vendere velit, qualique pretio, mihi ſignifices. Vidiſti proculdubio plagiarij mei impuri illius URSI maledicentißimum ſcriptum, in quo præter alia innumera convitia meo et meorum honori non parcit. Ego quidem refutatione illum indignum cenſeo, cum omnes modeſtiæ limites imo honeſtatis longe tranſcenderit; efficiam || tamen ut non impune ferat. Cum vero 1v tibi de plagio ipſius tum quoque omnibus circumſtantijs procul dubio ex aliorum, qui tunc adfuerunt, relatu innotuerit, rogo in charta deſignare velis, quidnam hac de re a tuis apud me commilitonibus inaudiviſti. Ego quidem nonnulla adhuc recordor, ſed poterant aliqua tanto temporis intervallo, et inter tot alias curas mihi facile excidiße; tum quoque quid alij in Academijs, ubi interea fuiſti, de hoc maledico ſcripto ſentiant. Verum ut tecum plenius non tantum de hoc negotio, quod ex alto deſpicio, ſed et de alijs quibuſdam longe maioris momenti loqui queam, antequam ad ulteriora hinc peregrinationem ſuſcipiam, atque plus forte diſiungamur, cuperem quam maxime, ut meis ſumptibus actutum huc Wandeſburgum, dimidio ſaltem milliari Hamburgo remotum, te conferres, quo de neceßarijs quibuſdam tecum præſens agere queam. Neque enim omnia chartis committere commodum eſt. Si viaticum tibi ad manus non eſt, mutuo ab aliquo pete, vel oppignora quid, a me, qualecunque tandem ſit, bona fide redimendum, aut aliquis pro te ſpondeat. Faxo ut illi ſit indemne. Non eſt quod verearis, ne te hîc ultra voluntatem detineam, nam ipſemet || non conſtitui hîc 2r diu manere. Eſt nunc apud me IOHANNES MOLLERUS Electoris Brandenburgici Mathematicus, qui Hvenæ in coronatione (ut ſcis) nobis aderat. Is negotijs præeſt Aſtronomicis et ſtudioſis meis, quos hîc non minus quam antea Uraniburgi haud paucos ſuſtento. Vide

iam,

iam, mi CHRISTIERNE, ne fallas exſpectationem meam, ſed quam primum te hîc ſiſtas. Invenies me vicißim gratum, ut huius pro me ſuſcepti itineris te neutiquam pœniteat. Sume tecum exemplar † Ephemeridum novarum N. EVERHARDI e novis (ut iactitat) Tabulis ſupputatarum, quod illas in aliqua Academia facile nanciſceris, et ſi quid aliud noſti, quod meis deſiderijs conveniat. Hamburgi hic liber venalis non eſt. Mihi nihil præter ſolum eius libri titulum in catalogo hucuſque videre licuit. Vale, et confeſtim, prout tibi confido, ad nos advola. Raptim Wandeſburgi die 24. Martij Anni 1598.

TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD VITUM VINSHEMIUM.

1r EXCELLENTISSIME Domine Doctor VINSHEMI, Amice honorande. Accepi nudius tertius ab OLIGERO noſtro literas, in quibus facit circa calcem mentionem librorum, qui adhuc apud Dominum D. BŒKELIUM reſidui ſunt, quos omnino obtinere deſiderat, et æquum ſane eſt, ut, ex quo pecuniam totam is receperit, libros omnes tradat, aut ſe ita apud OLIGERUM purget, ut ſit contentus. Ego conſanguineo meo et affini amicoque intimo deeße non poßum, quin procurem id, quod a me requirit. Si ſponte BŒKELIUS hoc præſtare noluerit, cogor iure rem agere, utut id libenter non facerem. Rogo ‖ 1v itaque peramanter tam OLIGERI quam meo nomine, velis adhuc ſemel apud ipſum urgere, ut ſtet promißis. Excuſationes, quas ultimo adduxit, vix accipiet OLIGERUS, nam ille aliter ad me rettulit ea de re, imo VESALIJ Anatomiam mihi dono dedit, licet ego id recuſarim, niſi alium ex meis libris æquivalentem eius loco habere vellet. Nec valor eius eſt maior ſex vel ſeptem Ioachimicorum, etiamſi de novo ematur. Fac itaque, mi Domine Doctor VINSHEMI, ut OLIGERI expectationi ſatiſfiat, et ſchedas, quas hac de re ultimo accepiſti, remitte. Scripturus enim ſum hiſce diebus OLIGERO et negotium hoc expoſiturus. Vale, et ſi quæ nova ſcis, indica. Raptim Wandeſburgi die 28. Martij Anni 98.

[Ex adumbratione in codice Vindobonensi lat. 10686^{24}]

TYCHO BRAHE AD IACOBUM BORDINGUM.

S. P. 1^{r}

LARISSIME et Excellentißime Domine Doctor BORDINGE, Cancellarie dignißime et Amice honorande. Cum hic Mechanicus ſenex M. PETRUS IACHENOW denuo iſthuc a me rediret, non omittendum duxi, quin ad Illuſtrißimum Principem ULDARICUM, Dominum meum Clementißimum, aliquid literarum ſubmiße darem, ſiquidem eius Cel^{nis} Clementißimam erga me voluntatem indies magis magiſque experiar. Rogoque ut ipſius Cel^{ni} eaſdem meo nomine ſubmiße offeras atque in meliorem partem interpreteris, ſi quid liberius, re ſic urgente, indicavi, idque in ſilentio ſecreto prematur, cum ex eâ, quam erga Illuſtrißimum illum et optimum Principem, tum quoque te, gero fiduciâ, ſinceroque animo proficiſcantur. Poterunt hæc forte nimis audacter prolata cenſeri, ſiquidem veritas plærumque odioſa ſit; attamen ſi rei molem et eorum, quæ mihi immerito contigerunt, cumulum ſpectemus, vix ſupremis labris attigiße, quæ dicenda forent, videbor. Verum ego hæc omnia Deo committo. Veritas temporis filia aliquando forte prodet, quid æque aut inique factum ſit. Illmo Duci necdum quidpiam reſponſum eße, etiamnum intelligo. Quod et præſagiebam. Quale reſponſum ad meas receperim, ex ijs utcunque intellexiſti, quas Lubecâ tibi perſcripſi, cum inde Inſtrumenta mea et ſupellectilem librariam huc tranſferri curarem. Quare

Sat Patriæ noſtriſque datum, nunc Teuthona tellus
Excipit, et Patriam largitur maximus Orbis.

Curo quædam ex meis Operibus hîc labore Typographico compleri, quæ, ubi abſoluta fuerint, vobiſcum communicabo. ‖ In re pecuniariâ 1^{v}
me iſthic concernente ſatis actum eſt. Recepi literas fideiußorias et priores reſtitui.

Novarum rerum nihil peculiare eſt, niſi quod res compoſita dicatur inter Pontificem et Ferrariæ Ducem. Batavos ſe abſentare et tractationem de pace averſari, neque enim hoſtibus ſatis fidunt tam ſæpe circumventi. Novam Reginam in Anglia electam frementibus Scotis narrant. Nihil tamen adhuc certi conſtat. Vobis proculdubio iſthic his plura et certiora innotuerunt. Rex noſter Ser^{mus} fuit apud Dominum RANZOVIUM Bredenbergæ præcedente hebdomadâ ab eo iſthic magnifice et ſplendide exceptus et mox inde Haderſlebiam recepit. Plura nunc non vacat. Sum enim occupatißimus. Tu vero mi amantißime

tißime

tißime Domine BORDINGE quam felicißime vale, meque ſolitâ benevolentiâ (quemadmodum et ego tui amorem non deponam unquam) conſtanter proſequere. Raptim Wandeſburgo die 29. Martij Anni 1598.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii; cf. *Epistolæ ad Ioannem Keplerum scriptæ* ed. Hansch (1718) p. 114 sqq.]

7v DOMINO OLIGERO GEORGIJ F. ROSENCRANTZIO DANO, DOMINO HÆREDITARIO IN ROSENHOLM, ET INTER NOBILES DOCTO, INTERQUE DOCTOS NOBILI, DOMINO ET AMICO SUO IN ÆVITERNUM COLENDO ΕΙΣ ΧΕΙΡΕ.

TICHONI BRAHE NON MINUS APERIENDAS ET LEGENDAS.

1r ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.



INAS tuas literas, illas Lubeca, has Hamburgo ad me datas, quam blande exoſculatus fuerim, Generoſe ROSENKRANTZI, animus meus tibi multis acceptis beneficijs devinctus a multiſque perſpectus annis tanquam in ſpeculo et tabula apud te loqui poteſt, lingua non poteſt. Tute enim noſti, quam impenſe te amem, colam, quantique faciam, ut quoties literas tuas video, frigidam toties mihi ſuffundi, et ad curſum amicitiæ protenſiorem me inſtigari a te perſuadear. Quod cum intelligere te ex literis tuis intelligam, non eſt, quod pluribus tibi fidem faciam. At vero quantumvis dulcis mihi utraque tua fuit Epiſtola, amariores tamen aliquanto fuerunt, quod ſimul in illis de plagio Liddeliano in illuſtrem Aſtronomum TYCHONEM BRAHE, conſangvineum et affinem tuum, virum multiplici ſcientia admirandum, narrabas. Quod magis animum percellebat, quia ipſe Dominus TYCHO ſuis idem ad me literis teſtatum reddiderat. Querebatur tecum de ſingulari tum impudentia, tum ingratitudine DUNCANI LIDDELIJ Scoti, qui nunc in Inclyta Iulia Matheſeos Profeßorem agit, quod is non tantum literis ad ſuos privatim datis, ſed et ex publica prælectionum ſuarum cathedra Tychonianarum Hypotheſeon
† ſe primum eße inventorem ſit gloriatus. Querela illa certior fuit, quod multis bonorum virorum teſtimonijs et literis videbam TYCHONI fidem eius rei factam luculenter, et gravior, quod is non ſolus, ſed et cum alijs duobus Plagiarijs tantum facinus in TYCHONEM auſus fuißet.
1v Indignabar mecum ‖ et ridebam tamen cum Phavorino cornices illas, homines in alienis plumis tripudiantes, ridiculos, quod ambitioſe ad maiora aſpirarent, odioſos, quod ea conſequerentur apud quoſdam, miſerabiles, quod tandem apud omnes laude turpiter exciderent. Solent

lent enim ſubventanea (quod aiunt) parere, qui laudem ex fuco virtu-
tis, non ex virtute, concipiunt. Hac ſpe potuißem ego et meum et tuum
animum tranquillum reddere, niſi inſuper adiectum fuißet, quod pro-
pius me tangit et pungit acrius. Legi enim LIDDELIJ illius verba, quod
is in teſtimonium Plagij ſui (cuius tamen TYCHONEM præpoſtere
inſimulare vult) me teſtem invocet et adducat. Sic enim ſcribit: »*Pri-
mas meas theorias iuxta triplicem hypotheſin ſatis imperfectas,
quas ante ſeptennium Roſtochij propoſui, TYCHO a Doctore CRA-
MERO Paſtore nunc Stetinenſi accepit.*« Sic ait. TYCHO BRAHE
ergo inventa ſua hauſit ex meo libro, ex LIDDELIJ prælectionibus, qui
harum hypotheſium inventor eſt, qui primus deduxit, qui primus ex-
plicuit, ſi Dijs placet, atque in eius rei teſtimonium fide dignum, egone
a LIDDELIO aſciſcor? Obſtupui, ingenue fateor, ubi hæc lego, me in
falſum rei teſtimonium dicendum vocari, et abuſu mei nominis (quod
hucuſque ſincerum Dei beneficio ſervare ſtudui) rem tam a vero ali-
enam ceu pallio involvi et incruſtari. Mi Domine ROSENKRANTZI,
tute ipſemet noſti, cum tot annos unâ viximus, quo DUNCANUM
hunc loco ſemper habuerim, quam honeſte de illo tibi fuerim locutus,
quod is fores Scholæ Mathematicæ et || aliarum quarundam Philo- 2r
ſophiæ partium mihi adoleſcenti aperuißet; quod autem nunc obloqui
illi cogar, id vellem ne fuißet unquam opus. Sed meminiſti mecum il-
lud PERICLIS Athenienſis, cum amicus eum rogaret, ut pro ſe cauſa-
que eius falſum deieraret, δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις ἀλλὰ μέχρι
τοῦ βωμοῦ, et quod Philoſophus noſter: ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν ὅσιον †
προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Non poßum enim contra veritatem, niſi quis
ſimul me adulatore et amico uti velit, quod a pia mente duco eße ali-
enum. Ego de illo Magiſtro meo non potuißem tantam in me ſperare
iniuriam, qua me nunc affecit, quem nihil eius conſcium ad falſum rei
teſtimonium allegavit. Falſimonium committit (quod in foro crimen
falſi appellant) qui annulo ſignatorio alieno ſuas periculi et doli plenas
clam domino obſignat literas; nonne illum idem patrare credas, qui
alienis alienorum nominum ſubſcriptionibus in teſtimonium ſine teſti-
monio vocatis ſua falſa confirmat? Præpoſterum eſt te vera loqui, cum
ne quidem loquaris, affirmare ea, quæ num affirmes neſcias. Ita me-
cum agit LIDDELIUS, ut teſtis ſim, teſtis nunquam auditus, ut affir-
mem, ignorem, vera loquar, cum ne quidem loquar. Indignum, inſa-
num. Quia vero tantopere is meummet hac de re teſtimonium flagi-
tare videtur, ago verum hoc meum teſtimonium, contra illud ſuum,
non meum. Tibi et TYCHONI de hoc plagio Lidelliano vera pe-
tenti, quantum mihi quidem conſtat, deponam, idque tam perſpicue,
ut ſi tu paulo ſuperiorum annorum ἀνάμνησιν tecum per otium reno-
ves, omnia || puncta tua mihi ultro ſis adiecturus. Docuit DUNCANUS 2v
LIDDELIUS

LIDDELIUS Scotus in Academia Roſtochiana Mathemata, quando ego auditor fui anno 88 et ſequenti, inter cætera explicando etiam motum ſecundum iuxta triplicem hypotheſin, primam Alphonſinorum, ſecundam COPERNICI, et aliam tertiam novam. De hac tertia nova agitur, cuius ſit auctoris? Me oportet reddere teſtimonium? Egone reſpondeam? Reſpondeat ipſe DUNCANUS, idque ex ſcriptis Commentarijs, quæ ego adhuc hodie mecum ſervo bona fide, qua et ſervant alij multi, tunc adoleſcentes, nunc viri, qui tum temporis eadem eiuſdem uſi ſunt inſtitutione privata, inter quos eſt quoque, ut unum nominem, communis noſter amicus M. IOACHIMUS PRÆTORIUS, Collega in hoc templo et Gymnaſio mihi honorandus. In quibus commentarijs (tu oculatus mihi teſtis es, vidiſti, legiſti) DUNCANUS novam illam Diatypoſin appellavit Tychonianam, idque expreßis ſyllabis literiſque, ita quæſtionem ſuam formans: *In nova illa, ſeu Tychoniana Diatypoſi, quomodo horum quinque planetarum motus ſalvantur?* etc. Sic tum temporis docuit, ſic dixit, ſic dictitavit, ſic didicimus, ſic audivimus, ſic ſcripſimus, ſic credidimus. At, inquis, nunc aliter Helmſtadij dicit, aliter docet? Id vero ego capere non poßum, quo modo, ſi DUNCANUS unus ſit et eße velit, Roſtochij hanc hypotheſin ſibi derogare, Helmſtadij vero eandem arrogare per tam breve locorum temporiſque intervallum queat? Niſi cum Horizonte animum linguamque mutarit,
3r quod ego vix con-‖ceßerim. Credo ego potius DUNCANO LIDDELIO Roſtochienſi Studioſo contra DUNCANUM LIDDELIUM Profeßorem Helmſtadianum. Dicit forte præ modeſtia et verecundia ſe illa vice TYCHONI inventionem aſcripſiße? Ergone hac vice verecundiæ fines tranſilijt? Ergone contrarium hoc immodeſtiæ aſcribendum? Et qui novit viri ingenium, neque hoc admittet. Quid multis? Barbari dicere ſolebant, prout iacet litera; ita hîc quoque dicendum et pronunciandum iam eſt, ex dictatis Roſtochianis unius LIDDELIJ tertiam hypotheſin, quam et nova placita ſolebat appellare, non DUNCANI ſed TYCHONIS eße; propria confeßio, inquiunt Iuriſperiti, eſt fortißima probatio. Satis ſuperque hæc tibi, mihi et alijs ſufficere poßent, niſi, quia ſic ſermo cœptus eſt, unum et alterum adhuc verbum ex ijſdem liberet adijcere. Dici non poteſt, quam præclare tum temporis in ipſa tractatione iſtius hypotheſeos, quoties occaſio dabatur, de TYCHONE Scotus ſenſerit, et omnibus veteribus prætulerit, et cum Illuſtrißimo Landgravio Haßiæ b. m. coniunxerit. Sic enim in eiuſdem commentarijs tit. de longit. et latit. in Sphæram BRUCÆI legitur. »*An vero ſtellæ fixæ ſuas latitudines ſive diſtantias ab Ecliptica variarint, nullus veterum cognovit, verum Landgravius et TYCHO BRAHE ex crebris obſervationibus invenerunt ſtellas fixas lati-*
† *tudines ſuas ad mutationem obliquitatis Zodiaci variaße.*« Et de latitudine

latitudine ☾ ait: »*Quod antea a nemine ante TYCHONEM obſer-||vatum eſt, latitudo Lunæ maxima mutata eſt, et hodie eſt 5° 15'.*« 3v Item de eccentricitate Solis tit. de motu Solis inquit: »*in quibus omnibus Artifices hoc ſeculo, ut ſunt Illuſtrißimus Princeps Landgravius et TYCHO BRAHE, multa invenerunt, quæ obſervationibus COPERNICI non ſatis conſentiunt.*« Sic ille. Quis hîc, quæſo, per febrim potuißet ſuſpicari, LIDDELIUM tanti artificis, quem ſic ipſe commendaret, præceptorem eße, et illum huius diſcipulum, uti nunc iactitare audet? Ni ſeipſum Scotus tantum artificem, aut artificibus illis artificioſiorem et ſuperiorem conſtituißet, talis non conſtitueretur. Sed tu, Domine ROSENKRANTZI, pro ἀγχινοίᾳ tua, qua polles, me etiam tacente, aliud argumentum certitudinis pro TYCHONE, ut opinor, colliges, quando audis, quod obſervata, quæ COPERNICO non ſatis conſentiunt, TYCHONI aſcribat, ut ſic tecum ratiocinere: Qui novas hypotheſes in Aſtronomia contra omnes antegreßores ſuos invenire et ſtatuere vult, is ut longe prius obſervata τῶν φαινομένων Syderalium nova acquiſierit, neceße habet; quare? quia hypotheſes novæ, non præſuppoſitis novorum φαινομένων fundamentis, anilia ſunt τερετίσματα, quandoquidem hypotheſium ſit ſalvare motus obſervatos; quod ſi ergo LIDDELIUS Scotus in obſcuro latens et inſtrumentis deſtitutus nulla φαινόμενα nova primus obſervavit, quid eum principio impulit, ut ab hypotheſi Coperniana (quam mordicus tueri ſolebat) deſiliret, et de nova cogitare inciperet? Mirum enim, ſi ſe obſervata a TYCHONE primo ac-||cepiße largiri poßet. Sic me iudice haud leve 4r argumentum duxeris ad evincendum DUNCANI Plagium. Taceo, quod in ipſa tractatione huius novæ hypotheſeos, talem ſe præſtiterit LIDDELIUS, ut multis indicijs ſit colligere, eum auctorem et inventorem non eße. Qui enim ipſe inventor et auſpex eſt in ſcientia apodictica certæ alicuius hypotheſeos, quam alios docet, illum dedecet fluctuare aut aliquid eius in medio ſuſpenſum relinquere. Sic enim DUNCANUS, ubi generaliter Tychonianum typum depinxit: »*An primus motus, quo omnia ab ortu in occaſum feruntur, ob Terræ motum an cœli extimi rectius dicatur, in medio hîc relinquimus; probabilius forte videbitur, ſi extimo cœlo aſcribatur.*« Audis, quam non uſurpet ſibi arbitrium ſtatuendi, decidendi, ſed aliunde quaſi afflatum exſpectet, quid hîc ſentiendum ſit, quid non ſit, quem procul dubio tum temporis nondum ex TYCHONE hauſerat. Fortius eſt, quod ibidem paulo poſt anſam præbet ſentiendi et diſputandi contra hanc Hypotheſin, cum inquit: »*COPERNICI hypotheſin abſurdam pleriſque videri, hanc vero* (Tychonianam ſubintelligens) *principijs Geometriæ nihil repugnare, licet nonnulla videatur phyſica abſurda ponere.*« Intelligebat autem orbes æthereos ex ARISTOTELIS

LIS

LIS ſententia, quod paulo poſt uſu ex diſputatione Phyſicæ Ariſtoteleæ
cum eodem habita didici. Propoſuit enim idem ibidem Diſputationes
phyſicas, in quarum nona, cum ad libros priores de cœlo venißet, in-
4v trepide orbes reales defendere volebat, quos cum || exercitij ergo oppo-
nendo Tychoniana obſervata refellerem, excanduit homo tantum in
modum, ut etiam hanc datam hypotheſin plane repudiaret et dam-
naret, immemor fortaße τῆς μεταβάσεως τοῦ γένους. Unde acerbitati
iſtius ego cedens, ſurrexi tum temporis, atque Scholis iſtius valedixi,
ut meminiſti me tibi ſæpius narraße, et plurimi adhuc in vivis ſunt,
qui et ſpectatores et auditores eius fabulæ fuerunt. Quæ ideo repeto,
non ut de re ipſa (quam inter puerilia noſtra pono) agam, ſed ut evin-
cam LIDDELIUM ſemper hypotheſin illam ſic tractaße, ſic contra di-
ſputaße, ut alterius, non ſuum inventum eße clarißime dederit cuivis
conteſtatum. Rigidius enim pro illa pugnaßet, ſi proprium figmentum
(ex quo immortaliter ſe victurum eße ſperaßet) fuißet. Talis, ut audis,
ROSENKRANTZI, fuit Scotus in Schola illa Aſtronomica Roſtochij,
quoties collecto grege illi docenti aßedimus; ſed eſt tamen quod dißi-
mulare nequeo, quod et alij mei tum temporis commilitones (quos
nominare poßum) norunt. Quando M. DUNCANUS haud obſcure
colligeret, magno applauſu excipi TYCHONIS novam, eamque tam
concinnam hypotheſin, tum laudis, ut opinor, immatura aviditate fla-
grans (ut erat natura glorioſior) uni et alteri ſuorum auditorum (cœtu
dimißo) inſuſurrare ſolebat, ſe habere literas propria TYCHONIS
manu exaratas, in quibus TYCHO illi hanc hypotheſin adſcribat, his
inter cætera verbis: »*Rem acu tetigiſti*«. Verum nunquam tamen
5r plene literas eas mihi quidem viſendas legendaſve || volebat aperire,
neſcio cur, etiam cum multis rogaretur. Quia autem integras legere
non licuit, multi mecum potius credebant publicis commentarijs DUN-
CANI, quam eiuſdem clancularijs et ſubreptitijs ſuſurris. Exemplar
iſtarum, quas iactat, literarum Helmſtadij deſcriptum mihique com-
municatum nunc legi, ſed lectis illis merito exclamo: Quid eſt ollas et
cucurbitas lippire, ſi hoc non ſit? Seipſum amare et ſapere vix Iovi
conceditur. Perſtringit enim amor ſui oculos, ut quid album a nigro
diſtet, diſcerni non queat. Sed ego illud prolixius hîc agere non teneor.
Epiſtola ubi in lucem fuerit protracta, pro ſe loquetur.

Habes, domine ROSENKRANTZI, quid mihi ex Liddelianis com-
mentarijs conſtet, de inventione novæ ſeu Tychonianæ hypotheſeos.
Quod etſi fere præterire potuißem, tamen ne tuæ petitioni deeße vo-
luiße viderer, nolui omittere. At vero plus mea intereſt, an verum di-
cat Scotus, quod propoſitas a ſe ante Septennium Theorias a me ac-
ceperit TYCHO, ut affirmare non erubeſcit.

Narrabo autem brevibus, ut ſe res habet, atque non minus tibi quam

mihi notum, ut quaſi te tibi narrantem me audias, modo recorderis.
Cum Anno 91, a. d. 14 Calend. Iunij e palæſtra Academica Roſtochiana
avocati eßemus ab Illuſtri tuo Domino Parente, GEORGIO, Prorege
Daniæ b. m. et ſubſtitißemus Hafniæ aliquamdiu, indultum eſt utri- †
que, ut ad Inſulam Huenam (qua Urania TYCHONIS tum tem-‖poris 5v
pedem fixerat) excurreremus, quod Dominus parens tuus intelligebat,
nos quoque ſingulari Aſtronomiæ amore accendi et magni $\mathrm{D^{num}}$ TY-
CHONEM ex illa arte facere. Hac occaſione ego, ut cum artifice de
arte conferre poßem, cœpi recentius ὑπομνήματα, quæ tam a DUN-
CANO, quam $\mathrm{D^{no}}$ BRUCÆO, illo magnæ famæ viro, et alijs præ-
ceptoribus meis imbibißem, ruminare. Et quia partim navi eundum
erat, ad facundum itineris comitem commentaria, quæ uno grandi
volumine complicata habebam, et adhuc habeo, ut noſti, adhibere
cœpi. In quo volumine inter alia etiam LIDDELIJ dictata contine-
bantur. Ita κατὰ συμβεβηκὸς librum ad Inſulam Tychonianam mei,
non illius cauſa tranſtuli. Ubi illuc ventum eſt, poſt multa, ut fit, fa-
miliares et eruditæ collationes de rebus varijs (quia tota inſula erat
cornu copiæ rerum viſu et auditu mirabilium) itemque de arte Aſtro-
nomica inciderunt et, neſcio qua occaſione, de BRUCÆO, de LID-
DELIO et alijs in hac ſcientia tum temporis in Academia Roſarum
claris. Senſi autem ſtatim non levibus ex ſignis, TYCHONEM ſiniſtre
ſentire de LIDDELIO, quod is ea, quæ ex privato cum TYCHONE
colloquio, quando ante ibi fuißet, furtim ſubduxißet, alijs in Academia
iniußus propalaßet. Ego excuſavi virum, quod is non ſibi illa nova
placita arrogaßet, ſed nominatim ſub Tychoniano titulo et honore
propoſuißet. Quod cum difficulter ſibi pateretur perſuaderi Dominus
TYCHO, oportune incidebat, me ſubito interventu fidem facere poße
libro ‖ meo, quem manu propria ex ore ipſius excepißem. Sic ecce pro- 6r
ducitur liber, oſtendo locum unum et alterum, ubi hoc fiebat, ut ſupra
annotavi. Quo viſo acquievit plane Vir Nobilis, et de iſtis commen-
tarijs inter nos nihil quicquam amplius actum, nihil cogitatum, nihil
ſomniatum eſt ab illo toto tempore uſque in hodiernum diem. Septi-
mus nunc agitur annus ab illo tempore, quo Uraniburgi ego et tu fui-
mus. Ante illud tempus nec ego nec literæ meæ, nec manus nec nomen
in Daniam, quod ego ſciverim, ad TYCHONEM unquam venerunt.
Quis enim ego, adoleſcens tum temporis, quis, inquam, eram ætate,
ingenio, fama, ut cum tanto viro et genere et fama Nobilißimo atque
ab ipſo Magiſtro noſtro ſæpe proclamato huius ſæculi artifice, qui cum
Landgravio ſolus eßet in Aſtronomia artifex, literis amicitiam con-
traxißem, aut mea ad illum mittere potuißem? Poſt illud tempus, quo
et ſecunda vice, interlapſo triennio, in Daniam redijmus, ego nullas de
rebus Aſtronomicis vel ad TYCHONEM vel alium quenquam dedi
aut

aut dare potui literas. Meminiſti enim profeßionis meæ Witebergenſis Herculeas moleſtias, et ſtudiorum genus longe ſanctius, quam ut de illis rebus mihi in Theologico ſtudio ſemper παρέργοις ne per ſuſpirium cogitare, nedum ad Artificem aliquid conferre quiverim. Effricta igitur fronte mentitur (da verbo veniam) qui dicit TYCHONEM unquam Theorias Liddelianas a me accepiße. Dictum puta. In teſtimonium veritatis voco conſcientiam meam, quæ mihi mille teſtes eſt, et te, Dn. 6v OLIGERE, qui probe adhuc annales iſtius δια-||τριβῆς noſtræ Academiæ, in qua iuncti unis ædibus, una menſa, uno lecto, diu noctuque, domi foris fuimus, ni fallor, remetiris. Iniuria igitur Scoti eſt, eaque in me iniurioſißima, quod me nunquam auditum hoc modo in teſtimonium ſui falſimonij invocat, tantum ut me inviſum et ſuſpectum bonis viris, quos contra inſurgit, reddat; malitia, quod alios abuſu mei nominis decepit; impudentia, quod me ignorantem et nihil tale cogitantem in ſuos præſcriptos cogit gyros, ut mea lingua, non quod mea mens verum eße concepit, loquatur, ſed quod ille finxit, vel abſens effutiat. Nonne os meum quovis mancipio hoc pacto eßet ſervilius? Satis pro imperio. Unde vero ſcit, TYCHONEM theorias has a me accepiße? Ego non dixi nec potui dicere, ille non vidit nec potuit videre, neque ullus alius. Si audiviße ſe dixerit, reddam cum THALETE Mileſio † reſponſum, qui aiebat verum a falſo tantum abeße, quam oculi diſtant ab auribus, ſentiens eos plerumque mentiri, qui audita non viſa referunt. Aut quid ſi dicam, quod dicat ſe audiviße, quæ nunquam audivit? Si per divinationem ſit aßecutus, dicat an ex ſortibus, an augurijs, an ex aſteriſmis, an ſomnijs. Sed ex his procul dubio, niſi forte compertum ſit, ex graculorum garritu, εἶπε καὶ ἁ Γραίω τἀλαθέα κοσκινό-† μαντις, dicebat ille apud THEOCRITUM.

Habes, Nobilißime Domine ROSENCRANTZI, non ex ingratitudine in præceptorem olim meum (quæ enim hæc gratitudo in gratiam 7r præceptoris commentiri?) || ſed ex candore et veritate, qua amicitia noſtra fundatur, redditum verum teſtimonium contra effictum illud, non meum de plagio, ut vocas, Liddeliano. Tu hoc exemplo edoctus re-† cordare tui uſitati ſymboli Νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν: tum alias, tum ſi alij in poſterum de me ſimilibus mendaciorum floccis tuas aures opplere tentarint, reſerva alteram mihi liberam, quod cum feceris, et veritas et amicitia noſtra in æviternum ſibi inter nos conſtabunt. His te Deo commendatum volo. Vale. Deproperatum Stetini, Anno ſalutis reparatæ CIƆ IƆ IIC. II Calend. Aprilis.

N. T. ſemper amicus
DANIEL CRAMERUS,
Paſtor et Profeßor Eccleſiæ et Gymnaſij Stetinenſium.

 [E codice

[E codice Vindobonensi lat. 10702] †

CLARISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO 153v
M. IOHANNI KEPLERO ILLUSTRIUM STYRIÆ PROVINCIALIUM IN GYMNASIO GRÆCENSI MATHEMATICO EXIMIO, AMICO SUO PLURIMUM DILECTO.
GRETZ IN STIRIEN.

RUDITISSIME et præſtantißime Vir, Literæ tuæ e Styria 152r Id. Dec. ſuperioris anni ad me datæ circa initia Martij per Tabellarium Helmſtadio venientem mihi redditæ ſunt, quæ præter doctrinam et humanitatem ſingularem erga me, licet tibi de facie ignotum et longe dißitum, teſtantur benevolentiam, quo etiam nomine tibi gratias habeo. Librum tuum, quem Prodromum vocas Dißertationum Coſmographicarum, iam ante videram, et quantum aliæ occupationes ferebant, perlegeram. Placet is ſane non mediocriter, et ingenij tui acumen ſagaxque ſtudium non obſcure hinc elucent, ut de ſtylo terſo ac rotundo nihil dicam. Ingenioſa certe et ſuccincta eſt ſpeculatio, Planetarum diſtantias et circuitus ſymmetrijs regularium corporum, uti facis, adſtringere, et plurima in his ſatis conſentire videntur, non obſtante quod proportiones Coperniceæ per omnia in minimis quibuſque haud ubique adſtipulentur, cum eæ ab ipſis etiam apparentijs nonnihil deflectant. † Quare laudo hanc tuam in excogitandis perquirendiſque talibus diligentiam. An vero per omnia ijs acquieſcendum ſit, non ita facile dixerim. Si veriores Eccentricitatum utrarumque in ſingulis Planetis commenſurationes, quales plurimis annis conquiſitas in promptu habeo, adhibeantur, poterint accuratiorem in his trutinam exhibere. Verum mihi in complendis et edendis meis operibus Aſtronomicis, quæ in Dania quodammodo imperfecta reliqueram, occupatißimo non ſuppetit nunc otium, ea accuratiore lima inter ſe conferendi. Fiet hoc forte alias. Id autem te ſcire velim, Eccentricitates ipſas utriuſque illius, ut † ſic nunc loquar, Eccentrici, quas COPERNICUS paulo aliter excuſavit, non habere eas adinvicem proportiones, ut una ſit alterius tertia † pars; veluti ex PTOLEMÆO deduxit. Neuter vero eorum demonſtratum reliquit. Sed hæc aliam inter ſe habent rationem et in ſingulis variant. Neque enim tres acronychiæ obſervationes, utut inter ſe in † Eccentrico (quod præſtat) remotæ, ſufficiunt ad trium ſuperiorum Planetarum Apogæa (quæ etiam non paucis gradibus tam ALPHONSI quam COPERNICI placita cœlitus eludunt) et Eccentricitates ambas ad amußim extricandas; ſed per totum orbis circuitum in plurimis locis hæc experiunda veniunt, veluti a nobis quoque factum eſt, adeo † ut

ut etiam tardigradi illius Saturni circuitum expectaverimus. Nam eundem Soli in ♎ oppoſitum ante annos 29. Auguſtæ Vindelicorum diligenter obſervavi, quemadmodum et nunc; uti etiam in intermedijs Acronychijs diſpoſitionibus, quotquot habere licuit, in toto Boreali ſemicirculo nullis omnino prætermißis, quemadmodum etiam in reliquis duobus Planetis, quorum circuitus minori clauditur tempore. Habeo enim in promptu 35 annorum Obſervationes cœleſtes, inde † ab adoleſcentia factas, quarum 25 poſteriores magna accuratione pollent: quas omnes non vulgaris theſauri loco conſervo, et hinc Aſtronomiæ reſtaurationem molior. Ut vero de Marte aliquid exempli loco 152v addam, ‖ cum is maximam ingerat varietatem, atque inter Cœlum et Tabulas diſcrepantiam cæteris evidentiorem, ſcias tantum abeße, ut eius Eccentricitas ſit minor reddita (prout voluit COPERNICUS, quo ſuæ imaginationi circa quietem Solis fidem faceret) ut potius nunc aliquanto maior ſit, quam ea, quæ a PTOLEMÆO prodita eſt, licet diſcrimine non magni momenti, Apogæo eius quinque gradibus COPERNICI terminos anticipante. Quin et orbis annuus iuxta COPERNICUM aut Epicyclus ſecundum PTOLEMÆUM non videtur eiuſ- † dem ſemper magnitudinis, quoad ipſum Eccentricum collatione facta; ſed alterationem introducit in omnibus tribus ſuperioribus ſenſibilem, adeo ut angulus differentiæ in ♂ ad Gradum unum Minuta 45. excreſcat. Quomodo hæc cum tua ſpeculatione concilianda ſint, tute vi- † deris. Veneris Eccentricitas multo minor eſt, quam ſtatuit vel PTOLE- † MÆUS vel COPERNICUS, et Apogæum eius non eſt in orbe ſidereo fixum, uti hic voluit, ſed initia ♋ nunc attigit; nec tamen ſolari (quod in medio ſexti gradus hæret) uti volunt Alphonſini, plane unitum. Hæc et ſimilia, quorum plura ſuo tempore habebis, tuæ alias induſtriæ excogitationi applicata eam, an undequaque rite conſtet, probabunt. Ego omnem orbium realitatem, quomodocunque tandem aßu- † mantur, cœlo eliminandam cenſeo. Quod me omnes Cometæ, inde a nova ſtella conſpecti, qui nullius orbis leges totaliter ſecuti ſunt, quidam vero contrarium quid præ ſe ferebant, indubitanter edocuerunt (ut de refractionibus fruſtra multiplicatis ex orbium ſolidorum copia nihil ſuperaddam). Nec poterit Terra annuo cieri motu, ut de librationibus otioſis (neque enim talis eſt æquinoctiorum præceßio, ut opi- † nabatur COPERNICUS) taceam: utut diurnus plauſibiliter ob minorem gyrum illi attribui queat, modo tam gravi et opaco corpori is com- † peteret, quieti potius, quam motui accommodo. Quare ut tollantur Epicycli, vix alia commodiore ratione Hypotheſes ordinari queunt, quam ut circa Solem mobilem ſint centra circuituum quinque Planetarum quieſcente Terra, et circa hanc revolutis luminaribus et tota octava (uti vocant) Sphæra, eam etiam in meditullio reſpiciente. Cuius

abſceßus

abſceßus iuxta COPERNICUM in immenſum pene abit, eiuſque poſitionem vel hoc ſolo abſurdo infringit. Nec etiam tua cogitata hîc ullam † cum cæteris Symmetriam (prout ſimul fieri debuit) admittunt. Oportet autem in re bene proportionata nihil dari inproportionatum, alias tota Symmetria confunditur, et ſuſpecta evadit: præſertim in hoc loco, ubi tam magnum atque evidens ingeritur obſtaculum. Hæc et alia, quæ ſingula commemorare nunc non vacat, me circa tuam inventionem alias ſolertißimam, optime KEPLERE, dubium || reddunt. Interim non 153r poßum non conatus tuos, tam eximios et raros magnifacere. Hortorque ut ulterius his animum intendas, deſque operam, ut ſimile quid noſtris hypotheſibus, quas ubi non incompertas eße liber ille oſtendit, † applicare poßis, cum pene omnia ijs pariter conveniant. Neque ob id opus eſt, ut orbium ſtatuatur compages ſolida. Sufficit circuitus et remotiones ſiderum inter ſe talem concinnitatem atque harmoniam obſervare. Nec prætereunda eſt octava Sphæra, quin in hoc choro proportionabiliter locum aliquem obtineat. Nullum enim eſt dubium in † univerſo omnia certa harmonia et proportione ad invicem divinitus relata et ordinata eße, ita ut tam numeris quam figuris ſuccincte comprehendantur, veluti a Pythagoreis et Platonicis iamdudum aliquatenus præviſum eſt. His itaque ulterius ingenij nervos applica, et ſi omnimodam conſonantiam, quæ nulla ex parte claudicet, et in qua nihil etiam deſideretur, adinveneris, eris mihi magnus Apollo. Quantum ego tuis hac in re arduis conatibus ſubvenire potero, me neutiquam habebis difficilem, præſertim ſi me nunc in Germania degentem et e patria huc cum tota familia, ne tantus ille periret Theſaurus Aſtronomicus, tot annis, laboribus et ſumptibus comparatus, profectum aliquando inviſeris et mecum coram de eiuſcemodi ſublimibus rebus iucunde et grate contuleris. Vale. Dabantur Wandeſburgi in arce Ranzoviana ſemiße tantummodo milliaris Hamburgo remota, quam nunc inhabito, et tranſlatis huc e Dania machinis meis Aſtronomicis totaque ſuppellectile libraria rebus cœleſtibus non minus quam antea invigilo, et Divina gratia otio fruor Philoſophico. D. 1. April. ſtylo veteri Anno 1598.

TYCHO BRAHE.
manu propria. ||

POSTSCRIPTA. 154r

NESCIO quo caſu acciderit, ut idem Tabellarius, qui mihi tuas Helmſtadio attulit, famoſum quoque et nefarium ſcriptum cuiuſdam feri Urſi potius quam veri hominis, inde mihi ſimul tuis alligatum adportârit. Huius cum impudentes calumnias et infanda mendacia atque convicia, quibus ſupra modum et citra omnem verecundiam ſcatet, obiter percurrerem, reperi etiam ibi tuum quoddam Epiſtolium, quo

† quo ſe ornare et ſua flagitia tegere nititur. Quod cum perlegißem, miratus ſum te eum tanti facere. Sed errorem excuſavi, quod non niſi auditu et ſcripto iſto, quod Fundamentum vocat Aſtronomicum, hoc faceres. In quo fere nihil habet quod ſuum eſt. Omnia potius alijs ſurrepta et prærepta, prout facere conſuevit. Et plagium quod ego ipſi imputo in meis Hypotheſibus, non ſaltem error craßus, quem in delineatione Martij orbis commiſit, ſed et multa alia, quæ ſuo tempore pandam, evincunt. Eſtque etiamnum apud me faſciculus quidam eorum, quæ quando Nobili cuidam Dano meo affini inſerviens anno 84 cum eodem Uraniburgi adeßet, clam deſcripſit. In quibus non dißimilia egit. Ego ſane hanc Hypotheſium rationem iam longe antea excogitaram, nec eam libro de Cometa Anni 77 inſeruißem, niſi tales Plagiarios, quibus hæc apud me innotuerat, veritus fuißem. Quare et hoc miror, quod eius voces Hypotheſin, cum et in libro tuo et literis hiſce eam mihi (nec immerito) attribuas. Interim etiam magna eius prædicas Elogia, utinam non Hyperbolica! In titulo vocas eum Mathematicum nobilißimum (qualis ſit Mathematicus, non dixerim, Nobilitas eius, ſi genus ſpectes, eſt ex ruſticis Dithmarſis, qui eum etiam faſtidiunt). Ais deinde Illuſtrißimam eius gloriam ipſum tibi notum feciße, qua Mathematicos huius ævi tantum præcedat unus, quantum Phœbeius orbis minuta ſidera. Plura addidißes, ſi tempus ferret. At quam competenter etiam ulteriora excuſas, quod Mathematicorum non ſit garrulitas. Neſcio an tale quid tunc apud te tacite ſenſeris, genio ſic ſuggerente. Præterea quod omnes Docti magni ipſum faciant, eum præceptorem appellas, hypotheſes meas illi tribuis. Et tandem concludis, ut ſideribus (quorum permodicam habet notitiam) et ſcientiæ, quam ſibi hinc inde (ſi qua eſt) corradit et ſuffuratur, tanquam decus Germaniæ valeat. Talia de ignoto inconſiderate ſcripſiße videris: quæ ego quidem nullatenus moror. Imo mallem vera eße, vel aliquem eiuſcemodi dari, cui tanta in Aſtronomicis et Mathematicis competerent Elogia. Ego non ultimus eßem, qui eius celebraret gloriam. Non tamen ſupra PTOLEMÆUM aut COPERNICUM, alioſque eximios viros, qualis in Germania MÆSTHLINUS nunc eſt, efferrem, niſi dignum fore ſatis perſpectum haberem. Sed ſint hæc qualiacunque velint, id equidem non arridet, quod tua ſic in libro iſto contra me maledico abutatur Epiſtola, ut hac quaſi ſe purgare, atque quantus ſit, quamque multum ipſi tribuendum (ſi Dijs placet) probare velit, ſe ipſum ita nimium extollendo et ſibimet placendo atque alijs tacite detrahendo. At quoniam in iuventute ea per ignorantiam ſcripſiſti, nec forte exiſtimâras eum unquam literas illas publicaturum, nedum ut ijs in aliorum deſpectum et contumeliam unquam abuſurus foret, idcirco eſt, cur hæc placidius feram. Cuperem nihilominus ut primo quoque tempore apud me de-

declaratum

claratum relinqueres, an tibi gratum ſit quod ſic fecerit, et quid de ſcripto iſto virulento ſentias, tum quoque alij Eruditi, ad quorum manus illud pervenit. Neque enim dubito, iſthuc perlatum, ſiquidem Pragæ excuſum ſit, ſuppreßo tamen Typographi nomine, uti fit in famoſis libellis. Plura de his non addo. Nec enim digna ſunt, ut multis revocentur. Tuum eſt hæc ipſa obiter ſubiuncta candide interpretari et ſchedam hanc Vulcano tradere. Iamque iterum et ſæpius Vale. Datum ut ſupra in literis.

T. B.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Arch. priv. Tych. Brah.]

TYCHO BRAHE AD ANDREAM SEVERINI VELLEIUM.

S. P. 7r

LARISSIME et eruditißime Domine Magiſter ANDREA, veteri amicitia mihi iunctißime. Scripſi ad te ante aliquot hebdomadas per tabellarium quendam Ripenſem, qui ſemel atque iterum hîc fuit, et inter alia de victualibus iſthic in meum uſum conquirendis denuo admonui. Nec dubito eas te recepiße litteras, utut altum agens ſilentium nihil interea reſponderis. Quod tamen te facturum exiſtimabam, ſi non prius, ſaltem circa hoc tempus, cum boum mercatores inde Hamburgum frequentes veniunt. Rogo itaque ut id, quod omißum eſt, emendes, atque de victualibus procurandis quæ ſpes ſit, indices. Scripſi denuo ea de re ANDREÆ SEVERINI, civi iſthic primario, qui ſuam mihi hoc in negotio dudum addixit operam. Spero ipſum ſuo officio non defuturum. Tu tamen nihilominus, quantum in te eſt, fac ut deſiderijs meis reſpondeat eventus, nec tot pollicitationes nimium fruſtra. Adhortare etiam amicos et conſanguineos meos per occaſionem, ſi quos faventes et fidos inveneris, ut mihi iam extero, et amplam hîc in ſumma annonæ caritate alenti familiam id præſtent officij, quod ſibi vellent, ſi eorum talis eßet conditio. A ſorore MARGARETA, quam mihi non defuturam putabas, ne verbum quidem accepi, licet bis illi ſcripſerim, vix tertio facturus. Scio quidem victualium exportationem ſevere iſthic prohibitam eße; attamen non me indigenam Regni Nobilem, ſed mercatores hoc edictum concernere crediderim, niſi forte odio mei id fiat. Quod quomodo in Patria promeritus ſim, ignoro. Id tamen ſcio, me iſthic ultra tonnam auri inſumpſiße, ut eius honori ſtuderem; et quod plus eſt, prorſuſque irreparabile, viginti unum Annos de potißima ætatis parte iſthic non ſatis commode contriviße. Quod quam maxime doleo. Nec mihi hæc temporis et ætatis iactura evenißet, niſi ab optimo et laudatiß. mem. Rege FRIDERICO ita

ita perſuaſus fuißem, cui et Patriæ id concedendum ratus ſum. Neque enim ullo modo perſentiſcere tunc potui, me nihil aliud quam invidiam, odium, calumnias et fraudulentas perſecutiones inde reportaturum, unâ cum rei familiaris non exigua iactura. Sed ita eſt, uti nuper ad me clarißimus ille IACOBUS MONAVIUS Vratiſlavia perſcripſit, † inter alia hunc Kluppelhardum addens: »*Eſt, erit atque fuit* Vndanck *in fine laborum*«. Imo is et altius ea quæ mihi in patria evenerunt, ſi non nimis hyperbolice exaggerans, in hæc verba prorumpit: »*Sed et hoc mihi incidit: Quid ſi mundus hic non ſit dignus iſtis Atlanticis bonis et donis noſtri TYCHONIS. Etiam hoc cogitavi: quid ſi hæc* Τύχη, *quæ Domino TYCHONI contigit, nunciet inſtare finem mundi? Utut ſit, adhuc valde dubito, tuamne vicem an Patriæ potius tuæ, imo totius Reip. Chriſtianæ magis dolere debeam*«. Moxque addit: »*Miratus ſum Regem nihil voluiße conferre in hæc ſtudia* [7v] *Regibus et eorum ſubſidijs atque adiumento dignißima,*‖*qui tamen nuper tantos ſumptus fecit in coronationis feſto. Aliud fuit iudicium ALPHONSI, imo aliud etiam ipſius patris FRIDERICI*«. Hæc et ſimilia non ſaltem ille ſed et multi alij viri in Germania atque alibi cordatiores et mihi et ſibi invicem de me meiſque rebus ſæpius ſcribunt. Ego vero invite fero quod Regi meo ſerenißimo et toti Patriæ imputentur ea, quæ paucorum machinata eſt perverſitas, ab unico et veteri meo oſore, quem tute noſti, de quo etiam ex Anglia mihi relatum eſt, præſtantibus viris ibi innotuiße eum has turbas ex inveterata contra me invidia ſubdole et Machiavellice ſolum moviße, idque per alios, cum ipſemet par non eßet, proficiſcens. Quod et multis Germanis, neſcio quibus indicijs innotuit; adeo ut vel ſic (ſi non ſatis ante) famoſus evadat. Ego ſemper Regem et Patriam, omnes in ea probos et integros viros excuſare ſoleo. De cæteris taceo, et dißimulo ad tempus. Omnia ſucceßive et per intervalla ſuam ſortiuntur maturationem et fructuum edunt ſpecimen, ut quivis ea quæ ſevit, metat. Sed valeant iſta unâ cum iſtis.

Tu vero mi amantißime Domine Magiſter ANDREA me, prout antea conſtituiſti, hîc inviſe, ut ſemel adhuc, ſiquidem ſæpius non liceat, nos invicem intueamur et colloquamur, antequam diſiungamur longius. Hyems nunc non obſtat. Eſt inter Paſcha et Pentecoſten iucundißimum Anni tempus et profectionibus imprimis aptum. Valetudo ſi qua tibi eſt remißior, motu corporis inter peregrinandum et aëris mutatione recuperatur potius quam infringitur, cum quies illi minus conveniat. Nihil igitur aliud obſtare poterit, quin poſt paucas hebdomadas hîc adſis, quam cura domeſtica et parſimonia; domui ſatis uxor providebit. Et maior eſt in amoris conſtantia parſimonia Amicum veterem negligere quam aliquam pecuniulæ partem, quæ reſarciri poteſt, atque alias

interdum profluit? Dedi etiam literas eodem tempore ad CHRISTIERNUM LANGIUM quo ad te, cuius filius etiamnum mecum eſt, et ne quidem ab illo quidpiam reſponſi accepi. Adeſt iam tempus ad quod uſque filium eius in meam familiam me recepturum addixi. Vellem itaque ut Parens ſe, quid in poſterum de eo agi velit, reſolveret. Eſt quidem is ſatis modeſtus, et quantum ego ſcio, honeſte ſe gerens, attamen hiſce ſublimioribus, quæ ego tracto ſtudijs, minus idoneus. Neſcio an alijs. Neque ea quibus ego incumbo, ipſi in poſterum multum uſui eße poterunt. Oportet enim in ijs excellere, ſi quid hinc emolumenti ſperandum. Effice igitur ut Parens mihi mature de ſua voluntate ſcribat. Alterum quoque LANGIUM IOHANNEM per literas ſuadente OLIGERO ROSENKRANTZIO noſtro ſollicitavi, qui etiam nihil reſcripſit. Miror veſtram taciturnitatem, cum ego multo forte pluribus onuſtus occupationibus reſponſione non ſuperſedeam, undecunque tandem ad me perferantur literæ, quod creberrime fit ex varijs Europæ locis, ſed nihil novi eſt me a meis in Patria negligi, apud exteros non item.

Vale et ſi potes audeſque, veni, nihilque metue, res enim caret periculo. *Stans tegor in ſolido, ventus ſtrepat, ignis et unda.* Saluta ex me uxorem tuam unâ cum alijs amicis Ripenſibus. Dabantur Wandeſburgi die 10. Aprilis Anno 98. †

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii] †

GEORGIUS ROLLENHAGIUS AD
TYCHONEM BRAHE.

S. 1r



OBILISSIME et Doctißime TYCHO, habui iam per annos aliquot in aula Cæſareæ Maieſtatis inter apparitores præcipuos affinem Lunæburgenſem CASPARUM LEHMANNUM ſcalptorem quidem gemmarum ex profeßione, ſed interim omnium rerum admiratorem, inprimis Aſtrologiæ. Ea de caußa cum me amicius colat, interdum quoque inviſat, ut ante ſeptimanas non ita multas fecerat, incidit in ſermones privatos obiter URSI Dithmarſi mentio, quem dicebat titulum iam habere Cæſarei Mathematici, etiamſi et veſtitu et vita urſus ſit, libello quoque privatim aliquibus dato, te indignis exagitare modis. Rogavi itaque hominem, ut eum libellum mecum communicaret, quod fecit. Sed incuria cuiuſdam mei amici, cui mandaram, ut præcipua inde capita enotata mihi occupatißimo deſcriberet, in alienas manus incidit, perijtque nobis prorſus, donec pridie Paſchatos, quo

quo tuæ ab Hamburgenſi mihi reddebantur de conſilio cum Cæſare contrahendæ notitiæ, Praga reverſus eſt nuncius meus, aliudque exemplar earundem calumniarum ſecum, ut ſcripto ab affine meo petieram, attulit. Quod ſi vidißes, fieri non poße arbitror, quin aliquam eius in literis ad me tuis mentionem fecißes. Sic per me exemplar primum
† accipis. Quæſo conſidera inſigne exemplum Regulæ Ciceronianæ, ‖
1v eum, qui ſemel verecundiæ fines tranſgreßus ſit, bene et gnaviter impudentem eße oportere, neque tamen propterea SOCRATEM aſinum ſe calcantem ad iudices traxiße, neque ARISTOPHANI publice ipſi in os maledicenti maledicta regeßiße. Legi pro hac mea ætate multa veterum et recentium Philoſophorum certamina, etiam de rebus maxime inter ipſos controverſis, nunquam vero ſcriptum inſolentius, impudentius, quod haud dubie non parum te irritabit, ut ſane contentiones dignitatis ſunt acerrimæ. Sed quid facies? Hoc ſcio profecto, quod ſi cum ſtercore certo, vinco vel vincor, ſemper ego maculor. Ut itaque generoſi equi canum latratus non relatrando et mordendo, ſed animoſe prætereundo ulciſcuntur, ita prudentiß. quique Eruditorum maledicentißimos oblatratores ſilentio ulti ſunt. Et licet hi ſuos invenient ſubinde approbatores (ſtultis enim ſtulta placent, et gaudent aulæ monſtris) tamen dicere ipſas adverſitates lubet ... decus. Tædebat me quondam in Berlinenſi aula dominari TORNEISSERUM hominem illiteratißimum, nos vero cives in literis educatos ut umbras contemni, deque conſignatis aliquot problematibus, volebam præſente Illuſtriß^{mo} Electore vel Germanice cum ipſo conferre. Utebar ad eam rem LEVINO a Schullenburg noſtro Decano. Legebat meas quæſtiones Elector, meque patienter audiebat. Tandem dicebat intelligere ſe eius ineptias,
2r neque quicquam ab eo medicamenti ‖ accipere. *Was ſchadets aber das der Kayſer ein Elephanten hatt?* Itaque me ad cænam iußit adeße, dedit quoque veniam privatim cum TORNEISSERO poſtridie colloquendi, ſed is mihi nunquam erat domi. Sic didici magnates noſtros non tam quærere veritatem quam opinionum pompam. Quod monſtrum plures habet ſpectatores, quam genuina corporum forma. Sic fortaßis in illa quoque aula, de qua ſcribis, hic SIMON MAGUS imprudentium animos dementavit, ut exiſtimetur eße aliquid magni. Quare prudenter id periculi tentandum eſt. Alias Colonienſis ille vere generoſi eſt animi et prorſus politici, qui quærit imperij pacem, et illuſtre apud poſteritatem nomen, nec dubites, quin facile eum habeas amicum; ſed an utilem, ideo incertum eſt, quod longißimis itineribus et ſummis Imperij negotijs eſt occupatißimus. In aula ipſa qui iam ſint politioribus literis imbuti, ignoro, olim CRATO et Dominus CURTIUS Muſis noſtris aditum liberrimum ad ſummam Maieſtatem concedebant. Is, qui rerum ſummæ præeſt, amat mathemata, et Vulcani offici-

nam, ut audij, inprimis ſi Magiſtrum nactus fuerit candidum. Sed hæc Deo curæ erunt, et albis puellis, ut ille inquit. Affinis tuus ERICUS LANGIUS ex Haßia ad nos redux iam diverſatur Wandio in comitatu Manſfeldenſi apud IOHAN. ERNESTUM ab Aßaburg nobilem potentem et eruditum; diſtat is locus hinc decem milliaribus. Si volueris illi ſcribere, efficiam, ut literas tuas obtineat.

GEORGIUS ROLLENHAGIUS.

[Ex apographo in Ioannis Kepleri *Operum omnium* ed. C. Frisch vol. I (Francofurti et Erlangæ 1858) pp. 44—46; cf. codd. Guelferbutanus 15. 3 Aug. in 2° fol. 317 et Monacensis lat. 1607, fol. 110]

CLARISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO

DOMINO M. MICHAELI MÆSTLINO, MATHEMATICARUM ARTIUM INSIGNITER PERITO, EARUNDEMQUE IN INCLYTA ACADEMIA TUBINGENSI PROFESSORI CELEBERRIMO, MIHI PLURIMUM DILECTO.

TÜBINGEN.

S.



NNUS iam agitur decimus, eruditißime et præſtantißime MÆSTLINE, ex quo quidam e meis domeſticis, qui aliquandiu mihi in rebus Aſtronomicis inſervierat, exemplum tuarum literarum Tubingâ ad ſe datarum in Daniam mihi tranſmiſit, quibus pollicebaris, te librum noſtrum de Cometa anni 77 tibi ab eodem communicatum diligenter perlecturum, tuamque de eius contentis ſententiam conſcripturum, atque mecum de eis per literas collaturum, quas te Marpurgum ad eundem mittere decreviße, ad me poſtea procurandas innuiſti. At ego tot interlapſis annis, neque hac de re aut quapiam alia, negocium Aſtronomicum, quo utrinque afficimur, concernente, ne verbulum quidem a te accepi, ſive ſcripto, ſive aliorum indicatione, qui iſthinc venientes me Uraniburgi, dum adhuc in Patria degerem, inviſerunt. Exiſtimaßem equidem te ob communia nobis ſtudia ſcriptione aliqua ſaltem tot interlabentibus annis non ſuperſeßurum, præſertim cum id facturum ſponte in te receperis. Ne vero ego ob id tecum per literas, ſiquidem aliter non liceat, familiaritatem contrahendi omnem occaſionem reſpuiße videar, quod ab humanitate et exercitijs, quibus delectamur, ſublimioribus alienum foret: en nunc prævenio, et ad ſcribendum reſpondendumque ultro te invito: data nimirum hac commodiore, qua nunc fruor, oportunitate, quam antea in Dania, ex quo in

in arce quadam Ranzoviana, dimidio ſaltem miliari Hamburgo remota, nunc habitem, unde in varia, non ſaltem Germaniæ, ſed totius pene Europæ loca creber et commodus datur nuncius. Si itaque quid habes, de quo mecum in rebus Aſtronomicis, ſive Cometicum illud negocium, ſive quidvis aliud concernat, conferre libuerit, invenies me pro meo modulo, et quantum hactenus in ijs aßequi licuit, ad reſpondendum non difficilem.

Allatum mihi nuper eſt eruditum quoddam ſcriptum Mathematici excellentis IOANNIS KEPLERI e Styria, in quo revolutiones Planetarum ſecundum formam Coperniceam ad 5 regularia corpora harmonice redigere ingenioſa ſane ſpeculatione conatur, qua etiam de re nuper ad me perſcripſit, egoque illi, quantum præ occupationum mole licuit, meam vicißim de talibus aperui ſententiam. Video autem te in eodem libro de Hypotheſi a nobis ante annos complures adinventa nonnulla quaſi dubitanter adferre, cum promiſcue eam etiam alijs tribuas, plagiarijs forte meis nimium auſcultans, tum quoque plura de eadem inferens, quæ ſi conſideratius expendißes, et ſententiam noſtram atque omnes occaſiones huius Hypotheſeos conſtituendæ undiquaque perſpectas habuißes, hæſitationibus eiuſcemodi forte ſuperſedißes. Atqui ego, ſi tibi quid in hac inventione ſcrupuli reſtet, id amovere atque penitius rem omnem explanare paratus ſum, quod etiam res ipſa docebit, ubi Planetarum motus ad eam normam a nobis adeo accurate expanſos cognoveris, ut nihil ſit, quod ſenſus amplius requirant, utut tu in eodem libello de Aſtronomiæ correctione non ſaltem dubitare, ſed et animum abijcere videaris, licet antea aliter ſpem feceris. Si ab anteriore per corpora iſta regularia dimenſione facta, ea reſtituenda erit, potius quam ex accuratis obſervationibus a poſteriori ſumptis, veluti inſinuas, utique nimis diu, ſi non prorſus in perpetuum fruſtra expectabimus, antequam tale quid a quoquam præſtari poterit. Cum enim iſtorum regularium corporum dimenſionis explicatio, ſi omni ex parte admittenda foret, obſervationibus antecedentibus niti et comprobari debeat, nec etiam particularia quæque præter generaliora illa, utcunque ſe habentia, hinc ea qua opus eſt præciſione derivari poßunt, quod te non latere arbitror. Neque etiam adhuc ſatis extricatæ ſunt Planetarum biformes inæqualitates, quas duplici eccentrico vel circello excuſant. Ignoratur enim iuſta harum proportio, ut de Apogæis non dicam longe aliter ſe habentibus, quam fert non ſaltem Alphonſina, ſed et Copernicea ratiocinatio. Quin et annua illa diverſitatis evidens inſinuatio necdum ſatis comperta eſt, ita ut undiquaque ſuis numeris abſolute conſtet, ut ob id e Coperniceis proportionibus circulorum hæc ea, quæ requiritur, ſubtilitate rimari invium ſit; qua etiam de re eruditißimum KEPLERUM per literas admonui, et in Marte, ubi

ubi hæ differentiæ magis ſunt ſenſibiles, exemplum indicavi. Verum de his et ſimilibus nimis prolixum foret hîc ſingula exequi.

Ubi opera mea Aſtronomica lucem publicam viderint, quod nunc magnis viribus nec minoribus quam antea in Patria urgeo, perſpicies, uti ſpero, rem Aſtronomicam aliter quam putatur redintegrari poße, et me non contemnendam in ea locaße operam; quare de his plura nunc non addo. Aliud quiddam eſt, etſi minoris momenti, quod tamen ad negocium hoc omnimode exequendum non parum conducit, pro ea videlicet, quam meridianorum ingerit in rotundo Terræ globo alteratio, diverſitate necdum ſatis accurate explorata, de quo tecum agere averem. Si itaque aliquot Eclipſes, præſertim Lunares, iſthic exquiſita diligentia præteritis annis obſervatas habes (de quo non dubito) earum momenta per obſervationum etiam circumſtantias mecum mature communices velim, quo collatione facta cum 20 aut pluribus Lunæ deliquijs a me non paucis iam tranſactis annis diligenter conſideratis conferri queant. Exiſtimo me aliqua inter ea, quæ ego denotavi, inventurum, quæ etiam a te iſthic obſervata ſunt, atque hinc meridianorum intercapedo, aut ad minimum ductus alicuius meridiani per certa quædam Germaniæ loca perveſtigari poterit, præſuppoſito nimirum quodam cognito ad rationem eam, quam PTOLEMÆUS et COPERNICUS aßumſerunt. Hoc ſi mihi præſtiteris officij, rem non ſaltem gratam, ſed etiam Aſtronomiæ promotioni non inutilem effeceris. Idem quoque apud alios, quotquot novi cœleſtibus apparentijs fideliter attendere, qui ſane perpauci (quod dolendum eſt) exiſtunt, experior, ut certi quid in his, quoad licuerit, ſtatuatur. Ad ultima duo luminarium deliquia, quæ in Februario proxime elapſo contigerunt, te ſedulo attendiße non dubito; quare eorum etiam momenta et phaſes iſthic animadverſas indica. Lunæ Eclipſis, quæ 11. eius menſis die contigit, hîc ubi polus elevatur $53^{0}\,35\frac{1}{2}'$, principium habuit, quando ſuperior Lunæ limbus attollebatur ſupra horizontem 24^{0} fere. Hinc tempus provenit, adhibito viſo loco Lunæ iuxta noſtram reſtitutionem et refractionum impedimento ſublato, H. 4. 14′ poſt mediam noctem antecedentem. Finis deliquij infra horizontem evenit. Viſa autem eſt Luna ferme tota offuſcari, minima eius portiuncula ab umbra Terræ libera exiſtente. Solis eclipſatio, quæ 25. die accidit, hîc, quantum inter recurrentes nubes animadvertere licuit, initium habuit H. 9. 52′ A. M. per Armillas Æquatorias † 6 pedum in diametro (nam Inſtrumenta mea Aſtronomica huc in Germaniam e Dania, ut conſcius ſis, tranſtuli) temporis momenta denotando. Medium eius, uti neque finem, ob craßiuſculas et continuas nubes intervenientes conſpicere non dabatur. Conveniunt hæc tempora in utraque Eclipſi ſatis præciſe cum noſtro redintegrato calculo, ex 18 Lunaribus et 6 Solaribus prius ſubtiliter denotatis eclipſationibus depromto,

depromto, ut de alijs hincinde ſæpenumero expenſis amborum luminarium motionibus huc etiam conducentibus nihil addam. Quantitas corporis Solaris Lunæ interventu offuſcati debuit iuxta mea ratiocinia eßе digit. $10\frac{3}{4}$ in hoc horizonte, idque a ſuperiori parte, cum calculus Coperniceus et phaſin et momenta huius obſcurationis aliter exhibeat, uti et in Lunari Eclipſi tam is quam Alphonſinus nimium cis et ultra exorbitârunt. An deliquij Solaris magnitudinem noſtris numeris recte attigerimus, iudicent illi, qui eius medium ſereniore aura uſi conſpexerunt. Id vero ſciendum eſt, Lunam in novilunijs eclipticis non apparere ea magnitudine, qua alias in plenilunijs, utut in eadem fuerit a Terra remotione, ſed quaſi pro quinta parte eam certis de cauſis alibi referandis conſtringere; unde fit ut Luna nunquam totum Solem prorſus obtegere queat, etiamſi centraliter quoad viſum interponatur, lumine Solari eam aliquali adhuc veſtigio ambiente, quod et in hoc ultimo deliquio animadvertere poterant illi, quibus maxima offuſcatio patuit. Oportuit enim tunc Solem de Lunari corpore utrinque plus includere, idque corniculatim, quam linea per diametrum ducta exigebat, utut Lunæ diameter tunc fuerit iuxta noſtrum etiam calculum $34\frac{3}{4}'$, apparere autem apud Solem non potuit maior quam 28, quam limitationem a nemine antea animadverſam cognovi, ſed in aliquot Solis obſervationibus, cum tam a ſuperiore quam inferiore parte tegeretur, ſic me docuit experientia. Tuum erit, excell. MÆSTLINE, quid in his et ſimilibus compertum habeas, mihi etiam aperire, atque in poſterum iucundam inter nos de rebus Aſtronomicis collationem, quam et ego non invite admittam, exercere. De Eclipſium autem, potißimum Lunarium, a te ſubtiliter animadverſis momentis me, quam primum fieri queat, certiorem redde, ut correctionem longitudinum, de qua dixi, quam brevi in quadam tabella adornare conſtitui, tam hinc, quam ex alijs quibuſdam aliunde conquiſitis indicijs eo promtius expediam. Iam vale, v. cl. et de rebus Aſtronomicis laudabiliter merite, in quibus etiam expoliendis et locupletandis ut in poſterum perſeveres, te adhortor. Ubi reſcripſeris, effice, ut literæ quocunque tandem viarum ductu, ſive per Norimbergam, ſive aliquam aliam celebrem Germaniæ urbem Hamburgum perferantur, in hoſpitium iſthic meum, quod eſt apud HERM. REUTTER ſub ſigno coronæ aureæ, ſicque eas me certo obtenturum non ambigo. Iamque iterum et ſæpius vale. Dabantur Wandeſburgo die 21 Apr. 1598.

TYCHO BRAHE,
manu propria.

Cum intellexißem Tabellarium toto hoc die Hamburgi moraturum, curavi exemplum literarum KEPLERI ad me unâ cum meo reſponſo deſcribi, hiſque adiungi, quo de earum etiam contentis certior fieres: ubi plura huc facientia invenies.

[Ex

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD THADDÆUM HAGECIUM.

Poſt ſcripta ad D. D. Thaddæum Hagecium. 1r



N alteris tuis, optime mi THADDÆE, facis mentionem iſtius calumniatoris Ditmarſici, quodque eius ſcriptum maledicum in Daniam ad me mitti, antequam in Moraviam abires, procuraveris, mihi ſignificas, quo maturius id obtinerem, pro qua tua in me benevolentia gratias habeo. Famoſum iſtum libellum non quidem inde accepi, neſcio, an eo pervenerit, literæ enim ſolæ abſque libro mihi redditæ ſunt hîc Wandeſburgi, e Dania tranſmißæ; attamen ante paucos dies iſtum a quodam ſtudioſo Helmſtadienſi mihi mißum accepi. Exiſtimas tu quidem, me ad omnia percommode reſponſurum, quod etiam mihi foret quam facilimum. Verum ego cum tam impudente conviciatore, qui omnes verecundiæ limites tranſilijt, et totus calumnijs et mendacijs ſcatet, verba commutare mihi probroſum duco, neque enim dignus eſt, ut in ſcriptis meis nominetur, nedum refutetur. Erit forte alius, qui pro me tum quoque ROTHMANNO, bonæ mem. id faciet, eiuſque effrenem maledicentiam retundet. Ego vero eum non verbis ſed verberibus dignum cenſeo, et iuxta leges puniendum, quod contra Imperij conſtitutiones, tam famoſum, impudens et meris nugis, mendacijs et malitijs refertum ſcriptum in publicum edere non ſit veritus, et nihilominus Cæſaris Mathematicum in frontiſpicio ſe profitetur, nec tamen Typographi nomen ſubiungere audet, uti fit in famoſis libellis. Conſtitui itaque, modo cum bona Cæſaris venia, uti ſpero, id fieri queat, iſtum ‖ peßimum blateronem in ius vocari curare, et publice 1v plagij iniuriarum et mendaciorum accuſatum et convictum legibus coerceri et puniri, tum quoque Typographum, qui tam ſcurrilia impreßit citra ordinationes Imperij, mulctari, totumque illud ſcriptum uti meretur irritum reddi, auctorem vero, unâ cum Typographo, quem tu facile noſti, iſtic re et corpore in arreſto detineri, donec res iure deciſa ſit. Interim ad præcipuas Germaniæ Academias tam Pontificias quam alias ſcriptum iſtud mittam, et earum cenſuram, adiuncta mea declaratione, exquiram, quæ omnia poſtea in ius proponam. Quid Helmſtadienſis Academia de hoc iudicet, ex ijs, quæ ſtudioſus ille unâ cum libro tranſmißo ad me perſcripſit, videre eſt, quæ eſt eiuſmodi: »*Rerum novarum hîc nihil eſt, niſi verum et ferum iſtum Urſum non hominem (cuius librum hîc quidem non venalem, ſed a magno quodam viro acceptum, vobis mitto) pro ſuo ingenio in vos debacchatum eße, qui, quod vobis gratulamur, ſui ipſius ore ſuam prodidit*

prodidit

didit inſcitiam, et innata verborum virulentia ac canina calumniandi rabie veſtram probe ultus eſt iniuriam, utque doctißimus noſter CASELIUS, cæteraque Profeßorum cohors atteſtatur, quod impuro ſuo ſcripto de doctorum virorum cœtu plane ſe exemit, nec dignus eſt, ut Cæſaris amplius vocetur Mathematicus, nedum ut ſit. Sed næ ego deſipio, qui γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. *Introſpiciatis! Brunſ-*
2r *vicenſem Cancellarium Pragæ fuiße, vere ad ‖ vos delatum eſt, URSUMque exemplar ſui operis illi obtuliße, quo pravi ingenij ſcurrili ſpecimine ſtatuit hîc profeßionem ambire atque impetrare. Sed ut Cancellarij humanitatis erat, oblatum librum non renuere, ita ſapientiæ, tam impurum ſcriptum plane improbare et irridere, quod etiam ab Illmo noſtro (uti ab aulico mihi coniunctißimo certo comperi) prorſus damnatum eſt, adeo ut eius indignitas muneris alicuius illi apud nos deferendi Illuſtrißimo cogitationem plane ademit. Nos illius torſa in ſe tela lætamur, veſtramque virtutem a tali gregario milite invictam, ut novum quiddam non miramur, qui, ſi vos iſthic agere intellexißet, haud dubie ut in alijs omnibus diſceßum e Dania exilij convitio calumnioſe perſtrinxißet. Sed huius monſtri calumnias nunquam melius quam ſilentio retundetis, non enim dignus eſt ira Cæſaris.«* Hæc ille, et poſtea in poſtſcriptis quibuſdam de DUNCANO LIDDELIO Scoto Profeßorem iſthic agente, quem meas ſibi publice arrogaße Hypotheſes, quas tamen a me, cum in Dania ſemel atque iterum mihi adeßet, didicerat, fama percrebuit, ideoque ſcire avebam, an res ita ſe haberet, nec ne, ſic proloquitur: »*Maxima diligentia inquiſivi de veſtris hypotheſibus, an DUNCANUS eas ſibi arrogaret, nec potui intelligere ex ijs, qui quotidie cum illo converſantur, eum nunquam auſum fuiße eas appellare ſuas hypotheſes, quod etiam in publicis eius prælectioni-*
2v *bus nunquam audivi. Scit bene ſe obtinere non ‖ poße, ut fides ei adhibeatur, ſed aliquoties dixit de ſuo conterraneo CRAIGO, licet ſaltem privatim apud ſuos familiares, quem ſuum vocat Præceptorem, quod vos aliquando ſcripſiſtis quædam contra illum, in quibus illum mancipium ARISTOTELIS appellatis, quod eum male habet. Ille, cum Roſtochij privatim doceret, veſtras Hypotheſes Tychonianas appellavit, nec pro ſuis venditavit, qui ſatis eſt conſcius a nemine eße excogitatas, antequam vos eas inveni ßetis, quia in Dania eas a vobis intellexerat, diu antequam URSI iſtius Ditmarſici plagiarij veſtri Fundamentum Aſtronomicum (ſi dijs placet) evulgatum eſt, ubi iſte perfrictæ frontis URSUS hanc inventionem, quam tamen non ſatis capere videtur, ſibi attribuere non erubeſcit, quam procul dubio apud vos habuit, cum ante multos annos Nobilißi. viro ERICO LANGIO ſerviens, Uraniburgi*

cum dicto ERICO per multos dies manſißet. De hoc URSO, cum DUNCANUS maledicum in vos ſcriptum vidißet, licet vobis ob ſuum conterraneum et præceptorem CRAIGUM non valde faveret, ſic dixit: Se ſatis mirari non poße iſtius URSI impudentem audaciam, et quod nulla honeſtas, nulla modeſtia, nullum virtutis veſtigium in eo reperiatur, quod omnes etiam docti coguntur fateri, et aiunt: ipſum evacuaße omnis impudentiæ poculum, ipſumque valde, uti et meritus eſt, execrantur, neque poteſt honeſtus animus cordati cuiuſvis viri aliud in poſterum ſentire de iſto impudenti URSO, quam ipſum omnes verecundiæ limi-‖tes ſupra modum 3r *exceßiße, neque dignum, ut in conſortio honeſtorum virorum amplius verſetur.«*

Hæc nimirum eſt Helmſtadienſium Profeßorum de URSO iſto Ditmarſico ſententia, cui plures etiam Academiæ non difficulter adſtipulabantur, et quotquot ſunt Hamburgi viri docti, ad quos infamis iſte liber pervenit, non meliori Elogio auctorem ornant. Hæc vero ob id tibi paulo prolixius refero, dilectißime THADDÆE, quod ſciam tibi etiam tam inverecundum et ſceleſtum facinus diſplicere, rogoque ut rationem ineas, mihique tuum conſilium aperias, quomodo is abſque Cæſaris offenſa de iure caſtigandus ſit, neque enim ad tot tantaque convitia atque calumnias ſalvo honore meo prorſus ſilere decet, cum non ſaltem me, ſed et domum meam honeſtißimam, de qua fama hactenus verita eſt aliquid improbi loqui aut ſentire, ſcurrilibus mendacijs et infamationibus proſcindere non erubeſcat, multaque alia, quæ piget referre, ſingula tamen ſuo tempore, in ipſum, prout meretur, retorquenda; ſed hæc aliquantiſper dißimulanda cenſeo, donec in altero negotio, quod longe maioris eſt momenti, ex voto, uti confido, omnia tranſacta fuerint. Iſta alia ſuam bene invenient occaſionem, præſertim ubi Cæſar, cum rectius noverit et clam apud Ducem Brunſvicenſem Profeßionem in Academia Helmſtadienſi ambivißе, aut repulſam paßum eße reſciverit. Nec etiam ea, quæ in eodem ſcripto circa calcem habet, ‖ admodum 3v honorifice de Cæſare, cuius ſe iactat Mathematicum, prolata videntur, ubi ſuam penuriam, ſibique nihil dari, et neſcio quæ alia in Reges et Principes ſcommata ſeu potius convitia exaggerat. Os enim ex eo abundat quo cor repletum eſt. Velim itaque, mi THADDÆE, ut in hoc quoque negotio tuum mihi ſignifices cum conſilio iudicium, et quomodo Eruditi atque honeſti viri iſtic tam in aula quam urbe ſcriptum illud æſtiment, et an Cæſari tale quid innotuerit, atque utrum placeat vel diſpliceat, tum quoque ut de Typographo, quæ ſcire opus eſt, cognoſcas. Feceris mihi hac etiam in parte rem imprimis acceptam, et nihil addubito, quin tuo hîc non ſis defuturus officio, cum ſciam te non minus ægre ferre ea, quæ in me evomuntur, maledicta verba, quam ſi eiuſcemodi

modi quid tibi ipſi contingeret, velut et ego in te ſemper pari affectus ſum animo. Vale.

Hæc Mathematum quidam Profeßor Wittebergenſis, M. MELCHIOR IŒSTELIUS ſcripſit ad CHRISTIANUM SEVERINI LONGOMONTANUM, meum antea Studioſum, qui ſic habet:

De RAYMARI nuperrime in te impudentia et debacchatione per librum quendam ſuum recens, ut intelligo, editum ſparſa, idem IŒSTELIUS literis ſuis ultimis ad me mißis hæc ſubiungit:

»Pervenit ante paucos dies ad manus meas libellus quidam RAIMARI, in quo toto non tam ſophiſtice quam ſcurriliter in Generoſum Dominum TYCHONEM invehitur. Etſi autem certum eſt, neminem ſanum aut cordatum hoc probaturum, Generoſum item equum non curare latratum canum, tamen minime dubito, quin ſaltem coquus Domini TYCHONIS futilitatem et virulentiam ipſius retundet.«

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

1r

GENEROSO ET VIRTUTE AC LITERIS HUMANIORIBUS EXCELLENTI VIRO D. OLIGERO ROSENKRANTZIO, DOMINO DE ROSENHOLM, COGNATO AFFINI AC AMICO SUO INTEGERRIMO ET DESIDERATISSIMO.

S. P.

QUAS Roſenholmio in initio Martij ad me dediſti, Generoſe OLIGERE, Conſangvinee et affinis exoptatißime, circa 24^{tum} eiuſdem recte accepi, mihique fuere longe gratißimæ, ad quarum contenta, ubi opus fuerit, nunc brevibus reſpondebo, poſtea alia quædam ſubiuncturus. ERICUS SPARRE (quem tu per feſtinationem BRAHE vocas) hac non tranſivit, ſed alia via Roſtochium declinavit, ubi cum Doctore STURTZIO locutus grandia pollicitus eſt, quæ apud Regem
† ſuum, compoſitis potißimum Svecicis rebus, meo nomine efficere vellet. Sed ego talibus Politicis et politis verbis tantum fidei adhibeo, quantum et tu. De Coldingenſi conventu nondum certi quid nobis conſtat. Quidam Hamburgenſibus, quidam Suecis irrequietandis bellum deſtinatum fuiße autumant. Exitus acta probat. RANZOVIUS noſter victor quidem in ſua caußa Haderſlebiæ fuit, idque iure merito. At ſententiam in adverſarium unâ cum exſequatione obtinere nequivit, utut Rex admodum illi infenſus fuerit. Quam primum enim is, qui ſe
† periclitari animadvertit, [Cancellarium acceßit, iniurias, non ſaltem

 RANZOVIO],

RANZOVIO], ſed et [ipſi Regi illatas ſuperavit manum forte non va-
cuam porrigens]. De [PEPLERO] quod || pudore quoſdam affeceris, ſi 1v
modo quem habent, recte quidem a te factum, ſed nihil tam iniquum
eſt, quin ſi mihi ullo modo adverſetur, æquum ſit. Ego vero nihil inde
moveor, ſaltem hominum quorundam effrenem malitiam et conſci-
entiam nimis latam demiror, quibus ſibi ipſi plus nocent quam mihi.
Iudex generalis [Bergenſis], qui cum ſuis aßeßoribus ſententiam pro-
tulit, eam facile tuebitur, ſi ius locum invenerit, ſin minus, tranſeant
iſta cum cæteris. Ego me ijs, niſi admodum fuerit neceßarium, non
miſcebo. Interim tamen, quæ a me accepiſti, [Laumanno] communica,
ut, quæcunque ex ijs probationis contrariæ loco expetierit, habeat,
aut etiam [Præfectus meus] prius ab [ESCILLO BILLE et te] inſtinctus
illa proponet. Addam adhuc plura, ſi quæ invenero huc facientia. Sen-
tentiam conſcriptam iudex ipſemet adferet, nec difficulter obiectioni-
bus ſingulis obviabit. Scripſi ad illum nonnulla hac de re, ſed nihil ad-
huc reſponſi accepi. Citationem unâ miſi, quam is tamen forte prius
obtinuit. Mihi nihil de ea, [niſi ex te] conſtat. An [Uraniburgi] lecta ſit,
aut adhuc legenda, ignoro. Sed quidquid ſit, perinde eſt, nec teneor
ſecundum Leges, ſi modo pondus haberent, citationi illegitimæ et non
annuæ auſcultare, etiamſi res maioris eßet momenti. *Dette er lige
ſaa gott ſom allt dett andit; naar de erre trette aff dette, ſaa kand
de || finde paa nogen ny Huffroe.* Ego interim alia cogito. Quod tam †2r
fuſe cum [Cancellarij uxore] de me rebuſque meis locutus ſis, recte et
cordate a te factum. Vellem adhuc particulariora ſcire, atque ut ea
ipſa per occaſionem (dummodo induciæ inter vos ſunt) denuo incul-
cares, additis commentarijs et amplificationibus. Exiſtimant [Machia-
velliſtæ iſti] ſuas machinationes ita latere, ut nemo in [Dania] præter
authores eas intelligat. Interim exteræ nationes de his loquuntur et
ſcribunt; uti vel ex hac epiſtola mihi a tuo diſceßu mißa, quam prope
rem ipſam in Anglia attigerint, cognoſces. Ipſum originale addidi,
mihi, ubi deſcripſeris, remittendum, ut eo certius probetur, me nihil
in eo mutaße. Doctor IANUS MULIUS, qui hîc nuper apud me fuit,
Doctorem illum, qui ea ſcripſit, in Italia, antequam promotus eſt, no-
vit, et ex alijs literis ad ſe datis eius, uti mihi retulit, chirographum
cognovit. Is tibi ſecreto ſciſcitanti plura referet. Nam et illi exemplum,
ut ſibi deſcriberet, permiſi, quo eo facilius [Machiavelliſtis] innoteſce-
ret, atque ut hinc perciperent, quam caute et prudenter ſibi ipſis con-
ſuluerint. Quid eruditi paßim in Germania atque alibi de mea iſthinc
emigratione ſentiant, longum foret referre, neque noſtratibus forte ſatis
honorificum. Habes hîc unâ ſolius MONAVIJ Wratiſlavienſis literas
ad me nuperas, quas cupio mihi remitti, quibus in quantum hunc ca-
ſum || exaggeret, percipies, adeo ut quodam in loco nimis hyperbolice 2v
loquatur.

† loquatur. *Det var noch hand var en Jyde.* Ego ſemper Regem noſtrum Serenißimum, alioſque in patria cordatos viros excuſare ſoleo. Cæteri ſatis ſunt [famoſi] tam intra quam extra Regnum, ut me notatore non indigeant. Exemi quoque et Regem et quoſvis integros viros ab ijs, quæ mihi evenerunt, in prioribus meis ad MONAVIUM. Hinc eſt, quod ait, me recte facere, quod diſcernam actorem a Poëta fabulæ. Quod vero de adminiſtratore nihil apud [prædictam] attuleris, conſulte factum eſt. De ULFELDIO quod ſcribis, eum ementita omnia, quæ tacite tibi ſignificaram, aßeveraße, equidem facile ita eße credo, cum nunquam pro veris ea habuerim, cumque multa alia ijs graviora efficta ſciam.

GERHARDO RANZOVIO de equis ſcripſi, prout a te indicatum eſt, nec tamen me eos expetere ante feſtum Pentecoſtes. Victualia iam antea intellexi in Dania et cara eße, et ne eveherentur prohibitum. Neſcio tamen, quo iure viro e familia Nobili iſthic oriundo, qui in œconomiæ propriæ ſubſidium ijs uti vellet, nec lucrum aut mercaturam circa ea exercere, interdictio obſtare poßit, præſertim ſi per alium virum nobilem, non autem mercatores negotium hoc procuretur. Sed cum maioribus in Patria carere poßim, cur non et iſtis? Curabo aliunde e vicinis locis 3ʳ minori-||bus (uti ſpero) difficultatibus id effectum dari. Interim tua propenſa voluntas mihi apprime grata eſt. Baronem illum, cuius inter nos mentio facta, in Auſtriam abijße intellexi, nec ſcitur, an reverſus ſit. De maledico iſto ſcripto, cuius caußa ad ipſum literas dare volui, non ſum ſollicitus, nam author eius tanta impudentia verecundiæ et veritatis limites in eo ſuperavit, ut nulla alia redargutione, quam propria ipſius temeritate et ſcurrilitate opus habeat, prout Eruditi et cordati omnes fatentur, uti colliges ex poſtſcriptis qui† buſdam ad THADDÆUM, quid hac de re mihi Helmſtadio ſignificatum ſit; ubi etiam appoſitum eſt, quid Mathematicus Wittebergenſis Roſtochium ad CHRISTIERNUM SEVERINI, qui mecum per aliquot annos fuit, perſcripſerit. Habes quoque exemplum literarum ROLLENHAGIJ, quas his ipſis diebus accepi, qui fuſius de his agit et librum iſtum ſcurrilem unâ miſit, quem ERICO LANGIO deſtinavi, ſiquidem author eum ſemel atque iterum iſthic pro teſtimonio in re falſißima alleget. Verum iſte calumniator alia ratione per oportunitatem caſtigandus eſt; ubi ſuperfluum habuero exemplar, tibi mittam; aut obtinebis forte aliunde. Nam in Daniam famoſum illum librum iam antea veniße intellexi. Habebunt in hoc mei oſores, quibus ſe titillent; multaque proprijs commentis non dißimilia ibidem reperient; licet non ita κατ' ἐξοχήν quidvis fingere auſi ſint. Sed valeant iſta. ||

3ᵛ Venit heri in manus meas liber Ephemeridum cuiuſdam MARTINI † EVERHARTI (ut et hoc obiter intermiſceam) quas ex novis ſuis tabulis Belgicis

Belgicis ſe ſupputaße in frontiſpicio aßerit, atque in epiſtola dedicatoria [ad Regem noſtrum] multa de ijſdem pollicetur. Et recte quidem ad apparentias Cœleſtes appellat, modo pro ipſo ſententiam ferre vellent, cuius tamen contrarium deprehenditur, adeo ut ne fixarum quidem loca nedum Erraticarum hinc inquirenda ipſi Cœlo conſona protulerit. In fixis enim ſtellis retinuit ubique eaſdem longitudines et latitudines, quæ ex calculo Prutenico derivantur. Quæ ſi rite ſe habuißent, quantis laboribus et quot millibus Ioachimicorum parcere potuißem? In Planetis motus eorum ex utroque calculo nimirum Alphonſino et Coperniceo ſimul mixto, et huic quam illi pro arbitrio propius accedendo, quodlibetice, quo imperitis fucum faceret, conſarcinavit, maiori ſane compendio, quam ſi ex ipſo Cœlo (prout ait) omnia deduxißet, an vero pari certitudine, non dixerim. Arbiter ille, quem pro ſe allegavit, conſtans eſt, nec in ullius gratiam, aut ex affectu vel inſcitia quidpiam facit: adeo ut difficilem teneat tali ſub iudice caußam. Si ad terreſtres rem detulißet, minori id foret periculo; tunc enim ſimilia ſimilibus congruerent atque placerent. Cupio ex te ſcire, quid remunerationis loco [a Rege noſtro] acceperit, et an fides illi habita, eum in receßu præſtare, quod primo acceßu pollicetur. || 4r Non crediderim, eius oblationem liberalius exceptam, quam Iureconſultorum et aliorum. Verum hoc extra propoſitum, nec de iſtis mentionem ullam fecißem, niſi ex te etiam ſcire animus foret, quomodo noſtrates ex ijs, qui mei odio laborant, quoſque ſatis noſti, de utroque ſcripto pronuncient. Neque enim dubito urſinum et ferinum iſtud ijs multum ſolatij additurum, quo malevolentiam propriam aliena probent, mendacia mendacijs, iniurias iniurijs. Atqui hæc demonſtratio talibus ſufficiat, qui veriora nec amant, nec cupiunt, nec tolerant. Ab Everhartianis Ephemeridibus ſolaque earum inſcriptione et præfatione inducere poßunt ea, quæ ego tot annis molitus ſum, et necdum abſolvi, ab alio quodam iam peracta eße et Regi dedicata; ut tanto apparatu Aſtronomico, tantiſque impenſis, prout ego feci, non fuerit opus; Tabulas iam ab alio eße confectas, quæ diu fruſtra a me expectabantur; minori negotio iam omnia peracta eße, ita ut totus meus fruſtretur labor. Hæc et ſexcenta alia eiuſcemodi pro iudicij libertate ſeu potius levitate, procul dubio comminiſcentur, et facilis eſt aßenſus. Quis enim Cœlo inconſulto hæc dijudicarit? Cœlum vero conſulere quotuſquiſque rite novit? Sed ſuo tempore patebit, quam parum aut potius nihil ab EVERHARTO iſto præſtitum ſit, motuſque ſiderum potius confuſione quadam utriuſque calculi ſic intricatos quam extricatos eße, adeo ut nullo certo, ſed ſaltem opinabili et pro authoris arbitrio utcunque aßumpto nitan-|| 4v tur fundamento; quod potius eſt Aſtronomiam depravare quam inſtaurare, deſtruere quam ædificare. Tuum erit noſtrorum hominum, præſertim eorum, quos noſti, acre (ſi Dijs

Dijs placet) iudicium de utroque libro, quatenus clam expiſcari licuit, mihi tacite innuere. Exemplum literarum tuarum, quod requiris, mitto, originale autem reſervo. Quidquid in hoc mutaveris, idem fiet in altero, nec quidpiam tuorum edam, niſi conſenſeris. Quod [a GERHARDO RANZOVIO pecuniam nanciſci] nequiveris, facile credo. Servant enim [Holſati ea elocanda] ſtata tempora. A mercatore illo Hamburgenſe [nihil impetrare licuit] uti [* nerue] nec Flenſburgenſe, unde incommoditatibus quibuſdam aliquandiu obnoxius fui. Nemini potius quam tibi multis de cauſis ædes illas meas Haffniæ extructas concederem. Et de precio facile inter nos conveniret, ſi prius nimium tibi videretur. Da adhuc operam, ut eas præ alijs poßideas. Invenies (uti exiſtimo) iſthic pro aliqua ſaltem pecuniæ parte conquirenda rationes non admodum difficiles aut tibi (quod nollem) damnoſas. Si minus, effice, ut alium emptorem habeam, quem cenſueris non incompetentem. De libris tuis apud D. BŒKELIUM reſiduis aliquoties diligenter egi, ſed is multa quærit ſubterfugia. Minatus ſum, me rem ad iudices delaturum, et ne ſic quidem profeci. Neque per [WINSHEMIUM] tuum alias, uti haberi vult, Amicum quidpiam efficere potui, uti ex ſchedis quibuſdam, quas conquiſitas adiungam, ipſemet colliges. Solam VE-
5r SALIJ || Anatomiam unâ cum PERERIJ in Geneſin Tomo primo nactus ſum, quorum hic libellus eſt in 8vo. Utrumque mitto. Nam licet VESALIUM, ut mihi reſervarem, liberum conceßeris, nolui tamen id facere, niſi æquivalens quid ex mea reciperes bibliotheca. Sed neſcio, quidnam in ea ſit, quod tibi arrideat. Præterieram fere ea, quæ de commentarijs tibi notis ais, te per oportunitatem in ijs laborare, ut propediem obtineam unâ cum reſponſione ad [Germaniam,] in quorum utroque rem acceptam præſtiteris, tibique res meas curæ eße, eo plus probaveris. Mitto autem nunc carmen illud Germaniæ ad Daniam. Si quid in hoc critizare volueris, tibi liberum erit. Reſponde luculenter, prout commodum fuerit, et replica nonnulla in Germaniam acute. Patriam quoque et Regem excuſa alioſque integros et cordatos viros, præteritis ijs vel potius tacite notatis, qui culpa non vacant; et in fine me Germaniæ Dania commendet, ſiquidem ita evenit, ut me carere debuerit. Sed nihil hîc tibi præſcribo. Per te ipſum facile invenies reſponſionem. Materia eſt locuples et tibi non ignota. Præſtiterit autem mea Sententia, carmen eße Elegiacum, et rationes addere ab initio, quare non Heroico et pompoſo verſu reſcribas. Sed audi quidpiam aliud, ſive fortuitum, ſive quod ſic fieri debuit; cum [Rex Haderſlebiæ RANZOVIJ] hoſpitium ingreßus, forte fortuna in eius conclave venißet, illo abſente, in menſa calendarium [Ranzovianum] reperiens,
5v cui Elegia noſtra ad Daniam inſerta erat, quam || [RANZOVIO] miſeram, conſpecto [Rex] titulo et mei nominis ſubſcriptione (uti exiſtimo) avide

avide Elegiam illam perlegit, adeo ut circiter horam in ea perſpicienda abſumpſerit, ſtatimque ſepoſito Libro tacitus diſceßit. Quod ubi [RANZOVIUS] † a miniſtris percepit, valde ſuccenſuit pueris, quod librum illum non amovißent, illi autem per ignorantiam ſe excuſarunt. Sed [Rex] nullum verbum de hoc ad [RANZOVIUM] retulit, neque mei ullam fecit mentionem toto illo tempore dum Haderſlebiæ eßet, uti neque Bredenbergæ cum in vicinia a RANZOVIO ſplendide exciperetur; quod conſulto factum eße exiſtimamus. Ego vero ubi reſcivi, [Regem] Elegiam illam tam ſtudioſe evolviße, mihi volupe erat ita factum. Utinam ſaltem omnia in ea ad unguem intellexißet. Et optaßem, ut carmen SOMMERI, qui hîc nobiſcum aderat, unâ adiunctum fuißet, quod is domum reverſus mihi miſit, in quo manes regis FRIDERICI Danos alloquentes deque meo abitu cum ijs quaſi expoſtulantes introducit, cuius etiam hîc exemplum adiungo, et tuæ cenſuræ ſubijcio. Si et illi ſive per te ſive alium quempiam reſpondere placuerit, liberum erit. Videtur is, neſcio quo furore Poëtico percitus, veritatem in multis libere ebuccinare. Et pro tali authore Carmen non eſt inelegans. Subiunxi inſuper denuo noſtram Elegiam ad Patriam, ut habeas correctius quam antea exemplum. Eſt enim diſtichon quoddam additum, quod prius aliqua incuria omißum erat, cum a [Rege] tam diligenter perluſtratum præter morem in talibus, et ‖ ſic eiuſdem ſilentio quaſi authenti- 6r cum redditum ſit.

Aſtronomia noſtra Mechanica iam typis abſoluta eſt, cuius exemplar dono mitto ſecreto habendum, et nulli communicandum, niſi forte SOPHIÆ noſtræ utrique, ſi placuerit, tacite oſtendendum. Addita ſunt paucula quædam ad tuum carmen, ut compleretur pagina, ſententia tamen manente ut prius. Videbis in fine RUDOLPHI illius, qui me hîc inviſere ſolet, odam Horatianam, quæ, niſi animus me fallit, tibi non diſplicebit. Æmulatur Poëtam illum Wittebergenſem F. TAUBMANNUM, qui etiam quædam de meo abitu nunc concinnare dicitur, unâ cum plæriſque alijs hinc inde Poëtis, quæ ubi nactus fuero, tibi impertiar. Habebis etiam cum hoc eodem nuncio Stellarum octavæ ſphæræ reſtitutionem, etiam Cæſari dedicatam, ſed ſaltem in membrana manuſcriptam. Quin et tertium quendam eiuſdem quantitatis et formæ librum ad Cæſarem adorno, qui ☉ et ☾ motus velut in Ephemeride ad aliquot ſequentes annos, quotquot mature abſolvere licuerit, continebit, appoſita ad ſingulos dies differentia utriuſque calculi, † Alphonſini et Copernicei, quæ ſubinde maior eſt quam putatur, etiam additis quibuſdam alijs, huc proprie et utiliter facientibus, quo habeat Imperator Specimen quoddam in ambobus luminaribus noſtræ inſtaurationis Aſtronomicæ, donec ea, quæ pariter in quinque Planetis molior, penitus abſolvantur, qua in parte nunc ſtrenue laboro; et compendia

pendia quædam adinveni, quibus id commode exequi liceat, etiam 6v ante-‖quam Tabulæ noſtræ huc facientes prorſus conſummatæ fuerint. Nam ea, quæ principaliter huc conducunt, in promptu habeo. Ablegavi autem hiſce diebus FRANCISCUM TEGNAGLIUM noſtrum ad Archiepiſcopum Colonienſem cum exemplaribus duobus librorum iam paratorum. Deditque unâ RANZOVIUS ad eum meo nomine diligenter literas, meis quas hîc vidiſti adiunctas. Intentio eſt, ut impetrem a Colonienſi literas ad Cæſaream Ma^{tem}, quibus me meaque ſtudia ei ſerio commendet, illiſque adiutus eo confidentius Cæſari poſtea mea offeram, atque ea, quæ deſidero, proponam. Interim Pragam ad THADDÆUM ſingularem meum amicum ſcripſi, et eum de propoſito meo ſecreto certiorem reddidi, ut omnia tacite exquirat, quid in his conſultum fuerit, meque de eo admoneat; ſpero me propediem reſponſum obtenturum. De negotio apud Illuſtrißimum Adminiſtratorem, qui nunc eſt Septemvir Imperij, ſic habe: cum filius meus TYCHO Berlini diu ſubſtitißet, quod ob plurima irrepentia in ea Electoratus mutatione obſtacula eßent in Aula alias occupatißimi, poſt nonam tandem hebdomadem reverſus unâ cum IOHANNE MÜLLERO Mathematico Principis et liberorum eius inſtructore, literas quidem tam ab Electore quam Electorißa attulerunt, et Regi noſtro Ser^{mo} et Reginæ inſcriptas, tum quoque aulæ Magiſtro et Cancellario, ac ad me etiam ſeorſim dederunt literas tam is quam illa unâque eorum Cancellarius. At ego cum omnes perluſtraßem, et ex copijs earum, 7r quæ obſignatæ erant, ‖ contenta perſpexißem, vidi nimis aulico more compoſitas eße, parumque ad rem facere. Fundantur præcipue literis illis quas Bramſtedij Principi præſens obtuli, quæ obiter in ea feſtinatione (ſiquidem ſummo mane Princeps diſcedere voluit) exaratæ erant. At Inſtructio, quam poſtea MÜLLERO tradidi, alia quædam et particulariora continebat, quorum minima pars in literis Electoris attingitur. Incertus itaque ſum, an literas haſce non magni ponderis ad Regem et Reginam mittere velim, cum mihi uſui iſthic futuras vix putem. Si Megapolitanæ tam diligenter ſcriptæ nihil profuerunt, adeo ut ne reſponſionem quidem promereri potuerint, multo minus hæ. Sed mitto tibi earundem Exemplaria, ut tu ea ſecreto perlegas, et nulli niſi ESCILLO noſtro aperiens deliberare et mihi ſignificare poßis, an in Comitijs proximis exhibendæ ſint eæ literæ vel ſecus? Tum quoque an Regi duo illi libri de Aſtronomia Mechanica et Stellis cum meis ad ipſum literis offerendi, et an quidpiam ad Senatum Regni ſcribere conducat, de reſtituendis mihi impenſis, ſiquidem ea, quæ molitus ſum, ex Regis FRIDERICI et eorum conſenſu ac comprobatione iuxta Senatuſconſulti tenorem et pollicitationem conſervari nequeant; et de inſtrumentis meis iſthic reſiduis in Germaniam tranſvehendis, cum in Dania otioſa

ſint: ac quibuſdam alijs ad res noſtras peculiariter facientibus. Quod ſi tale quid tentandum cenſueris, de ijs, quæ principaliter attingenda, captato etiam cum alijs, quos fideles noſti, præſertim ESCILLO noſtro, con-||ſilio, me mature admone; et ſimul commentaria in utranque Epiſtolam [7v] (uti noſti) mitte. In reſponſione ad Germaniam non opus eſt feſtinatione. Fiat id per oportunitatem et otium. [Genealogias et Geneſes Aulæ Magiſtri et Cancellarij,] tum quoque res geſtas, prout inter nos facta eſt mentio, tacite inquire, mecumque communica. Cætera habes in ſcheda memoriali tibi tradita, nec quidpiam hæſito, quin operam daturus ſis, ut nihil in ijs prætereatur. Plura itaque nunc non addam, cum forte in his nimius fuerim, teque plus ſatis (quod amicitiæ noſtræ tribuas) moleſtarim. Unum ſaltem addam, quod te tuamque terrigenam SOPHIAM concernit. Scripſi mox a tuo hinc diſceßu AXILLO fratri, eique hortator fui, ut permitteret te ex arbitrio Nuptias tuas diſponere atque celebrare, et rationes addidi, cur id ſuaderem. At ſi vera ſunt, quæ nuper hîc a cive quodam Malmogienſi inaudivi, parum profeci hoc meo conſilio. Aiebat enim ille, quod AXILLUS frater trium filiarum e ſuis Nuptias uno eodemque tempore Malmogij circa medium Auguſti celebrare decreverit, quare et tuæ inter eas erunt. Si id tibi non ſatis placuerit, æqua mente ferendum eſt, quod aliter fieri nequit. Scis Damaſellas hîc fata regere, neque ullis rationibus moveri poße. Verum ego hoc ſaltem ex indicatione illius civis ſcribo nihil certi alias habens. Tu vero, quid in his futurum noſti, indica, atque per circumſtantias explica, Deique providentiæ (uti facis) om-||nia committe. [8r] Is tibi et tuæ omnia fauſta ex animi ſententia largiatur. Vale et reſaluta ex me Matrem tuam officioſißime, tum quoque fratrem AXILLUM unâ cum coniuge et liberis, non præterita, quam noſti, SOPHIA, in quo nomine acquieſcere lubet. Dabantur ſubito Wandeſburgo die 8vo Maij Anni 98.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

Feci ſuperius mentionem libri de Mechanica Aſtronomia, quod eum tibi mitterem, verum poſtea conſultius duxi exemplar illud, quod Regi noſtro deſtinavi, unâ cum altero libro fixarum reſtitutionem continente, ad te dirigere, ut utrunque in hiſce Comitijs (modo tibi viſum fuerit) ipſi meo nomine ſubmiße offeras, et ſiquidem talibus non delectetur, uti a te et alijs cognovi, tibi facile expetenti ambos concedet. Da itaque operam, ut obtineas, et ne veniat in manus ac poteſtatem aliorum, mihi forte minus faventium. Quod ſi Rex te ijs non donarit, habebis a me poſtea alia exemplaria. Monſtra hæc ſaltem ſorori SOPHIÆ et KRAGIO noſtro et fratribus meis, ſi qui ex ijs talia curant. Attende vero ad ea, quæ infra Inſulæ Huennæ Topographiam conſignata ſunt † iuxta

iuxta calcem, *Saa ſkal I ſee hor høfflig ieg haver ganget om der* † *med, for Sandhed lader ſig icke ſiige:* ſed forte malevoli et hæc ſiniſtre interpretabuntur more ſolito.

POSTSCRIPTA.

LITERAS alias, quas ſcis me ad varias Principes Germaniæ ſcripſiße,‖ 8v non duxi conſultum ijs mittere, antequam de Cæſaris voluntate, poſtquam interceßorias Colonienſis et meas ipſi cum libris deſtinatas acceperit, quidpiam certi compertum habeam, ne in pluribus locis negotium hoc tentatum difficilius forte fiat, et pluribus anfractibus involutum reddatur iuxta tritum illud: qui Lepores binos etc. Interea tamen iußi, ut FRANCISCUS noſter cum Comite MAURITIO in tranſitu per illa loca meo nomine ſecreto loquatur, ut intelligere queam, quid ſpei ſit apud Batavos, ſi Cæſar et Germania oblata non acceptarint, dedique hac de re ad MAURITIUM literas, ita tamen ut nihil abſolute ſtatuerem, ſed FRANCISCO omnia hypothetice ſaltem proponenda et expiſcanda concredidi; obtuli etiam MAURITIO duo librorum exemplaria, hac tamen cautela, ut eas tacite ſibi ſoli reſervaret, donec Cæſari, cui dedicantur, exhibiti eßent. Habet etiam alias FRANCISCUS ſecum ex operibus meis ſingula quædam Exemplaria, quæ illuſtribus et præcipuis viris, prout oportunum fuerit, monſtrare poterit, quo videant rem ſerio agi. Iamque iterum vale, et Doctorem NICOLAUM KRAGIUM noſtrum, ad vos procul dubio reverſum, de ijs quæ hiſce literis ſcripſi, certiorem redde, quatenus eum ſcire conveniat, et carmina atque literas, ut ſingula per otium perlegat, cum ipſo clam communica, et illius quoque de ijs, quæ perſcripſi, conſilium exquire. De ipſo enim nihil addubito, quin rebus noſtris ex animo bene cupiat. ‖

9r Poſtquam hæc exarata erant, accepi CRAMERI tui literas et binas ad te ſcriptas, quarum alteræ a me lectæ ſunt, prout ille in inſcriptione conceßit. Habes hîc utraſque; cuperem tamen Apologeticas illas mihi remitti, ſed prius monſtrentur Doctori NICOLAO, ut videat quam ingenue CRAMERUS veritatem contra Scotum illum profiteatur. Addidi et eas, quas mihi ſcripſit, licet id vetuerit, ut videas ex ipſiuſmet verbis, quid velit me ſuo nomine apud te agere, quod tuo relinquo arbitrio, qui optime noſti, quid hac in re conveniat vel ſecus.

Non fuit mihi otium literas haſce relegendi, ſed tu pro tua induſtria ſententiam facile percipies, ſi qua in parte inter ſcribendum aberratum eſt, aut forte prætermißum.

T. T. B. ‖

POSTSCRIPTA ALIA.

POSTQUAM has ad te abſolvißem literas, accepi Praga Reſponſum a THADDÆO noſtro ad ea, quæ illi ſcripſeram, quæ hîc legiſti, quod ſatis bene ſe habet pro hoc primo initio. Exemplum Epiſtolæ illius incluſi ijs literis, quas Doctori NICOLAO KRAGIO, communi noſtro amico, ſcripſi; is te eius faciat participem. Tuum erit unâ cum ESCILLO BILLEO conſilium capere, quid vobis videatur ex re mea eße hîc facere vel omittere; libenter enim amicorum, qui integri ſunt, conſilijs auſculto. Poteris etiam, ſi tibi tutum videbitur, AXILLO GYLDENSTIERN hæc ipſa clam aperire, nam et is, uti exiſtimo, mihi bene cupit. De fratribus meis vix habeo quod dicam, videntur enim illi me meaque obiter curare et ne curare quidem, quod nimis multis comperi indicijs, licet id ipſum patienter feram atque me intelligere dißimulem. Ego ſane aliter pro ijs laboraßem, ſi ea alicui eorum evenißent, quæ mihi. *Mens dett er nu ſaa viit kommen y verden, att den giør en møgitt gott, ſom giør en intedt ont. Gid jeg kunde kun nyde dett derpaa.* Sed quo degredior? quo me iuſtus trahit dolor? nec tamen † doleo, ſiquidem ita ſeculum hoc ferat; miror ſaltem, nihil ferme integri et priſci moris retinere BRAHEOS meos, qui longo temporum tractu conſtantiæ et mutuæ fidei nomen promeriti ſunt. Sic mutantur et tranſ-|| plantantur omnia. Iterum et ſæpius, diuque multumque cum tua tuiſ- 1v que vale. Raptim Wandeſburgo die 28. Maij Anni 98.

TYCHO BRAHE.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

THADDÆUS HAGECIUS AD TYCHONEM BRAHE.



OBILISSIME Domine TYCHO et amice obſervande, ſcripſi tibi propemodum ante menſem integrum, et cum hucuſque nihil reſcripſeris, niſi forte tardiuſculæ ad te pervenerunt meæ, te ipſum exſpectabam, exſpectoque etiamnum. Dominus Procancellarius CORADUCIUS diebus hiſce me allocutus eſt, et dixit te iam Cæſari de meliori nota commendaße, modo ipſe venias, et te Cæſari præſentes; in hoc ſolo cardo rei vertitur.

Aliud, quod ſcribam, non habeo, niſi ut quamprimum ad nos advoles. B. V. Pragæ penult. Maij novo Stylo 1598.

T. THAD.

[Ex

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

NOBILISSIMO VIRO DOMINO TYCHONI

BRAHE OTTONIDI DANO, DOMINO IN KNUDSTRUP, ASTRONOMORUM HAC TEMPESTATE PRINCIPI ILLUSTRI, DOMINO ET AMICO SUO

ΕΣ ΧΕΙΡΕ.

S.



ISI tibi, Nobilißime Domine Tycho, Domine et amice honorande, quod petiviſti a me proxime, teſtimonium de plagio Liddeliano; id ut omnino ſpero, legiſti, intellexiſti. Nunc exſpectas a me Propempticon ad tuam Uranien ſcriptum. Id ego promiſi; en ſolvo. Sed neſcio an moneta ſat ponderoſa. Iterum autem ex te meoque intime dilecto et honorando ROSENCRANTZIO exſpecto reſponſum et in hanc et alias meas literas. Spes ne me confundat, uterque facietis. Hæc paucula habui. Te Domino commendo, et iam iam poſt dies octo ad promotionem meam Doctoralem Witebergæ σὺν θεῷ habendam eo. Tu felicißime vale cum OLIGERO. Stetini. Pridie Aſcenſ. Domini Anno 98.

T. M. Add.

DAN. CRAMERUS.

† [E codice Basileensi G II 2]

237 # CLARISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO

DOCTORI IO. IACOBO GRYNÆO, APUD BASILIENSES VERBI MINISTRO ET IN INCLYTA ILLA ACADEMIA PROFESSORI CELEBERRIMO, AMICO SUO HONORANDO.

BASEL.



234 LARISSIME et præſtantißime vir, quas in Decembri ſuperioris anni ante ſemeſtre Baſileâ ad me dediſti literas, recte quidem accepi, quibus tamen reſcribendi nulla ſeſe obtulit interea commoditas, antequam idem, qui tuas reddidit tabellarius, e Dania reverſus, et ad vos denuo pergens, hac tranſiret, quare moram hanc candide accipias rogo. Non poßum non ingentes tibi agere gratias, optime GRYNÆE, quod de me, utut longa viarum intercapedine dißito, tibique de facie ignoto, adeo benevole et ſincere ſentires, et ea quæ mihi ob quorundam in Patria livorem et malevolentiam, craßâ veri ignorantiâ, ſive per imprudentiam, ſive datâ operâ, non dixerim, coniunctam ab inexpectato, et aliter quam forte promeritus eram, evenerunt,

runt, tibi adeo cordi eße ſinas, ut huic rerum noſtrarum conturbationi condoleas, meque conſoleris et confirmes. Debemus equidem omnes præ cæteris Regionibus, plurimum Patriæ, quæ nos edidit, excepit et fovit. At quid faciendum, ſi hæc gratitudinem noſtram reſpuat, neque bene merita agnoſcat, imo pro his quævis incommoda et damna machinetur otiumque et commoditatem virtuti rebuſque bonis operam navandi interturbet atque præripiat? Et quis quæſo Patriæ ſuæ mores atque iudicia ſubinde perverſa in hac mundanæ ſcenæ confuſione et irregularitate unquam corriget? præſertim hoc ſæculo, quando omnia videntur in peius ruere. Ferenda igitur ſunt forti et conſtanti animo, quæ caveri et emendari nequeunt, et de verâ illa ac Cœleſti potius Patriâ omnis turbulentiæ et enormitatis experte, ſerio cogitandum eoque anhelandum. Interim vero dum in hoc terreſtri verſamur exilio, eas quæ nobis obveniunt graviores interdum adverſitates, quam ijs ſuſtinendis pares ſimus, || ſiquidem avertere non datur, loci mutatione 235
declinare atque evitare licitum exiſtimo; ideoque et ego a gravioribus iniurijs, quas non paucas a quibuſdam noſtratium, qui nunc fatis Reipublicæ ferme ſoli præeße volunt, pertuli, totque fluctibus et tempeſtatibus in Germaniam diſcedendo, auxiliante Cœleſti Numine, me vindicavi: ſperans tranquilliorem et tutiorem me hîc inventurum portum. Quam arduæ vero caußæ me eo impulerint, verbis eloqui non facile datur, nec ſatis conſultum arbitror, ſi quis ea, quæ in Inſula illa Helleſponti Danici, quam inhabitavi, molitus ſum tot præterlapſis annis, quæque abiens iſthic effecta reliqui, conſpexerit expenderitque, non obſcure vel hinc colliget gravißima fuiße illa, quæ me hæc omnia poſthabere et Patrium ſolum deſerere totamque familiam in Germaniam tranſferre adegerunt. Habet præſens tabellarius ſecum librum quendam hîc per otium hybernum excuſum, quem meo permißu Nepoti ex fratre OTTHONI BRAHE, qui cum ſuo præceptore in veſtra laudatißima Academia aliquandiu antea verſatus eſt, filius meus natu maior dono mittit; hunc ſi tantum tibi a gravioribus officij tui curis ſupereſt otij, ut quædam in eo perluſtrare vacet, mandavi tabellario, ut dum iſthic moratur, tibi inſpiciendi copiam faciat; cognoſces hinc utcunque, veluti opinor, præſertim ex ijs, quæ appendicis loco de ſtructuris addidi, et quæ infra Inſulæ topographiam conſignata ſunt, mihi antea non fuiße in animo talia unâ cum tota Patria totque in ea ſanguine iunctis et amicis derelinquere. Adiuncta ſunt eidem libro quædam carmina manu ſcripta, quæ hanc mutationem aliquatenus attingunt, quod ſi ea etiam percurrere commodum fuerit, erit tibi id liberum. || Sed deſino de his plura. 236

Ego hanc ſortem, quæ mihi contigit, lubens et fortiter, Divinâ favente clementiâ, feram, nec quidpiam inde movebor aut curſum a virtutis

tutis tramite remittam, quamvis mihi unâ cum meis extra Natale ſolum in peregrinis oris reliquum vitæ, prout Deo viſum fuerit, tranſigendum ſit, nec enim Patriam hiſce terreni globi anguſtis limitibus metior. Sed perinde eße duco, ubi quis in huius terræ ſuperficie degat, modo bene et commode degat, nec contra conſcientiam quidpiam agere aut admittere cogatur. Domino HENRICO RANZOVIO, affini et amico meo honorando, literas tuas prælegi curavi, illique ex te ſalutem dixi; is vicißim te peramanter reſalutat, gratumque illi fuit, quod tam honorifice de illo ſcripſeris et ſenſeris. ANTHONIUM RANZOVIUM nondum convenire licuit, neque mihi conſtat, ubi is moretur; cum dabitur occaſio, huic etiam tuo nomine ſalutem nunciari curabo. Plura nunc ob occupationum molem addere non vacat. Hæc itaque qualiacunque ſubito effuſa boni conſulas, et amicitiam inter nos ſemel per literas contractam hac etiam ratione, ſiquidem aliter non liceat, conſervare non deſinas. Deus te cum tota domo incolumem conſervet et a malis tueatur. Dabantur Wandeſburgo die 7. Iunij Anni 98.

Tuæ excell. ſtudioſiß.
Tycho Brahe,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

2v ERNESTUS ELECTUS ET CONFIRMATUS ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS, SACRI ROMANI IMPERIJ PER ITALIAM ARCHICANCELLARIUS ET PRINCEPS ELECTOR, EPISCOPUS LEODIENSIS, PALATINUS RHENI, DUX UTRIUSQUE BAVARIÆ

3r NOBILISSIMO, NOBIS SINGULARITER DILECTO TYCHONI BRAHE, DOMINO DE KNUDSTRUP.

2v CLEMENTI noſtra ſalutatione præmißa. Nobilißime, ſingulariter dilecte, quas mihi Iuvenis ille notus a te literas dedit, et quæ de rebus tuis addidit, ſingulari lætitia legi et audivi: Munus vero Litterarium librorum tuorum, quos, ut a te rerum iſtarum peritißimo profectos, et de cœleſtibus illis corporibus tractantes, quorum vel ſolus aſpectus idiotarum oculos paſcit, cognitio vero et meum et omnium peritorum animos honeſtiore voluptate moratur, mihi ſupra modum fuit acceptum. Gratias pro ijs tibi ago, et quod factum a me hactenus non indiligenter, pergam ſedulo te tuaque Cæſ. M^ti^ commendare. Declaravi hunc animi mei ſenſum latori literarum tuarum et harum re-
3r latori. Ex eo intelliges, quæ de omni-||bus, quæ ſcire cupiebas, illum

feci

feci certiorem. Vale et tibi perſuade, et tuâ et ſtudiorum optimorum caußâ me quidvis conaturum. Leodij XXV Iunij 1598.

ERNESTUS,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

GEORGIUS ROLLENHAGIUS AD TYCHONEM BRAHE. †

S. 1r

TSI nihil erat, Nobilißime et Doctißime TYCHO, quod ad te præcipue nunc ſcriberem, tamen cum forte accederet me Tabellarius Lipſicus, volui te hiſce ſalutare, et quæ meus affinis ad me de URSO et de exſpectatione tui ſcribit, tecum communicare. Is affinis meus arte quidem eſt gemmarum ſcalptor ingenioſus, ſed officio apparitor Cæſaris, eſtque hoc eius, quod mitto, chirographum, ut ſi nota tibi iam tamen ſint, intelligas ibi quoque innotuiße; ſin ignota, deliberes, quid ad eam exſpectationem tibi ſit faciendum. Quod bene vertat ad ſalutem tuam et Uranies Deus Opt. Max., cum Illmo D. Brunſvicenſi de negotio tuo locutus ſum. Ille quidem præclare de te ſentit, ſed Regni et Regis deſertionem cauſatur. Et quamvis cauſas declararem tuas, et Regem ab alijs regi dicerem, tamen manſit in ſententia, ideo quod a ſuis Nobilibus ſe deſeri, et coram camera accuſari moleſtißime fert. Coniunx exiſtimabat exſpectandam eße occaſionem, qua coram Regem ipſum convenires: ſic omnia facile te impetraturum. Princeps in vinculis habet PETRUM HAGEN L. L. Salderiorum advocatum. Ipſos quoque fratres Salderios Lemgaviæ ſub Comite Lipienſi nuper cœpit, propediem eoſdem in Lycaoniam ſuam attracturus. Habent enim Leones Leonina || ingenia. Deus, in cuius manu eſt cor Principis, dirigat [1v] illud ad clementiam et iuſtitiam. Saluto generoſum ſenem Mæcenatem meum D. HENRICUM RANZOVIUM, eique facilem, viridem, et lætam ſenectutem precor. Peſtis graßatur paßim in vicinia, præſertim Halberſtadij, et ad nos eius ſemina quædam allata ſunt. Deus avertat ulteriora. Vale. Datæ die 18. Iunij Anno 98.

EXEMPLUM

EXEMPLUM LITERARUM GERMANICARUM QUÆ LATINIS HISCE INCLUSÆ ERANT.


EIN gandtzwillig dienſt jedertzeit beuor. Insunder gun-
ſtiger her Swager, das es Euch, ſamt Euhren lieben Haus-
frauwen wolginge, friſch vnd geſundt wehrt, ſolde mir
lieb ſein. Ick danck Godt den Almechtigen vor liebes ge-
ſundheit, der erhalte uns ferner nac ſeinem willen, amen.
Nachdem mir der Her Swager vor dieſem von des VRSI
halben geſcriben, hab ich ein weinig nachfrag gehabt allhie bei Ihr May.
Camerdiener, ob derſelbige VRSUS im vngnaden wehre bey Ihr May.
ſaa hab ich den bericht bekommen, das ehr woll nicht im vngnaden
ſei, alleine das ehr ſich vor viell außgeben vndt itzundt nicht ſich be-
findet, vnd in aſtrologia das geringeſt nicht vorſtehet etc. Es hatt ſich
alſo begeben, das ehr von Ihr May. iſt probiert worden, mit des Fürſten
von Siebenbürgen ſeiner natiuitet, darinne er wider den anfangk, noch
2r ende gewuſt, dadurch || ehr in vorachtung vnd vorlachung kommen,
vnd dieweil ehr das ziell vnd die warheit nicht geſetzt, vnd ſein judi-
cium falſch, will itzundt dagegen ſcriben, vnd vorachtet vnd ſcalliert
die Aſtrologiam auf das Höegſte auß, es ſein lauter lügen vnd bedrug
darin, da ehr ſie doch von erſten gelobt vnd dardurch zu Ihr May. ge-
kommen. Die ander vrſach iſt das wi man ihm gefragt worumb ehr den
ſich zu hoff angegeben darfür, vnd Ihr. May. Herrn Brüdters Höegſt-
ſeliger gedechnuß Ihr Thema gemacht (welch ſich recht befunden)
vnd itzundt dar wider ſei, hat er nichts wiſſen zubeantworden. Man
hat aber ehrfaren, das ehr ſolchs nicht ſelbſt gemacht, ſondern auß des
ELIÆ PREUSENS ſeinen Büchern genommen, vnd ſich dardurch alſo
herfür gethan etc. So hab ich auch vornommen, das TICHO BRAHE
alhier ahn vnſern hoff wirdt kommen, vnd Ihr. May. große vorlangen
nach ihm haben, vnd werden ihm ein Sloß ihngeben drey meil wegs von
Prag, dar ehr ſeinen reſidentz ſoll haben, ein ſeer luſtiger Ort, Brandeiß
genant. Deß von DIEFFENBACHS Söne ſein alhier zu Prag, die wer-
den nach Strasburg geſchicht zu ſtudiern, vnd wen der Her Swager will
ſchrieben an die örter, dar ehr meint, will ichs woll behendigen, vnd
habe gutte gelegenheitt darzu. Sonſten auf diesmal nicht mehr. Den
2v Godt beuohlen ſamt Euhren lieben Haus-||frauwen vnd kinder, vnd
von mihr vnd meinen Hausfrauwen gegrüſt. Datum Prag den leſten
May ſtylo nouo 98 Anno.

E. D. W. Swager vnd Diſcipulus
CASPAR LEHMAN Röm. Kay.
Maytt Hartſchir.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TAM DOCTRINA EXIMIA QUAM PROSA- 1r
PIA CLARA VIRO INSIGNITER DECORATO DOMINO OLIGERO ROSENKRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGVINEO, AFFINI ET AMICO INTIMO.

S. P.



QUÆ nuper tibi deſtinavi, exoptatißime mi OLIGERE conſangvinee et affinis carißime, per CLAUDIUM MULÆUM, quem ante Comitia iſtuc miſi, te omnia nunc accepiße non dubito. Succurrit poſt MULÆI abitum in libro de Aſtronomia Mechanica pagina quæ eſt G. 3. in qua Domini IACOBI CURTIJ, circa quadrantis cuiuſdam ſubdiviſionem, inventio exhibetur, in ipſo titulo ante hoc nomen: CURTIO omißam eße literam I. vel potius IAC. unde prænomen eius indicaretur, et poſtea in infima eiuſdem tituli linea impreßum eſt: GENEROSE ADINVENTA pro INGENIOSE ADINVENTA; quod neſcio an in eo, quod miſi, exemplari emendatum ſit; ſin minus, cuperem id adhuc abs te calamo, quod facile fit in tam denſa papyro, corrigi, ne Zoili et hîc habeant quo abutantur. Quid de literis Berlinenſibus actum ſit, ex te cognoſcere aveo. Si quid in Comitijs illis, quod mea intereſt ſcire, tibi innotuit, hoc quidquid eſt, mature etiam, antequam MULÆUS (modo fieri poteſt) reverſus fuerit, ſignifica. Fuit ante triduum hîc apud me IACOBUS ROSENKRANTZIUS noſter, in Belgium hinc cogitans; is graves et difficiles in hiſce Comitijs controverſias motum iri referebat; et inter alia PEPLERI iſtius caußam || reco- 1v
gnoſcendam decidendamque exiſtimavit. At quo iure id fieri queat, ignoro, cum citationis forma mihi etiam non ſit præſentata, nec quidpiam a Præfecto meo de ea innotuerit, ut exiſtimem, eam ne quidem Uraniburgi lectam eße, aut ſi id factum, non debito tempore aut modo; ſed ſit hoc quidquid velit; ſi ius et fas locum inveniunt, nihil periculi, ſin ſecus, nihil novi. Exiſtimo, imo expertus ſum, quod ſi ego in Dania quidpiam proponerem, quod æque verum ſit atque ea, quæ Geometrice demonſtrantur, poße nihilominus ea ipſa apud quoſdam, qui iuſtitiæ præeße volunt, falſitatis inſimulari. Quid igitur faciendum, ubi ius et veritas ob privatos affectus atque perſonæ odium locum non merentur? Aiebat inſuper dictus noſter Conſangvineus, ſe exemplum literarum, quas Ser^mo^ Regi noſtro, cum Roſtochij eßem, ſcripſi, unâ cum reſponſo ad eaſdem, cum Fioniam tranſiret, apud Nobiles quoſdam reperiße, et ſi recte memini, CANUTUM RUD hîc nominavit, quem a CAROLO BRUSCHIO talia accepiße opinabatur. Quod ſi ſic eſt, optarem, eos, qui horum facti ſunt participes, ea, quæ mihi reſcripta ſunt,

ſunt, rectius quam litera ipſa prætendit, explanata habere, quæ incautis et inſcijs plauſibilis forte videri queat, cum tamen longe aliter res ſe habeat, et mihi foret quam facilimum, uti ipſemet ſcis, omnia iſthic obiecta replicare et contrario modo demonſtrare, ſed obſtant ea, 2r quæ prius dixi, et authoritas eorum, qui hæc ‖ vafre conſarcinarunt, veritati nunc prævalet. Opus igitur eſt patientia, et tandem bona caußa triumphat, ſi non in Dania, ſaltem alibi: O utinam in nos illud Vir- † gilianum non propediem quadraret. *Exceßere omnes adytis ariſque relictis Dij, quibus imperium hoc ſteterat.* Item illud paulo antea: *Fuimus Troes, fuit Ilium et ingens gloria Danorum.* Solet enim regnum divinitus puniendum ſanis deſtitui conſilijs, et in partes quorundam vafritia diſcindi, atque ſub veri bonique prætextu contraria tecte agere. Solent etiam omnia præcedere, qualia non pauca iſthic audiuntur, ſi modo, quæ narrantur, veritati congruunt. Cum quæſivißem a prænominato ROSENKRANTZIO de halece characterizato in Norvegia reperto, nihil quidem certi de eo referre potuit, attamen aliud piſcium genus, quod latini aculeatum, noſtrates *Hornfiſk* vocant, adhuc longe mirabilioribus notatum characteribus nuper prope inſulam Toßingam, ſeu potius parvulam illi adiacentem, repertum eße, certißime affirmavit; quarum figurarum, ſi tibi hac de re quid conſtat, efformationem mecum communicari vellem. Scripſit mihi poſtea CRAMERUS tuus, et carmen quoddam literis incluſit. Miſit etiam BRASCHIUS Poëta Roſtochienſis Heroicum in mei gratiam concinnatum, ſed neutrum ſatis placet; habes tamen hîc utrumque, Cramerianum ipſius manu ſcriptum, unâ cum literis, prout accepi; neque enim deſcribendi otium ſuppetit; quod tamen, cum exemplum eius non ha- 2v beam, mihi ‖ remitti velim. Habeo præterea alia eiuſmodi, inter quæ eſt quoddam ex orientali Friſia admodum prolixum; et cuduntur hinc inde adhuc plura in memoriam rei apud nos bene geſtæ. Expectat autem Germania avide tuum pro vicina ſua reſponſum. Expecto et ego commentaria illa, quæ ſcis, quibus mea per oportunitatem intertexam; ubi vero tua abſoluta fuerint, ea cum KRAGIO noſtro tacite communica, ut et is ex rei tranſactæ hiſtoria, quam pro maiori parte novit, ſuam quoque interponat ſententiam. Exemplum earum, quas THADDÆUS HAGGÆCIUS ante aliquot hebdomadas Praga mihi ſcripſit, Domino Doctori NICOLAO KRAGIO iam antea miſi, qui procul dubio te eius reddidit participem. Sed et hiſce diebus breves quaſdam ab eodem THADDÆO denuo accepi, quarum hîc habes deſcriptum; paucioribus rem expedit, ſiquidem dubitavit an hîc eßem, an vero iter Pragam verſus ſuſcepißem; vides eos ſerio meum adventum expetere et expectare, atque ipſi Cæſari me concernentia iam innotuiße. Tu et KRAGIUS conſulite in medium, et aliorum quoque, quibus res meæ ſerio et ſincere cordi ſunt, ſententiam tacite expiſcemini. Ego nihil certi

 concludere

concludere poßum, antequam TEGNAGLIUS et MULÆUS ad me reverſi fuerint. Fuit heſterna die apud me Dominus Doctor VITUS WINSHEMIUS a comitibus Oldenburgenſibus, ubi dißidij cuiuſdam inter eos componendi caußa adfuerat, iam primum reverſus; is inter alia de Doctore BŒKELIO rettulit, ipſum urgere pecuniam || ſibi pro 3r libris, quos accepiſti, promißam; a te vero ſibi perſcriptum aiebat, ne pecuniam illam eidem BŒKELIO traderet, antequam omnes libros reſiduos depromeret, quod ipſum præſtare aut nolle aut non poße intelligo, et prætendere tres vel quatuor ſaltem reſtare, eoſque non magni momenti, quique in ipſius non ſint poteſtate. Quæſivit igitur WINSHEMIUS a me, quid illi hac in re faciendum exiſtimarem; ſuaſi, ut tuæ voluntati morem gereret et ſecum pecuniam reſervaret, donec alter per omnia tuis deſiderijs et ſuæ pollicitationi ſatiſfecißet. At ille excipiebat, ſibi brevi Berlinum et in Miſniam eundum, BŒKELIUM vero tam diu pecunia carere nolle, imo ſtomachabundum dixiße, quod mallet libros ſuos recipere, quam diutius pecuniam iſtam expectare. Statuimus itaque, ut Dominus Doctor VITUS in ſua abſentia pecuniam a te mißam alteri fidedigno viro ex amicis ſuis Hamburgi traderet, et ſi interea reſponſum a te reciperet (nam ſe tibi hac de re ſcripſiße innuebat) filius ipſius, qui iſthic remanet, literas tuas aperiret, atque ſecundum earum contenta negotium hoc exequeretur. Tuum itaque eſt mature, quid in his fieri vis, ſignificare; ſi tuo loco eßem, aut reſtituerem illi libros, ſiquidem ſic vult, aut concederem illi pecuniam iam antea addictam, utut pauculos illos libros procurare nolit aut forte nequeat, quo poßis ab ipſo liberari; eſt enim paulo moroſior, et inſuper (quod tamen cum multis commune habet) γυναικοκρατούμενος, Imperatrice eius nimis importuna exiſtente. Cuius rei MULÆUS documentum || dabit; ego nihilominus, quidquid hac in re fieri velis, quan- 3v tum in me eſt, effectum dabo. Currum, quem promiſiſti ante Paſcha, Pentecoſtes etiam feſti, imo et IOHANNIS BAPTISTÆ tempora, fruſtratus eſt, et licet Cimber ſis, privilegioque gentis gaudeas, tamen te præter cæterorum morem quidpiam Schanicæ conſtantiæ habere, præſertim cum per coniugium in Schanum quodammodo tranſplanteris, exiſtimarem potius, ideoque per incuriam quandam eorum, quibus hoc negotium mandaſti, neglectum eße. Sed ſit quidquid velit, nolim tibi hac in parte uti etiam nulla alia gravis eße; ſaltem ſcire deſidero, quid expectandum ſit vel ſecus, ne fruſtra alium confieri procurem. De ædibus etiam meis Haffnienſibus quid fieri poßit vel non, a te certior reddi aveo. Iamque cum utraque tua SOPHIA, addita inſuper tertia illa quæ et URANIA appellatur, quam felicißime vale; ſaluta fratrem AXILLUM et alios, ſi quos mei iſthic tangat memoria. Deus vos omnes tueatur a malo. Dabantur Wandeſburgo die 23. Iunij Anni 98.

Tuus TYCHO BRAHE.

[E codice

† [E codice Vratislaviensi Bibl. urb. III R 243]

207v NOBILITATE, SAPIENTIA, PIETATE ET VIRTUTE PRÆSTANTISSIMO VIRO DOMINO TYCHONI BRAHE, DOMINO PATRONO ET AMICO VETERI SUMMA OBSERVANTIA COLENDO.

207r CLARISSIME vir ac frater in Domino dilecte, CLAUDIUS MULERUS tuus domeſticus tradidit mihi literas tuas humanißime ſcriptas, ex quibus intelligo te memorem eße veteris noſtræ conſuetudinis atque amicitiæ, id quod mihi pergratum et periucundum fuit. Rogo Deum optim. max. ut te quam diutißime ſanum et incolumem cum tota familiâ conſervet. Etſi autem per valetudinem non licet prolixius ſcribere, tamen animus meus, donec vixero, tibi adhærebit ſincerus. Quod autem ſalutes me nomine MONAVIJ præſtantißimi viri HERMANNI et DANIELIS BUCRETIJ, eſt mihi pergratum, precorque illis vicißim et animi et corporis conſtantem valetudinem, et rogo te clarißime vir, ut in tuis ad eos literis vicißim ſalutem dicas meo nomine. Porro quod MONAVIUS petat copiam quarundam literarum PHILIPPI ad me ſcriptarum, non poßum ipſius voto ſatiſfacere. Nam et ipſæ li[teræ] perierunt et fuerunt ſcriptæ de privatis negotijs et politicis non publicandis etc. Quare rogo, ut boni conſulas, quod non poßim in hac re tuæ petitioni ſatiſfacere, alias promptißimus ad omnia præſtanda, quæ tibi intellexero fore grata. Vale vir clarißime cum familia tua et domeſticis omnibus. Deus te conſervet, amen. Roſchildiæ 27. Iunij Anno 1598.

NICOLAUS HEMMINGIUS,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

1r NOBILITATE TAM INGENIJ QUAM GENERIS VIRO INSIGNITER CLARO, DOMINO OLIGERO ROSENCRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGVINEO AFFINI ET AMICO MEO INTEGERRIMO.

S. P.

ETSI utraſque literas, utpote eas quas cum MULÆO miſi, quaſque poſtea ad te ſcripſi, deſideratißime mi OLIGERE, tibi redditas eße non ambigam, atque ex ijs inter alia te cognoviße, quæ Praga a veteri meo amico THADDÆO mihi perſcripta ſunt, tamen cum ante paucos dies ab Amico illo meo Magdeburgenſi, quem ſcis mihi ſcribere ſolitum

ſolitum eße, nonnullas acceperim, eadem de re quædam agentes, harum quoque exemplum tecum communicandum duxi, quo plenius intelligeres qualis ſit Cæſareæ Ma^{tis} erga me voluntas; præſertim cum ESCHILLO BILLEO noſtro mihi nunc reſpondendum ſit ad quaſdam hiſce diebus mihi ab eo mißas, et quendam ex meis nunc Lubecæ habeam, qui has ad vos certo dirigat, oblata videlicet commoda aliqua oportunitate, interea dum alijs meis negotijs iſthic exequendis occupatur. Velim autem, ut hæc ipſa quæ nunc ſcribo mittoque, non niſi intimis noſtris monſtres; tute ſatis noſti, quinam ex ijs fideles ſint, licet et illi, uti fit, pauci; nolui nomen eius, qui hæc ad me ſcripſit, ſubiungi; ſed tu et Doctor NICOLAUS facile colligetis, quiſnam ſit; ſolet is libere mihi ſcribere, utut de facie ignotus ignoto; nollem itaque haſce eius literas alijs patere, potißimum ob ea quæ de Principe alias ſatis noto ſcribit. ‖ Aut igitur hæc admodum ſecreta habe, aut Vulcano trade. 1v Quam facile mihi ſit, Principis illius obiectis reſpondere, tute ſatis noſti, nam deſertus deſerui, ne ipſemet ſpectator eßem ruinæ eorum, quæ in Patria tam diu tantoque nixu molitus ſum, quod tamen nec Regno nec Regi imputandum duco; authores ſatis noti, utque adhuc famoſiores reddantur, promeruere. Quod autem, mi OLIGERE, hæc, quæ nunc mitto, prioribus ſuperaddam, ideo factum, quod ex te alijſque intimis amicis oportunum ſimul conſilium capere velim, quid faciendum exiſtimetis, ubi tale quid mihi oblatum fuerit. Intelligo ex ijs, qui loca illa norunt, eße arcem ſplendidam et amœnam, in quam ipſe Cæſar ſolitus eſt ante paucos annos animi cauſa nonnunquam ſecedere, quamque poſt Pragenſem maximi facit, et circa quam venationem exercere conſuevit, dum his et ſimilibus delectaretur. Nunc enim intra duos vel tres proximos annos ſaltem in arce Pragenſi eum ſe continuiße referunt. Ego quidem de feudo aliquo in Sileſia, Moravia, Luſatia, aut alijs ditionibus Cæſari ſubiectis, obtinendo potius eßem ſollicitus, quam ut in tam pompoſo Bohemiæ loco verſarer, ſed obtemperandum eſt Imperatoris clementi voluntati, quacunque tandem ratione mihi et meis benefacere velit, ita ut ſtudijs etiam, quibus occupor, liberaliter provideatur, ſiquidem Patria noſtra hanc curam tam in-‖conſiderate poſt- 2r habuerit. Loquere de his ſecreto cum ESCHILLO BILLEO noſtro, tum quoque KRAGIO communi amico, et quid conſilij dederint, literis ſignifica, alias vero hæc, ubi præſertim minus ſecurum fuerit, cæla. FRANCISCUS TEGNAGLIUS meus necdum huc reverſus eſt, ſed ſpero illum brevi feliciter affuturum. Cuperem etiam, ut MULÆUS reditum acceleraret, neque enim de rebus meis, quomodo et quando quippiam agendum, omnino ſtatuere poßum, antequam hi duo redierint. Interea tamen me, quoad datur, itineri accingo, omniaque Divinæ providentiæ committo, cui etiam te cum omnibus tuis commendo.

mendo. Vale. Dabantur raptim Wandeſburgo die 28. Iunij Anno Domini 1598.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

POSTSCRIPTA.

POSTQUAM has ad te exaraßem, acceßit me huc WALTERI SCHOTI Hamburgenſis filius GABRIEL, a quo pannos Mater et tu emere ſoletis, et ſe brevi Roſenholmium venturum aiebat. De curru quoque, quem mihi confieri procuras, retulit, Matrem tuam, cum ultimo ibi fuißet, eum brevi paratum fore dixiße; quare ſe illum in navem ex Arhuſia Lubecam ſecum recepturum pollicitus eſt, cumque de te ipſo percontarer, in Selandiam abijße exiſtimavit. Et inſuper ſe apud
2v fratrem meum AXILLUM fuiße, atque ibi || percepiße, quod ad nuptias trium filiarum, quæ requiruntur, indies adornet, inter quas et tuæ celebrabuntur, idque futurum ſex abhinc hebdomadibus commemoravit. Incidit itaque in mentem, me tibi Epithalamium quoddam promiſiße, quod cum tam cito ob alias occupationes, quibus varie diſtrahor, fieri vix queat, hoc ſaltem breve Epigramma, quod nunc ex tempore in buccam venit, hîc ſubiunctum habe. Deus author univerſi omnia tibi in hoc coniugio ex voto proſpera et ſalutaria largiatur. Tu autem, ne huius novellæ SOPHIÆ amor, alterius et diu tibi excultæ ſophiæ amorem labefactet, ſed potius adaugeat atque confirmet, effice. *Hoc*
† *opus, hic labor, multos ea meta fefellit.*

EPIGRAMMA AD OLIGERUM ROSENCRANTZIUM SPONSUM.

Tene OLIGERE etiam materno ſauciat arcu
Ille levis toto qui volat orbe puer?
Iſte puer cæcus minimuſque nec ardua curans
Quem poteras alto deſpicere ingenio.
Omnia ſed vincit, dices, cedamus amori
Indomito; ſummos ſtravit et ante viros.
Eſt (fateor) fortis; Muſæ, Dictinna, Minerva
Sunt tamen e quibus is nulla Trophæa gerit.
Intimus es Muſis, placet et Dictinna, tibique ||
3r *Artibus exculto culta Minerva favet:*
Attamen aut Arte aut Pharetra, qui vincere nullas
E tribus his potuit, te ſuperavit amor.
Scilicet ut tandem miro te falleret aſtu,
Miſcuit inter ſe nomina nominibus,
Proque alijs Sophijs Sophiam ut tibi protulit unam
Præ Sophia omni, unam, victus, amas Sophiam.

T. B.

[Ex

[Ex apographo in codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

FRANCISCUS TENGNAGEL AD
TYCHONEM BRAHE.

S. P. 129r

OBILISSIME et præſtantißime Domine TYCHO. Rebus M^{æ} T^{æ} ex animi ſententia confectis, officij mei eße ratus ſum (ſiquidem incertus ſim, utrum priores meæ raptim Coloniæ ad te exaratæ tibi redditæ ſint nec ne) particulatim nonnulla et fuſius referre, cum tunc otium ſingula attingendi mihi non ſuppeteret, omißis tamen nunc ingratis, quæ in itinere mihi evenerunt, ſiquidem illibenter talia te audire norim. Aquiſgranum cum appulißem relicta 3 die Iunij Colonia, ibi Serenißimum Principem Electorem Colonienſem ERNESTUM iam itineri Leodium verſus, quod poſtero die ingreßus eſt, accinctum reperi. Qui quamprimum de eo, quod cum literis tuis adeßem, inaudivit, confeſtim me accerſitum humanißime compellavit, gratißimum ſibi munus M^{æ} T^{æ} literarium ſignificans, et daturum ſe operam, ut M^{a} T^{a} reipſa ſe inſignem perſonæ ſuæ et rei Aſtronomicæ fautorem comperiat. Quem ſuum affectum iam pridem antea conceptum, in poſterum etiam magis magiſque ſe declaraturum pollicebatur. Interim velle ſe, ut Leodium curru ſuo proprio me conferam. Omnem enim fere ſe eo comitatum unâ tranſlaturum, et rebus ſuis intra triduum in Limburgenſi propinquo Ducatu expeditis actutum ſubſequuturum. Id quod et factum eſt. Ibi ſingulis fere diebus in Cameram ad ſecretum R^{mæ} eius Cel^{nis} colloquium per aliquot nonnunquam integras horas vocatus fui, humanißime exceptus, tandem etiam (quod tam ſubito ob innumeras, quibus Leodij quotidie diſtringeretur occupationes, fieri non poße prolixe excuſavit) liberalißime dimißus, donata mihi aurea ſua effigie, unâ cum equo, quem centum et viginti Coronatis a Magiſtro Palatij ſui coëmerat. Quæ vero R^{mæ} eius Cel^{ni} de negotijs M^{æ} T^{æ} in ſcriptis tradidi, et ſimul oretenus expoſui, ſumma cum voluptate legit et audivit, Danos rem ſe indignam in eo, quod M^{am} T^{am} non in eo (uti decuit) precio habuerint, atque tam inconſiderate dimiſerint, vel potius amiſerint, magno ſuo opprobrio commiſiße perhibens vix ulla ætate apud cordatos et intelligentes expiandam. Et aiebat inſuper, eorum officij fuiße ſponte ſua omni conatu in hoc eniti, quo te beneficijs atque officijs liberaliter præſtitis apud ſe in Regis et Regni honorem retinerent, tantum abeſt, ut tuæ abitioni, velut inaudierat, cauſas tam evidentes et intolerabiles præbere, atque voluntatem et decretum Optimi Regis FRIDERICI poſt fata reſcindere, Senatorumque omnium literas tibi (prout compertum habebat) in membrana ſtatim ab obitu FRIDERICI

Regis

Regis conceßas exauthorare ipſis fas eßet; cumque me ſemel interrogaßet, in quantam pecuniæ ſummam excreſcere poßent, ſi computarentur omnia, quæ a Rege FRIDERICO et Senatu Regni ad Aſtronomiæ
129v inſtau-||rationem M^{æ} T^{æ} conceßa erant, me certo illud dicere non poße referente, tantum tamen M^{æ} T^{æ} ſuppetijße, ut omnes e quibuſcumque tandem oris adventantes, Reges, Principes, eorundem Legatos, Doctores, Studioſos, et cuiuſvis ordinis homines ſplendide ſemper et munifice tractârit, præterquam quod tot et tantos ſumptus in Aſtronomiæ redintegrationem, quales nemo anto ipſum, erogaßet, et alias copioſam aleret familiam. An vero beneficijs Regijs, an etiam pro parte proprijs bonis hæreditarijs, illos haberet reditus, mihi non ſatis conſtare: Exiſtimare tamen ſummam eorum, quæ ex Regno quotannis habebat, quatuor thalerorum millia mea opinione non multum exceßiße, mox R^{ma} eius Cel^{do} in hæc formalia verba prorupit: *Was? Solte man ein Solchen Man vmb ſo ein geringes geldt auß dem Land ziehenn laſſen. Schande iſt es. Ein Herr verſpielt mehr auf einen abendt. Goldt bekompt man alzeitt aber ſolche leutte nicht alzeitt.* Sed quandoquidem ita iam evenerit, quocunque tandem Danorum fato et oſcitantia, ut in Germaniam veniens M^{a} T^{a} ſibi propior reddita ſit, magnopere ſe ea de cauſa lætari, et avide hanc commoditatem in poſterum arrepturum. Placere ſibi, quod nulli Principi Germaniæ, aut Regioni exteræ ſuam operam addicere velit, antequam de Imperatoriæ Maieſtatis clementißimæ voluntate erga ſe et ea quæ tractat ſtudia, certo conſtaret. Et omnino cenſuit, hanc Regiam artem Imperatori, tanquam præcipuo Europæ capiti, omnium primo offerendam eße, ac neutiquam ſe ambigere, imo multa depoſiturum, Cæſaream Maieſtatem pro eo quo eßet erga omnes liberales diſciplinas, inprimis vero Mathematica et inter hæc Aſtronomica ſtudia ſingulari favore et amore, M^{am} T^{am} libentißimo animo excepturam, munifice cum familia et toto apparatu Aſtronomico ſuſtentaturam, nec commißuram, ut M^{am} T^{am} migrationis huius e Dania unquam pœniteat. Qua etiam de re ſe non ſaltem commendatitias, ſed pariter congratulatorias ad Imperatoriam Maieſtatem daturum, tum quoque intimo eius Secretario BARVITIO, de quo ipſe bene meritus eßet, quique illi aliquo modo obſtrictus, unâ ſcripturum. Et ſi præter omnem ſuam opinionem Cæſ^{a} Maieſtas Aſtronomica ſtudia in totius Imperij nunquam intermoriturum honorem et decus conſervare et ſuſtentare ab alijs forte dißuaſus gravaretur (quod tamen ipſam ſponte ſua non admißuram certe ſciret) multos fore, qui hanc gloriam ſibi et ſuis ditionibus accedere ſummopere deſiderent, nec eam occaſionem negligant. Imo ſe ipſum ſuis impenſis id præſtiturum, nec ullis niſi ſoli Imperatori, cui hic honor primum debetur, hac in parte ceßurum. Hæc et plura eiuſcemodi diverſis temporibus

ad me dixit, quæ referre nimis nunc prolixum foret. Latius D. V. de his coram. Unicum tamen præterire non poßum, quod mihi diſceßuro confirmationis eorum omnium loco ſub ipſum valedictionis tempus inculcavit; ferme his for-‖malibus verbis: *Saget dem guttenn ehr-* 130r *lichenn Mann viel guts von meinet wegenn, und das ich hernacher alſo bey ihm handeln werde, als wan er mein leiblicher bruder wehr, und ich ihn von jugendt auf gekant hette, deſſen er ſich gentzlichenn zu mir verſehenn ſoll. Saget ihm auch daneben alles was ihr ſonſtenn von mir gehöret habt, und bitet ihn das er mir ſeinenn zuſtandt zueſchreibe, ſo offt ihm gelegenheit vorfelt. Wan ich vormercke, das er bey Hamburg etwas verziehenn wirdt, ehe er zur Kay. Ma. ziehet, bin ich willens einenn von meinenn* nobilibus, *deme ich* in pyronomicis exercitijs *vertraue, zu ihm abzufertigenn, von dieſem und anderem meinetwegenn mit ihm zu* conferiren. *Und ſo baldt ich, ob Gott will, zu ihr Kay. Mt. komme, will ich ihm* TYCHONEM, *wo er alda in des Kaiſers gebiet anzutreffen, beſuchenn und weiter mit ihm kuntſchaft machenn.* Nam plane nihil dubitavit, ſe alicubi in Imperatoriæ Ma^{tis} ditionibus te reperturum. Sicque me clementer et liberaliter (uti prius innui) dimiſit. Pericula et damna, quæ in hoc itinere perpeßus ſum, quæque in prioribus meis aliquatenus attigi, hîc utpote ingrata, non lubet iterare.

Venio nunc ad Holandos, ad quos in Patria aliquantiſper moratus me contuli, quo commoditatem promptiorem et tutiorem redeundi nanciſcerer. Ibi cum Hagam, ubi iuris ſuprema eſt adminiſtratio, quam vel in tranſcurſu cognoſcere avebam, pervenißem, Illuſtrißimus Princeps MAURITIUS, qui M^{am} T^{am} novit et magni facit, benignum et clementißimum ſe mihi exhibuit. Cui libros quoſdam M^{æ} T^{æ} ſecreto oſtendi. Quos cum illi apprime arridere viderem, eos conſulto ipſi tanquam ex tua voluntate dono dedi, atque illud inſcripſi. Qui ſane nihil [magis] in votis habuit, quam te in Hollandia novas Uraniæ ſedes figere et ſtabilire, ſeque id Ordinibus ſedulo propoſiturum, modo de tua voluntate certior redderetur, aiebat. Neque enim ambigere, quin et Ordinibus hoc perplaciturum ſit. Exiſtimavit etiam, non reperturam M^{am} T^{am} ullum locum Genio et ſtudijs ſuis aptiorem. Quod ut ad M^{am} T^{am} ſuo nomine cum inſigni animi ſui et amicitiæ declaratione, donec ipſemet iſtic comparuero, perſcriberem, iußit, et has quoque incluſas ad eam primo quoque tempore mittendas dedit. Neque tantum ab Illuſtrißimo Principe hoc ipſius et Ordinum notum percepi; ſed et IOHANNE BARNEFELDIO, qui nomine quidem Advocatus ſupremus, ſed reipſa quaſi Comes ceu Regulus eſt Hollandiæ. Nam ab eius nutu et voluntate ferme pendent omnia. Cumque et ipſum non minus quam MAURITIUM (qui brevibus ob innumeras ſuas occupationes M^{æ} T^{æ} gratias,

gratias, pro libris actis, reſcripſit, particularia ut Mæ Tæ oretenus exponerem iubens) in noſtras partes inclinare animadverterem atque te eo accerſendum et benigne tractandum cenſere, ſubiunxi, me de tua voluntate hac in parte nihil certi referre poße, ſiquidem intellexerim, te Imperatoriæ Maieſtati omnium primo tua ſtudia demiße offerre decreviße, tunc ille mox obmutuit et nihil amplius hac de re ingeßit, ſed quaſi alio declinans orationem, aiebat, ſe eße in procinctu itineris Anglici, ubi legatum acturus eßet nomine Ordinum. Ideoque nunc pluribus mecum loqui non poße. Ubi reverſus fuerit, ſique res ita poſtularit, et de tua voluntate ſibi quidpiam conſtiterit, hoc negotium ſe apud Ordines peracturum. Inaudivi etiam in Hollandia, Angliam magno tui teneri deſiderio, quod et ad te perſcriptum eße quidam referebat:
130v verene an falſo, me fugit. Sed || tu rectius diſpicies, quid tibi faciendum ſit. Prævides enim quantis tumultibus Regnum illud obnoxium ſit, quæ tunc primum gliſcent, ubi Regina ferme decrepita fatis conceßerit. Habes, ſi ſic luberet, Scotiæ Regem in magna illa Britannica Inſula, non ſaltem affinitate Danis coniunctißimum, ſed et tui amantißimum, vel ex ea conſuetudine, quæ vobis interceßit, ex quo illum cum nobili ſuo Comitatu te in tua Inſula inviſentem magnifice excepiſti, deque rebus eruditis (uti eſt Princeps doctus) cum eo affatim contuliſti.

Hæc Mæ Tæ, donec ipſemet Wandeſburgi me ſtitero, præſignificanda habui, quantum nunc inter peregrinandum licuit, ut, quid in poſterum ſibi faciendum ſit, eo citius et rectius ſtatuat. Vale vir nobilißime et præſtantißime, ac me propediem expecta. Amſtelodamo die 6. Iulij Ao. 1598.

Mæ Tæ perpetuo devinctus
FRANCISCUS G. TENGNAGEL,
manu propria.

[Ex apographo in codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°; cf. apographum in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

IOSEPHUS SCALIGER AD TYCHONEM BRAHE.

135r S. P.



ISCESSUS tuus ex Dania, Vir generoſißime, ut nobis acerbißimus fuit, ita ancipites animi nos ſemper habuit, quem locum fortunis tuis deligeres. Ubi enim illæ ſitæ forent, ibi et animo tuo et ſerijs ſtudijs tuis aliquid quietis partum iri confidebamus, idque eo impenſius optabamus, quo propenſior noſtra in te ſemper fuißet voluntas; itaque cum primum accepißem, te Roſtochij ſubſediße, non mediocriter me conſolabar, quod ex eo, quod vicinum Daniæ tuæ locum optaßes,

te cito in patriam rediturum ominabamur. At vero non prius te Roſtochium commigraße renuntiatum, quam ex alijs accepimus, te iam inde pedem extuliße. Ab eo tempore fruſtra ſemper quæſivimus de ſtatu rerum tuarum ac de ſedibus, quas tibi conſtituißes. Denique nihil certi ad nos de te ferebatur præter infelicitatem patriæ tuæ, quæ te carere poßet. Quare incerta animi mei de ſtatu rerum tuarum ſententia non paßa eſt me officio illo erga te fungi, quod tu prior occupaſti. Teſtis eſt mei conſilij iuvenis quidam Mathematicus, qui hîc agit et in † veſtris domeſticis ſe fuiße profitetur. Ab eo primum ante aliquot dies te in Arce Ranzoviana degere reſcivi et recte ſe curaturum, ſi quid ad te literarum vellem. Id meditantem oppreßit me adventus Nobilis adoleſcentis, FRANCISCI TEGNAGLIJ domeſtici veſtri, qui tuas plenas amoris, humanitatis, eruditionis mihi attulit, ut nondum conſtituerim, utrum mihi gratuler de tuis illis humanißimis literis, an doleam hoc officium a te præreptum fuiße.

Quod de meo opere de emendatione temporum aliter iudicas ac imperiti, quanquam in eo agnoſco amorem tuum in me, tamen exprimet confeßionem ab illis, me non operam luſiße, vel eo nomine, quod tanto Viro mea placuerint, præſertim φιλαληθεστάτῳ et harum rerum intelligentißimo. Invidia neque nunc primum neque primi afflati ſumus, cui opportunum ſe facit, quiſquis aliquid ſupra captum plebeculæ facit. Livore ab huiuſmodi perſtringi, eſt laborum ſuorum fructum percipere. Si ſcirent, quantum addant gloriæ noſtræ importunitate ſua, cautius agerent, quam agunt. Ego horum neminem vidi, niſi imperitißimum, et quod pluris eſt, nequißimum. Quicquid ſcribunt, id vero chartæ detrimento eſt, non exiſtimationis noſtræ. De ſimiolo Heydelbergenſi, quem trophæa MILTIADIS non ſinunt dormire, minus mirarer, ſi THEMISTOCLES eße poßet. Sed imitari bonos aliorum † hominum eſt, non ſtercoreorum et barbarorum et ab omni morum humanitate remotißimorum. Sed quid mirer, cum inveniat ſecutores et admiratores? εὗρεν ἄλοκας τὸ πῶμα. Quid in literis præſtiterimus, non eſt pudoris noſtri dicere. Hoc unum ingenue profitemur, neminem vivere, qui plures ad inſaniam ſcriptis ſuis adegerit. Sed, ut fit, non unius generis homines ſunt. Alij a nobis diſcunt et dißimulant, ne nobis aliquid acceptum ferant. Alij palam carpunt, et tamen nihil illis tam ægre eſt, quam quod illorum auctores non ſint, propter quæ tam hoſtili animo nos petunt. Sed quid de hac fæce generis humani te morer? igitur de illo opere noſtro, quod inſtitueram dicere, fateor me plus laboris, quam induſtriæ illo contuliße. Vix enim aliter mihi perſuadere poßum, et nobiſcum præclare agi putamus, ſi ſtudioſiores quam doctiores habemur. Moneo autem me hominem imbecillis ingenij non potuiße tantam telam percurrere, ut non aliquando humanitus dormitarim, cum

aliud

aliud pro alio contra animi noſtri ſententiam nobis excidit: quorum partem in Erratis correximus, partim imprudentes omiſimus, quale illud, »*Saturnum in annuo motu duodecimam partem unius gradus efficere*«, quum vellemus dicere duodecim gradus, de quo et ſimilibus † poßum iurare ſancte: ἡ χεὶρ βέβληκεν, ἡ δὲ φρὴν ἀπόσκοπος. Quare, vir generoſißime et doctißime, eiuſmodi παροράματα potius quam ἁμαρτή- 135ᵛ ματα, qualia multa in EUDOXO ‖ divinus HIPPARCHUS civiliter excuſat, et quæ ingenui Lectores emendare, non exagitare debent, tuum quoque eſt aut ἀπροσκόπως καὶ ἀπταίστως præterire, aut, ſi per graviores tuas occupationes tibi licet, corrigere. At illa parva dictu menda retrimentis iſtis ſunt argumenta novæ fœturæ librorum. Quod Septembrem vocamus, quem modo Octobrem, et feriam quartam, quam modo tertiam dixeramus, hoc typographias excalfacit. Barbaria et impudentia invenit ibi quod agat. Divinæ æquinoctiorum obſervationes tuæ locum invenerunt in calce librorum noſtrorum, non utique quem debebant, ſed quem potuerunt. Non enim prius illas acceperamus. Et tamen ibi ſunt a nobis collocatæ, ubi convenientißime cum Hipparcheis conferri poßunt. Sane illud continuum quinquennium omnium priſcarum obſervationum dignitatem et fidem elevat, cum tuæ ſibi conſtent, Hipparcheæ quadrante diei plus aut minus diſtent, quod quidem illa æquinoctia valde ſuſpecta nobis facit. Nos ex ſeptem illud delegimus, quod ab autore ἀκριβέστατον vocatur: quemadmodum et anni forma ALFONSINI GELALÆÆ quanquam elegantißimæ nobis præ- † lata eſt. Tuus annus Cœleſtis pauxillo minor GELALÆO. PTOLEMÆI vero obſervationes tam nobis falſas eße conſtat, quam multa alia † apud illum ſcriptorem eximium. Ecce anno 886 Nabonaßari, Pharmuthi IX, feria prima, Februarij 23, Chriſti 139, Sol, inquit, erat ἀκριβῶς in 3° 30′ Piſcium. At in meridie prima Thoth primi, Sol erat ἀκριβῶς † in 3° 20′ Piſcium, eodem teſte, nempe 26 Februarij. Ergo in 886 annis προήγησις tridui tantum facta fuerit. Quid abſurdius? Hæc et plura ἀτοπήματα diligenter in PTOLEMÆO annotavimus. Quare lubricæ ſunt eius obſervationes et male illis fiditur. Itaque non miror, ſi in 285 annis, tot ſcilicet, quot inter illius et HIPPARCHI obſervationes interſunt, unius diei progreßionem æquinoctia tantum feciße dicit, utpote † qui ſibi perſuaſißet in 300 annis id fieri. Itaque hinc illæ lacrimæ. A prima meridie Nabonaßari ad æquinoctia ab ſe obſervata, ſunt fere anni noningenti, et proinde triduum tantummodo æquinoctia εἰς τὰ προηγούμενα promota eße, quare omnes loci Solis ab eo notati ab hac hæreſi pendent, et propterea falſi. Neque hac fine ſtat eius ſententia. Si 23. Februarij eſt 3° 30′ Piſcium, ergo æquinoctium in 23. Martij, quia anno ſequenti ita obſervarat. Ergo ab hac Epocha æquinoctij verni retro proportione 300 annorum addet diebus Iulianis, ut locum Solis

Solis deſignet, quod facit in omnibus eclipſibus veteribus. Quare qui ſequitur illas Epochas Solis, ſciat ſe 300 annorum προηγήσεις ſequi. Arabes, qui mentem et conſilium PTOLEMÆI non animadverterunt, ex illis æquinoctialibus PTOLEMÆI obſervationibus μορμολυκεῖον illud Trepidationis pepererunt, ut ex prægreßione æquinoctiorum nihilo monſtroſior motus octavæ Sphæræ εἰς τὰ ἑπόμενα natus eſt. Neque enim ideo ullus motus Trepidationis aßignandus, quod PTOLEMÆO Inſtrumenta ſua impoſuerunt; neque Sphæram octavam ab occidente in orientem ideo promoveri putandum, quod puncta æquinoctialia in Ecliptica in antecedentia promoventur. Circuli enim æquinoctiales ad illa deſcribuntur. Puncta vero mobilia ſunt, ergo et ipſi circuli ad ea deſcripti ſunt mobiles, et conſequenter polus æquinoctialis mobilis. Itaque tempore HIPPARCHI polus æquinoctialis aberat a cauda Cynoſuræ gr. 12 24'. Hodie minus diſtat, quam tribus gradibus. Et tamen omnes putant polum mundi eße non æquinoctialis circuli, et quidem HIPPARCHUS primus huius eximiæ rei obſervator in ea hæreſi fuit. At error eſt, neque unquam circulus arcticus ullius loci parallelus fuit Tropicis aut æquinoctiali. Circuli arctici et antarctici polus idem eſt cum polo mundi. Circuli æquinoctialis polus variat, ut diximus. Hactenus igitur nunquam polus æquinoctialis fuit polus mundi; ſed fore aliquando, fidem facit acceßus propior ad Cynoſuræ caudam, ſive ea eſt polus mundi, ſive aliud punctum non longe ab ea remotum. Quid tui iudicij ſit, quando illi duo poli convenerint, libenter audiverim. Nam magna res eſt. Item velim ex te ſcire an κατάχρησις illa et confuſio poli æquinoctialis cum polo mundi aliquem errorem invexerit in collocatione Aſteriſmorum in Sphæra ſolida. Multa enim || 136r in illis deſidero et HIPPARCHUM oſtendemus ea re deceptum. Edituri ſumus in calce MANILIJ noſtri aureolum libellum PTOLEMÆI adhuc ἀνέκδοτον περὶ ἀπλανῶν ἀστέρων, in quo per ſingulos dies anni Actiaci et Iuliani, quæ ſtella matutino aut veſpertino oriatur occidatve in quinque Climatibus, diligentißime deſignatur. Sed recentiores Aſte- † riſmorum Aſtrotheſiæ valde illis repugnant, neque bene cum illis pariant tabulæ directionum præclari Artificis REINHOLDI. Nos omnes omnium Aſteriſmorum Hipparcheas obſervationes accuratißime collectas in ſuos dies Iulianos digeßimus, in quibus perfectißimus ille artifex notat, quæ prima ſtella cuiuſque Aſteriſmi, quæve ultima oriatur aut occidat, et cum qua parte Eclipticæ. Deprehendimus male illi cum PTOLEMÆO convenire, in qua lite componenda, tuo, Vir clarißime, aut nullo auxilio opus eſt. Vix tandem vanitas anni ſiderei autore THEBITHIO nobis comperta eſt; qui ſcimus eadem die Iuliana eandem ſtellam ſemper oriri veſpertino et occidere matutino, quod vere docebat nos Ægyptiorum ſententia, quæ ſemper eodem tempore Iuliano Caniculam

Caniculam oriri ſciſcit. Quod verum eſt. Nos tamen illi commentitio anno Sidereo aſcenſionem accommodavimus, ut et προηγήσει ἰσημερινῇ unius gradus per 70 annos, cuius opinionis auctor COPERNICUS, PTOLEMÆUS obſervat unum gradum promotionem fieri in centum annis. Ego vereor, ne in pluribus. Sed tu hæc melius, a quo et alia expectamus. Nam nos homunciones procul ſpectamus, et intra veſtibula ſacrarij conſiſtimus, quia nondum ἐπόπται ſumus, neque ſpes unquam fore. Itaque ſufficit nobis ſummorum virorum veſtigia adorare, quorum tu Princeps, qui talia diu obſervaſti. Nos vero vobis tantum a labore adeße poßumus, quantum a peritia nobis deſumus. Itaque quod ſedulitas noſtra nos docuit, id non pigebit in medium proferre. Aio igitur tempore HESIODI Arcturum veſpertino oriri ſolitum † in Bœotia et Attica VIII. die Martij Iuliani, eademque die in eodem tractu ortum illum obſervatum a METONE et EUCTEMONE, et poſtremo notatum ſæculo PTOLEMÆI. Hoc confirmat ſententiam noſtram de confutatione anni ſiderei, et Ægyptiorum ſcitum, qui annum, quem Iulianum nos vocamus, κυνικόν vocabant, quod per plus, quam mille quingentos annos Caniculam ſemper eodem anni Iuliani die oriri prodiderunt. Hæc obſervatio, ut ſpero, tibi ingrata non erit. Magnam a nobis inibitis gratiam, ſi paucularum ſtellarum, quæ propiores ſint Eclipticæ, ut Baſiliſci et πρόποδος τῶν Διδύμων obſervationes veſtras nobis communicare libuerit cum latitudinibus, longitudinibus et die Iuliana. Fortaße non infeliciter cum illis Hipparcheis et Ptolemaicis conferentur. Annum cœleſtem verum a te prodi unico poße certo ſcimus, a quo plura in Aſtrologia quotidie expectamus. Quam ineptus et imperitus fuit auctor Anni Pontificij, non dico nunc. Magis miror, tot millia hominum errores non deprehendiße. Sed te moramur. Vale, Vir Præſtantißime. Lugduni Batavorum VII. Eid. Quintiles Iulianas, CIↃ. IↃ. XC VIII.

Tibi devotißimus et tuæ
amplitudinis ſtudioſißimus
IOSEPHUS SCALIGER.

[Ex

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TAM ANTIQUÆ PROSAPIÆ QUAM PRO- 10v
PRIA VIRTUTE INPRIMIS NOBILI ET ERUDITIONE SIMUL
SOLIDA CLARO VIRO DOMINO OLIGERO ROSÆ-
KRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANG-
VINEO, AFFINI ET AMICO
INTEGERRIMO.

S. P. 1r



UAS ante diſceßum tuum ex ultimis Comitijs Hafnienſibus deproperaſti, deſideratißime mi OLIGERE, Conſangvinee, Affinis, et (quod plus reputo) Amice integerrime, his ipſis diebus ob moras, quas iſthic nectebat MULIUS, pridie accepi. Erantque utut feſtinanter ſcriptæ, et ad ſingula, quæ expectabam, propter otij penuriam non reſpondentes, admodum gratæ. Quod literæ Electoris et Electorißæ Brandenburgenſis Regi et Reginæ oblatæ non ſint, parum moror. Neque enim ob [id] eas miſi, quod magnopere cuperem, ut exhiberentur. Ideoque (uti ſcis) liberum id tibi reliqui. Scio eas ſcatere [politic[iſ]mis et aulicismis], || uti fit apud tales homines. *Allene det var anderledes lovet; naar jeg ſeer til, da colluderer de begge [Canceler] med hverandre, for den eene ravn piller ikke øyet ud paa den anden:* quamvis alterum magis integrum et ſincerum duxerim, quam veſtrum iſtum NICOLAI MACHIAVELLI Neophitum, qui adhuc quotidie diſcit a ſuo [præceptore contiguo]. Nec tamen id quod tu inſinuas, inde inferri poße, ſi traditæ fuißent literæ, exiſtimarim. Nam conditio mea nullatenus iſthic defletur. Et cur hoc, cum ego ipſe hanc prætulerim et etiamnum præferam priori? Neque commutarem, *om man endſkiønt* || *vilde give mig Penge til, ſom naar man bytter.* Nec ullis modis reditum captavi per literas illas, utut tam veſtratibus quam mihi inviſum, plus tamen forte mihi quam illis. Ideoque ſollicite excepi apud Principem hunc urgentem, ne tale quid verbo ſcriptove moveret. Neque eæ, quas Bramſtedij illi obtuli, quarum exemplar (ni fallor) habes, tale quid præ ſe ferunt. Recompenſationem ſolummodo expenſarum moderate requirebam, ſuo forte tempore validius. Videbo, quomodo literæ illæ ſuis reſtituantur autoribus, modo id citra offenſam per aliqualem excuſationem fieri queat, vel (ſi mavis) || prætextum. Quod autem Regi libros deſtinatos non tradideris, nec tuum nec aliorum probo conſilium. Maluißem enim certis de cauſis mature exhibitos, quam retentos. Neque tamen ſuſpicor, te tenacitate quadam, et amore mei atque librorum eos pro te ipſo ſervare voluiße, ne forte æmuli noſtri et malevoli ad ſe [dono Regis] reciperent. An [Regi] placituri

Margin: 1v (at "mis et aulicismis], ||"); † (at "anden:"); † 2r (at "man endſkiønt ||"); 2v (at "(ſi mavis) ||").

turi ſint nec ne, ſuſque deque fero. Nec ſane ob id illi communicandos
cenſeo, quod ſic ipſius gratiam aucupari cupiam; cum ſat ſciam, ne
quidem gratiori munere aliquo aut quovis officio ob eos, quibus magis
auſcultat, id impetrari poße (quod et cordate fero) vel literæ meæ Ro-
3r ſtochio ſcriptæ cum ſuo reſponſo (necdum ‖ uti pollicebaris, critizatæ)
ſatis ſuperque teſtatum relinquunt. Nec ſi[c] intempeſtive [ſupplex]
fio, cum nihil petam, nihil deprecer, nihil ſupplicem, ſed potius labores
meos quos [ille] cum ſuis aſpernatus eſt, me Cæſari nunc dedicare,
aliumque atque adeo ſummum Imperij caput pro ſtudiorum meorum
Mæcenate quærere, poſthabitis invidentibus et detrectantibus [Danis]
oſtendo oſtentoque, ut hoc potius (ſi quid foret inſimulandum) culpæ
imputari poßet, quam quod nimis me demitterem. Tu itaque, mi OLI-
GERE, omnino libros [Regi] trade in manus, ſive [volenti] ſive [repug-
nanti], aut ſi id tibi commodum non fuerit, fac ut per aliquem alium
3v meorum, aut etiam [RAMELIUM] id fiat; ita tamen, ‖ ut per quoſcun-
que ſive temet ipſum vel alios Regi porrigantur, tibi, ſiquidem Rex (uti
ſcio) talibus [imo nullis (quod dolendum)] libris delectatur, cedant.
Invenies facile rationem. Quod et antea, cum mecum hîc eßes, præ-
monui. Sin [Rex] ipſemet (quod [miraculi] loco duxerim) eos retinere
voluerit, aut etiam præter omnem noſtram prævisionem et amolitio-
nem in aliorum, quorum quam minime vellemus, poteſtatem devene-
rint, id ferendum erit. Habeant, quod tacite ſuſpiciant atque admiren-
tur, quodque capere aut imitari non poßint, palam vero contra con-
ſcientiam (uti ſolent) rodant, extenuent, invertant et cavillentur. Id
4r populus curat ſcilicet. Faxo autem, ‖ ſi res ita ceciderit, ut tu nova,
etiam picta et ornata obtineas exemplaria, quibus hanc iacturam leves,
præfixis etiam carminibus, ſed in te directis, qualia nuper, dum Duci
IOHANNI ADOLPHO hos libros dono mitterem, præpoſueram, quo-
rum tenorem in adiuncta ſcheda habes. Liber de Stellis erat in charta,
non membrana ſcriptus. Et hunc Duci ULDARICO Megapolitano non
conceßi, cum alterum nuper antepoſitis etiam ſuis carminibus dono
mitterem. Quanti utrunque fecerit, quam comiter et benigne TENG-
NAGLIUM meum exceperit, quam gratus erga me fuerit, atque in
4v poſterum eße velit, et quam clementi ‖ denique favore me proſequatur
Ser^{mus} Elector Colonienſis, ex ijs, quæ ad CRAGIUM noſtrum ſcripſi,
cognoſces, et aliquatenus etiam ex adiunctis literarum exemplis, quæ
cum CRAGIO quoque communices, præſertim quæ antea non habet,
velim, ut et ille noſtra tibi. Quæ enim alteri veſtrum ſcribo mittoque,
utrique ſcribo et mitto pauculis differentibus. Exemplum ſcripti iſtius
famoſi apud CRAGIUM videbis, quale mihi Helmſtadio mißum eſt.
Addidit quidam ex meis ſtudioſis annotationes marginales, ubi præ-
cipue fit mei honorifica mentio, ne diu tam memorabilia loca quæ-

renda forent. Egregius ſane liber, qui a Profeßoribus Hafnienſibus
tanto applauſu, licet tacito ‖ murmure inter eos ſuſurrato excipiatur. 5r
Gaudent monſtris monſtroſa ingenia et prava pravis. Oſtendet tibi
dictus noſter communis ſecreto literas quaſdam a [IOANNE STUG-
GIO IOANNI] Omnivendæ, vel potius Ardelioni ex compoſito ſcriptas
adinſtar *Beinenkorf,* ut ille et ij, quibus hoc ſcurrile ſcriptum magni †
et grati muneris inſtar congratulatus eſt, ſibi ſic aßenſum et laudem
præberi fruſtra lætentur; aut ſi fucum capiunt, ſciant alios ſcire, quam
parum veri bonique illi ſciant vel ſapiant, quamque inſulſi invidi et
malevoli ſint cenſores, quodque nos eos clam ſe titillantes et conri-
dentes palam pungamus et rideamus, imo ex alto deſpiciamus. ‖ Li- 5v
brum autem hunc, qui mea Elogia deprædicat et ebuccinat, mihi per
hunc ipſum nuncium remitti volo. Nullum enim aliud habeo exem-
plar. Ubi plura nactus fuero, vobis et alijs communicabo. Eroque ad-
huc facilior, quam inſtitor iſte veſter librorum. Nam gratis dabo et
aperte faciam, quod is ſubdole et tecte. Ephemerides iſtæ novæ ex no-
vis (ſi Dijs placet) Tabulis ſupputatæ ne quidem apud Germanos fidem
merentur, quam autor in Præfatione venditat, nedum apud [vos Da-
nos], qui terrena potius quam Cœleſtia curatis. Heu tam averſus Equos †
veſtris Sol iungit ab oris. In Septentrione enim ſemper habitavit ‖ bar- 6r
baries. Et verendum, ut ne nunc quidem ſatis extirpata ſit, aut poſt-
liminio redeat, contemptis ingenuis et humanioribus literis unâ cum
virtutis integritate. Quod Cognatus meus [LINDENOVIUS], ea quæ
ipſemet non invite, antequam diſiungeremur, promiſit, nunc conce-
dere tergiverſetur, licet tunc æque erat in Politicis prudens atque nunc,
non miror. Cimber enim eſt, cur non Cimbrizet et nippizet? Quamvis
(ut dicam quod res eſt) parum curem, ſive communicet, ſive non. Poti-
oribus enim intentus ſum, quam ut talibus Mundanæ ſcenæ frivolis
nugis immorer. Volebam ſaltem memoriæ et rei ‖ bene geſtæ cauſa 6v
hanc hiſtoriolam penes me habere, *att man kunde læſe den ſom et*
Eventyr om Afftenen. Scripſit is ad me, et quod in diverſis locis hære- †
ret hæc confabulatio, non mitti excuſavit. Tum quoque de Comœdia,
quæ iſthic a perſonato Anglo introducta eſt, quodque ferme in Tra-
gœdiam verſa fuerit, indicavit. *Kan ſkee den [gammele]* pater con-
ſcriptus *lader ikke af,* furijs ſic impellentibus, etiam in defunctum
ſævire, *førend han ſtaar op igien og giør Jertegn.* Mones, et quidem
recte, ut circumſpecte in quibuſdam agam. Quod et facio, faciamque.
Imo plus taceo, dißimuloque ‖ in tantis iniurijs, tamque falſis obiectioni- 7r
bus, quam forte opus eßet. Sed ſerviendum eſt tempori et loco. Quod
differtur, non aufertur. Sunt Regibus, fateor, longæ manus. At Philo-
ſophis et veritatem tuentibus adhuc longiores et fortiores. Nam ipſo- †
rum Imperia et Iuriſdictiones etiam ultra fata mortalium ſe extendunt.
Cætera

Cætera momentanea et caduca ſunt. Tandem bona cauſa triumphat.
Reges et Dominos habere debent, qui ſe non habent, et non concupiſ-
cunt, quæ Reges Dominique concupiſcunt. Illi ſemper metuant, ne
† fractus labatur axis, et pavidos feriant ruinæ. Rex eſt, qui metuit nihil.
Hoc Regnum ſibi quiſque dat. Sed de his ſatis. ||
7v Ædes meas Hafniacas pro duobus millibus non vendam. Conſti-
terunt mihi, antequam ultimo ibi eßem, et quædam in ijs complevißem,
ultra 3000 Ioachimorum. Tunc vero vix intra millenos in eas ulterius
erogavi. Satis eſt conſtans ſtructura, quæ alijs in Civitate lapideis do-
mibus duratione ſua non cedet. Nec fundus ille paludoſus, quem tanta
arte emendavi, ponderoſiorem ſuſtinuit. Si vendi iuſto precio nequi-
verint, date ſaltem operam, mei Amici, ut inquilinum fidelem pro ijs
ad Michaëlis feſtum obtineam, qui id quod æquum erit, inde ſolvat.
8r Cauſa PEPLERI etiam invitis (uti exiſtimo) || ijs, qui eam promovere
ſatagebant, male illi ceßit, et prout revera meritus erat, imo mitius. Si
Amſtelredami manſißet, neque [HUITFELDIO] auſcultaßet, ſed apud
me in Norvegia rurſus habitandi veniam unâ cum culpa deprecatus
fuißet, ſiquidem me ad condonandum non futurum difficilem ISAA-
CUS PETRI iam antea illi indicarat, forte rectius ſibi conſuluißet. Sed
confiſus meis adverſarijs nunc prædominantibus (apud quos ego, eti-
amſi Geometrice demonſtrarem, nihil veri iuſtique obtineo) maluit
8v hanc Camarinam movere, et maiora ſubire pericula maioreſque mi-
ſerias. Cum BŒKELIO per MULÆUM || uti voluiſti, agam, ubi fuerit,
nunc enim peregre abeſt. Quid obtinuero, ex adiuncto reſponſo vide-
bis. Pecuniam totam iam antea tradiderat illi WINSHEMIUS, me in-
ſcio, nec tamen, poſtquam reſcivi, multum dißentiente. Erat enim is
valde importunus, præſertim vero uxor; et minabantur, *at de vilde*
† *ſlaae Skade og Intereße paa.* Et neſcio, quæ alia crocitabant. Quid
igitur faceremus? Litem forenſem ob id movere tibi forte ingratum
fuißet, nec nobis volupe. Et habet is inter iudices ſibi addictos, ut vix
aliquid obtinuißemus. Nam et hîc iudicia ſunt perſonalia, non realia,
ferme ut apud vos, licet paulo minus ob proceßum Iuris Civilis in co-
9r gnoſcendis || cauſis et non præiudicandis magis æquum et legitimum.
Dabo operam, quantum in me eſt, ut eos, quos adhuc deſideras, nanci-
ſcaris. Quod ſi obtinere nequivero, tranſeant cum cæteris. Satis habes
librorum. Unica SOPHIA omni prævalebit Philoſophiæ, etiam Pla-
tonicæ et veriori, nedum Ariſtotelicæ et fucatæ, atque in Logimachijs
verborum fundatæ. Ignoſces, quod de Præceptore tuo id quod res eſt,
dicam. Nam et ipſi Itali, qui alias ei admodum mancipati ſunt, illum
hoc (uti ſcis) elogio deprædicare non ſunt veriti:

Doctorem calamo ingratus, Dominumque veneno
Perdidit, igne Patrum dogmata, nos tenebris.

Non tamen reprehendenda ‖ duxerim, quæ in ipſo laudabilia et recte 9ᵛ conſtituta ſunt, qualia te Lynceis oculis diſcernere poße non ambigo. Præſtabit tamen (uti opinor) vivæ illi palpabili et tractabili SOPHIÆ operam dare, quæ pro libris liberos dabit, pro facundia fæcunditatem, ut pulchra faciet te prole parentem. Quod ante revolutionem Phœbi † annuam faxit Deus. Cecini tibi breve et fortuito incidens Epigramma loco Epithalamij; quod neſcio an acceperis, ſiquidem nullam in literis eius facis mentionem, niſi ſerius forte nactus ſis, quam eas ſcriberes. In omnem itaque eventum denuo reliquis, quæ mitto, cum alias ſit breve, addidi. Reſtituas mihi velim ‖ carmen CRAMERI tui, quod cum 10ʳ cæteris in hoc genere coacervare lubet. Multa enim hinc inde talia ab Eruditis in mei gratiam cuduntur, ut ſuo tempore videbis. Plura nunc non addo. Ubi tu plura reſcripſeris et currum promißum, quem indies expeto expectoque, ne iter meum retardetur, miſeris, ulterius reſpondebo. Vide ſaltem, ne quidpiam eorum ſilentio prætereas, de quibus antea movi, quæque memoriæ cauſa denotata habes. Iamque felix et incolumis cum tua coſta vale, et matrem tuam officioſe ex me ſaluta. Hancque non neglige, atque non detento hoc Nuncio actutum reſcribe. Iterumque vale. Dabantur ‖ Wandeſburgo die 10. Auguſti Anni 1598. 10ᵛ

BŒKELIUS hiſce diebus domi non fuit, ut reſponſum eius tibi mittere nunc poßem. Quam primum is redierit, omnem hac in re movebo lapidem, ut deſiderijs tuis ſatiſfiat.

Tuus TYCHO BRAHE.

[Ex apographo manu scripto in fine exempli Hauniensis P. J. Resenii *Inscriptionum Haffniensium* (Hauniæ 1668)]

EXCELLENTISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO DOMINO NICOLAO CRAGIO I. V. DOCTORI, HISTORICO REGIO ET ACADEMIÆ HAFFNIENSIS PROFESSORI EXIMIO, AMICO SUO EX INTIMIS UNI ET SINCERE DILECTO. 34ʳ

S. P. 28ʳ



NTE octiduum primum huc reverſus eſt MULÆUS, literaſque tuas, Præſtantißime et amantißime Vir, attulit, multo ſerius quam ſperâram. Detentus quidem ab ESCHILLO et ACCIO, at non, ut cauſas moræ interea per literas ſignificaret prohibitus. Quod tamen ſerio ei in mandatis dederam. Nec tanta illi ſecreta aut myſteria ſcribenda erant, quod interfuerit, in quorumcumque tandem manus literæ eæ venirent. Et quod omnium maxime diſplicet, præcipuo negocio,

gocio, nempe pecuniario, infecto reverſus eſt. Quod tamen non tam illi quam dictis duobus imputo, et ACCIO potius quam ESCHILLO. Nam hic miniſtrum ſuum Flenſburgum miſit pro duobus millibus Ioachimicis meâ cauſâ iſthic obtinendis, ſed fruſtra. Ille ſolutionem ſummæ debitæ tergiverſatur, et dilationem petit ob debita fratris defuncti et neſcio quas alias impenſas; cum tamen ſit in bona re, et Cancellario nunc affine gaudeat, quem diutina avaritia et tenacitas ſatis nummoſum reddidit. *Huor kand da AXEL ſtaa til at trenge?* At ego totius ſummæ reſtitutionem denuo urgeo. Nolo enim quidpiam mearum pecuniarum amplius in Dania hærere, præſertim in iſtâ inviſâ affinitate. Ego quidem non incircumſpecte hactenus eidem ACCIO ſcripſi. Nam quamvis non obſcura mihi cum eo interceßerit familiaritas præter ſangvinis rationem, quæ hac tempeſtate etiam inter ipſos fratres in aquam degeneravit (ideoque eam minus reputo) tamen nos ſatis novimus nos, et plus eße in verbis quam factis compertum habemus. Si is ſerio rem egißet tacentibus fratribus meis cæteriſque conſangvineis, et Regno et Regi et Parenti ſervatus fuißet is, de quo ſcribis, forte honor. Ille enim ferme ſolus, quæ et quanta in iſtâ Inſulâ confeceram, rectius novit, partim ob habitationis ſuæ vicinitatem, dum Landſcroniæ Præſes erat, partim quod nonnunquam me inviſere ſolitus, eaque inſpicere, et de ijs me referentem audire. Attamen ad literas mihi obſignatas, quibus unâ ſubſcripſerat, non minus quam cæteri obticuit, magno equidem omnium illorum honore, et ad poſteritatem hiſtorijs commendando. O priſca fides! ô obſoleta veterum Danorum con-||ſtantia! ſed fit nunc perinde, prout Germania noſtra veſtræ nuper ſcripſit Daniæ:

Curat ſe quilibet unum,
non alios, metuitque ſibi, ſi cauſa probetur
alterius, ſit iuſta licet.

Sed utinam hæc de ſolo ACCIO, quod ad plurimos alios, qui ipſo mihi coniunctiores eße debebant, redundat, dicere liceret. *Det var en gott, om der var ingen værre end hand.* Si non multum boni præſtat, attamen non ita nocet, ut cæteri. *Och det er en ſtor naade i denne tiid.* Et interdum etiam conſolari videtur, meliorique fortunæ ſpem facere, quam tamen in veſtrâ Daniâ nec exſpecto nec expeto. Bene mecum actum iudicarem, ſi abſentem et non modice læſum immeritis cavillis et calumnijs perſequi nonnulli e vobis abſtinere poßent, quamvis et has nugas non plus morer, quam Cynthia pleno ſublimis fulgenſque lumine canum oblatrantium inſipientiam, quos et generoſi equi negligentes prætereunt, modo non plane mordeant. Tunc enim ne calcitrant. Egregiam ſane conſolationem vafra iſta et Machiavellica inter quoſdam e vobis Gymnaſiarchis confederatio hinc nacta eſt, quod vetus

tus ille meus domeſticus, qui per me ad potiora promotus eſt, nunc
ingratus cuculus ijs ſcurrile et mendacißimum efferi iſtius URSI ſcrip-
tum impertitus ſit. Sic enim habent quo ſibi abblandiantur, quaſi de re
bene geſta, quod eorum anteſignanus ipſißima ut ut latens caußa fuerit,
cur patria me nunc careat: exiguâ ſane iacturâ, ſi iſta convicia atque
calumniæ vim Geometricæ veritatis obtinerent. *Derſom den herlige*
Diſtractor famoſorum librorum *ſad endnu i Narrehuſet thill Augſ-
burg, der jeg en gang løſte ham ud for 18 Cruner,* cum vinum ſuffu-
ratus erat, *da ſkulle hand ſidde der ſaa lenge til hand kunde reci-
tere Bogen uden ad, och kand ſkee æde den op til bedringe, førend
jeg ſkulle løſe ham der ud igien,* ut et ipſe ſic ex hac incorporatione †
melius addiſceret, quam antea mentiri, ‖ pugillare, fallere, peierare, et 29r
plures eiuſcemodi virtutes, quibus liber iſte ſcatet, et quarum ipſe non
ignarus eſt. Iſtud impurum ſcriptum Academiæ Witembergenſis, Lip-
ſenſis, Helmſtadienſis, Roſtochienſis et plures in Germaniâ deteſtan-
tur, authoremque eius tanquam bonorum conſortio amplius indignum,
qui tamen apud quoſdam veſtratium decantatur, laudatur *(got folch
tilhobe)* execrantur; quod et literis apud me teſtatum reliquerunt. Briſ-
goienſis ſane Academia non obſcure mihi ſignificavit, ſe in Poëtaſtrum
iſtum, qui contumelioſum illud diſtichon concinnârat et ſubiunxerat,
prout meruit, animadverſuram fuiße (modo is author eßet, et non potius
urſina beſtia) ſi adhuc in vivis eßet. Nam ante quadriennium in ſumma
egeſtate eum obijße mihi relatum eſt. Sic et viri Principes tantam im-
pudentiam abominantur. Apud Brunſvicenſem author officij, quod in
ſchola ambivit, ea de cauſa repulſam paßus eſt. Dux ADOLPHUS
Holſaticus, quamprimum nænias iſtas vidit, ſtatim addita execratione
folia omnia laceravit, atque ad Cancellarium ſuum D. D. IONATHAM
GUTSLOVIUM librum igne abſumendum proiecit. Quod et factum
eſt. RANZOVIUS noſter non minus movebatur paucis ſolummodo
introſpectis verbis, omnia dira authori imprecans, et capitis pœna
mulctandum ſecundum IOB tam infandum facinus cenſens. En non- †
nulli ex eruditis veſtris huic applaudent, in ſinu vident, ſibique hunc
librum congratulantur, ne quid ſupereßet, quod ingrata Patria, aut
potius in ea ingrati quidam contra me auderent. Id tamen cum cæteris
omnibus flocci facio, nec calumniatorem iſtum reſponſione dignum
arbitror, ſed pœna potius ſecundum ſtatuta Imperij. Quod et me im-
petraturum confido. Tunc demum triumphent ipſius applauſores. *Man
ſkulle med rette iche roſe aff Marchen, førend torffvet bleff holdet.* †
Sed valeant ‖ et iſte et iſti, indigni de quibus hæc ſcriberem, non ſine 29v
chartæ detrimento, cui veſanum iſtud ſcriptum obfuit, non vero exi-
ſtimationi noſtræ, ut cum SCALIGERO noſtro loquar. Quare pluribus
de his nunc ſuperſedeo.

A SCALIGERO, cuius modo memini, litteras mihi attulit FRANCISCUS TENGNAGLIUS meus ante biduum redux, rebus bene ex- † peditis. *Thi det var paa thiden en gang att tale om gott folch, och lade de andre fare.* Eſt autem Epiſtola illa admodum erudite et humaniter ſcripta (uti ſunt ſummi illius viri omnia) cuius exemplum tecum communico. Quæ de Polis diverſis Mundi et Æquatoris, deque Polari ſtellâ, fixarum progreßu, anni quantitate, PTOLOMÆI craßa hallucinatione ex ortu Caniculæ eodem die Iuliano, tot interlapſis ſeculis, atque ſimilibus commemorat, minus ſibi conſtant. Nam et bonus interdum dormitat HOMERUS. Quâ de re, ubi reſcribendi otium nactus fuero, ipſum candide admonere conſtitui. Is noſtra plurimi facit, uti non ſaltem ex his literis, ſed et ex ipſa redintegrata temporum emendatione nuper publicatâ liquet, in quâ meas Æquinoctiorum obſervationes, quas Danicas vocat *(ſom vel forſkyldt er* a quibuſdam Danis, † *att de ſkulde ſaa kaldis)* ſupra iſtius HIPPARCHI inventa (quæ tamen et PTOLOMÆI et omnium veterum traditionibus præfert) longe evehit. Utrum ipſius hîc cenſuræ, qui rem ponderat atque intelligit, potius ſtandum ſit, quam Curiæ Magiſtri apud vos, qui horum plane rudis eſt et nil niſi pecunias ſomniat, ac Ruſticorum opera Aſtronomiæ et Iuriſprudentiæ anteferre non erubeſcit, tibi et alijs abſque glaucomate negocium introſpicientibus æſtimandum relinquo. Is adeo lætatus eſt, quando TENGNAGLIUS cum meis illum acceßit, ut præ gaudio exilierit, et quodvis humanitatis officium adeoque pecuniam, ſi eâ deſtitueretur (quod alias rarißimum eſt) illi obtulerit, nihilque magis in votis habuit, quam ut a Batavis accirer. Ideoque in partes Imperatoris minus in-||30r clinavit. Et cum de pollicitis Principis MAURITIJ, qui etiam mihi Germanice admodum humaniter ſcripſit, ac BARNEFELDIJ nonnulla illi retulißet FRANCISCUS, ſubiunxit SCALIGER, lenta admodum eße illorum conſilia. Sed ſe eos adhortaturum, ut mature rem agant, et me eo pertrahere elaborent. Omnino enim oportere ut Batavis, non alijs cedam.

Qua vero clementiâ et benignitate Elector Colonienſis (qui Cæſaris potius partes hac in re tuetur, ut et tu) eum exceperit, verbis ſatis exprimere non poteſt. Manſit apud ipſum uſque in quartam hebdomadam, ſingulis pene diebus ad ſecretum eius colloquium per aliquot horas vocatus, adeo ut conſiliariorum ſuorum interpellationes ſubinde eâ de caußâ averterit, multa ſciſcitatus, multa reſpondit, libros meos diligenter evolvit, laudavit; ſcripta etiam quæcunque FRANCISCUS ex meis ſecum habuit, ad ſe recepit, pauca reſtituit nec ea niſi deſcripta, adeo ut ne carminibus quidem in mei gratiam concinnatis parcere voluerit, occaſiones abitus mei e Dania non ſine admiratione expendit, et percunctatus FRANCISCUM quantum id fuerit, quod iſtic quot-

annis

annis in reditibus habuerim, reſpondente illo, et ſummam in honorem Regis et Regni aliquantulum augente *(det var noch hand var eders landmand)* quatuor millia thalerorum eam attigiße; ſubiunxit Prin- † ceps hæc formalia verba: *Was? Solte man ſölichen Man vmb ſo ein geringes Geltt aus dem Lande ziehn laſſen? Schande iſt es. Ein Herr verſpielet mehr auff einen abent; Gelt bekommet man allezeit, aber ſölche leute nicht allzeitt.* Tandem litteras promotoriales ad Imperatorem exquiſitâ diligentiâ ipſemet et compoſuit, et ſuapte manu ſcripſit, inſcio tam Cancellario quam Secretario, || quarum 30v tenorem unâ cum ijs, quas ad BARBITIUM ſupremum Imperatoris Secretarium, qui ab ipſo ad hoc dignitatis faſtigium evectus eſt, et annua etiamnum habet ſtipendia, pariter dedit, te accepiße exiſtimo. Scripſit etiam ad me ſuccinctas et eruditas, quas ſuo cubiculario mane in lecto ipſemet dictavit, eo quod FRANCISCUS abitum feſtinaret. Earum etiam hîc exemplum habes, cum ijs, quas ad Dominum RANZOVIUM unâ dedit. Placuit illi quam maxime, quod in Germania poſtmodum habitare decreverim et ſe charißima omnia, quæ haberet, depoſiturum aiebat, quod Imperator Clementißimo et ſummo favore me meaque ſtudia ſit proſecuturus et liberaliter ſuſtentaturus; addebatque, quod ſi Cæſar præter omnem ſuam exſpectationem in eo difficilem ſe præberet, tunc ſeipſum proprijs impenſis id effecturum, et omnino curaturum, ne extra Germaniam abeam, aut ad Danos redeam: egitque Deo gratias, quod ipſi iam propior eßem quam antea; et ſiquidem ipſum tam cito ac vellem, inviſere (quod tamen admodum in votis habuit) haud poßem, ſe quendam nobilium ſuorum intimum huc ad me mißurum, antequam in ſuperiorem Germaniam me conferrem, dicebat, qui de ſecretis quibuſdam ad artes abſtruſas pertinentibus mecum ageret, atque ad ipſum ea quæ percepißet, referret. Et ut paucis rem abſolvam (ſiquidem omnia narrare nimis foret prolixum) cum alias tum præſertim ubi FRANCISCO diſcedenti valediceret, tenens illum diu per manum, his ipſis verbis concluſit: *Sagett dem* || *gutten ehr-* 31r *lichen Man viel gutes von meinent Wegent, meinen gnedigen Grues, auch daneben, das er mich freilich von ſeinen beſten freundt halten ſoll den er hatt, vnd das ich ihn hin wiederumb nicht anders haben, vnd bey ihm thun will, als wan er mein leiblicher Bruder were, vnd ich ihn mein lebenlang vnd von jugent auff gekantt hette. So wohl gefältt er mir. Vnd ſo baldt ich gehen Prag kommen werde, will ich ihn beſuchen, es ſei wo er in Ihr Kaiſ. Mayt. gebiet zu finden:* adeo certus erat, ſe iſthic me reperturum. Atque hæc de optimi illius Principis Clementi erga me favore paucis indicata ſunto. Ex quibus tute * cæteros parvo æſtimavit, nulli facile cætera colliges, quodque non tam inviſus atque deſpectui habitus ſim in Germania atque

que apud quoſdam in Dania, vel inde ratiocinaberis. Quin et veſtrates
etiamnum omnem mei curam abijcere video, nec quicquam ut iſthuc
abſque meo incommodo reſtituar, ſollicitos eße. Nam ſi eo uſque ex-
pectent, donec ego ijs ſupplex futurus ſim, ad calendas Græcas (uti tu
recte auguraris) expectabunt. Nihil equidem ſatius ducerem quam
Patriæ et Regis mei honori ſtudere, vel ob optimum illum et lauda-
tißimæ memoriæ FRIDERICUM huius Parentem, qui præclare de
me meritus eſt. Sed quid faciam, cum ipſi me reſpuerint, contempſerint,
detrimento non exiguo atque multis iniurijs affecerint, odio et invidia
perſecuti ſint, artis, quam tam diu excolui, quamque totus pene orbis
a me efflagitat, inſtaurationem non ſaltem non promovere voluerint,
31v ſed et ſuſtentationem denegarint, ac ſubſidia, quæ prius habui, || ſub-
traxerint? Si mihi more cæterorum Nobilium vivendum foret, nec al-
† tiora peragenda ſuſcepißem, reliquos inglorius annos iſthic traxißem,
Bacchum et Cererem conſumere natus. Hæc et ſimilia RAMELIO
noſtro, qui erga te ob itineris moleſtias non ingratus (quod laudo) fuit,
quemque ego pro ſincero habeo Amico, indices quæſo, ne interrogatus
de abitus mei caußis reſpondeat ſe nullas ſcire, ſed me ſponte meâ citra
ullas neceßitates iſthinc abijße; veluti heri Generoſus Dominus GU-
LIELMUS SLAWATA, Liber Baro in *Chlum* et *Koſchumbergk*, ex
commendatione RANTZOVIJ me hîc inviſens mihi retulit, ſibi per-
conctanti a RAMELIO reſponſum eße. Satis quidem polite et Politice,
an vero ſatis caußæ Amici rationes ita habuerit, qui ſic leviter et citra
iuſtas rationes quidpiam admiſiße tacite inſimulatur, præteritis ijs, qui
in cauſa fuerunt, non dixerim. Quod Rex Serenißimus, quotieſcunque
mei incidit mentio, nullam malevoli animi ſignificationem oſtendat,
veluti tu ſcribis, et RAMELIUS etiam CLAUDIO MULÆO inſinua-
vit, et credo et lubenter audio. Nam cur male volet illi, qui ipſum dicto
factove nunquam offendit, caußas non habet. Sufficit me tacere, et quæ
paßus ſum, dißimulare. Si reliqui duo nunc proximi a Rege, quibus
meæ emigrationis caußas verius imputo, adhuc clanculario mei labo-
† rant odio, fit id iuxta proverbium: *Quem læſeris, oderis;* ideoque ni-
hil novi. Quod etiam ex alto potioribus intentus negligo.

Etſi vero per totam pene æſtatem de Cæſaris Clementißimo erga
32r me favore et propenſione, tum quoque aliorum quorun-||dam Prin-
cipum, mihi conſtiterit; tamen nihil movere, aut certi quid de mea
hinc profectione ſtatuere volui, antequam .... huc reverſus,
ut id quod iam .... nullos videlicet iſthic vel ex .... ipſo
nihil dicam, qui talibus minus attendit) mearum rerum curam ſuſcep-
turos, vel Patriæ caußa nedum mei. Idque nunc ſatis demonſtratum
arbitror, ut eo magis excuſabilis ſim apud omnes cordatos et ſinceros
viros, quod me alio, re ſic urgente, conferam. Conſtitui itaque favente

 Divinâ

Divinâ clementiâ, quamprimum currus meos, quos adorno, cæteraque parata habuero, Pragam proficiſci atque Cæſareæ Maieſtatis in me Clementißimam voluntatem experiri, relictâ hîc interim familiâ meâ muliebri, ad quam aut ante hyemem, ſi Deo ita viſum fuerit, revertar; aut ſi Cæſar id voluerit, mihique loci oblati commoditas placuerit, eam iſthuc addito certo et fideli comitatu evocari curabo. Si conditiones apud Cæſarem meis deſiderijs non arriſerint, ad Colonienſem me convertam. Et ſi nec ibi, ad Batavos. Pollicitus enim eſt Princeps MAURITIUS, ſe apud ordines confœderatos meâ de caußa ſedulo acturum. Idem et BARNEVELDIUS addixit ſe facturum, quamprimum ex Anglia redierit, ubi nunc Legatum agit. Sed FRANCISCUS, qui cum utroque oretenus hac de re egit, ut ſecreta omnia haberent, nec quidpiam Ordinibus proponerent, eos tacite monuit, donec de mea voluntate certi quid reſciſcerent. Æquum enim eße, ut Imperatori meam operam honoris caußa primum offeram. Quam ſi renuerit, tunc demum de alijs medijs cogitandum. In Angliam quibuſcunque tandem pollicitationibus allectus vix iturus || ſum. Nam et mihi mores gentis 32v ſuſpecti ſunt, præter id quod Reginæ vetulæ obitus magnos motus ciebit peregrinis maxime formidabiles et pernicioſos. Quæ omnia propterea fuſius tibi ſcribo, ut de meis conſilijs mearumque rerum ſtatu te (quod non dubito) ſollicitum certiorem facerem.

Quod literæ Electoris Soceri Regis non ſunt exhibitæ, parum moror. Nam et parum habent ponderis, nimiſque Politice et aulice conſcriptæ. Non amplius mare Balthicum tranſibunt. Videbo tamen, quomodo apud Electorem et Electorißam, qui mihi favere videri volunt, id civiliter excuſem. At libros quos Regi deſtinavi, maluißem oblatos eße certis de cauſis: non tamen quod ego aut ſperem aut cupiam, Regem eos magni facturum, qui alias videtur literis non admodum delectari. OLIGERUM etiam noſtrum inſtruxi, quomodo is eos ſtatim dono obtineret, ne in aliorum poteſtatem devenirent; non quod inimicorum cavillationes et malevolas interpretationes verear, talibus ſatis aßuetus, ſed ne ij, quos indignos reputo, meis gaudeant laboribus. Quocirca eos adhuc Regi per OLIGERUM .... uti et illi ſcripſi. Si tamen id facere non audeat .... ita tamen ut libri OLIGERO, ſi Rex eos (uti .... alij cedant. Habebit RAMELIUS, ſi voluerit, altera Exemplaria. Ad cætera quæ ſcribis, quia me parum concernunt, non reſpondeo. Id ſaltem ſuperaddam, ſi PETRUS BRAHE cognatus meus, quem fratris loco ſemper dilexi, propterea corbizatori et magno meo bono fœdifrago iſti valetudinem primogeniti ſui filij, de cuius || indole 33r multa præclara inaudieram (adeo ut ſperârim eum familiæ noſtræ, modo diſciplinæ iſthic aliquem locum mererentur, decus futurum) concredidit, eumque ſic amiſit, proh dolor (cum plus ſæpe periculi a Medico

Medico quam morbo, præſertim tam vulgari) certe male pro ſe ultus eſt iniuriam, ſi qua erat, quod cum CRASSÆO bis vel ter Roſtochij locutus ſum, et nullum tamen aliud officium aut operam ipſi præſtiti. Neque enim ab omni humanitate tam alienus eße poteram, ut tergiverſatione eius alloquij ſatis ſuperque afflicti afflictionem adderem, qui commiſeratione potius quam odio dignus eſt. Et ſi Salvatoris noſtri monitis auſcultaret PETRUS, culpam improviſam tam enixe deprecanti Dei ſaltem et conſcientiæ caußâ remitteret. Sed fit ut plurimum id quod infers; volumus nobis maxima a Deo debita condonari; nos autem proximo ne minima quidem. Vere igitur noſtri Deus miſereatur, atque hanc etiam obſtinationem, et ab eius voluntate averſionem clementer ignoſcat. Cui te tuamque ELSULAM et liberos omneſque tuos commendo. Vale, et prolixitatem hanc boni conſule. Dedi tibi ſic exemplum, ut et tu ſolito fuſius ad me ſcriberes. Ignoramus enim an poſtea, cum longius diſiuncti fuerimus, ea dabitur, quæ nunc, literas inter nos commutandi oportunitas. Quæ de Cæſare et Colonienſe, meiſque rebus nunc indicavi, ſorori meæ, ESCHILLO BILLEO et ROSÆCRANTZIO noſtro ſecreto impertire, nec ullis alijs. Iamque iterum unâ cum ijs cæteriſque Amicis, qui forte (uti fit) nunc mihi de † multis unus et alter erunt, quam felicißime vale. Dabantur Wandeſburgo die 20. Auguſti ſt. vet. Anno 98.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria. ‖

33ᵛ Addidi præter ea, quæ ultimo miſi, et alia duo Exemplaria literarum THADDÆI, quas ante triduum accepi, ut hinc videas, quam ſerio me expectent.

Cum IOHANNES STYGGIUS, qui nunc Hamburgi eſt, undecunque reſcivißet tandem, quoſdam ex Profeßoribus apud vos famoſum iſtud de me ſcriptum magni facere, quodque OLBURGENSIS id illis procurarit, tantæ iniquitatis impatiens, quaſdam ad ipſum direxit literas, ita conſulto ſcriptas, quaſi hoc factum approbare et laudare vide† retur: quemadmodum author libri, quem *Beinkorf* vocant, Pontificios contrarium ſentiendo commendat. Mittit tibi MULÆUS exemplum, quod ipſi STYGGIUS tradidit, tibi impertiendum. Habeas tamen omnia ſecreta. Nec niſi cum OLIGERO noſtro aut etiam ſorore quidpiam hac de re communices. Et tacite interim inquiri procures, quomodo hæ literæ factioni cui OLBURGENSIS adhæret, placuerint. Rogo, velis hunc amanuenſem meum Germanicum promovere in ijs, quæ iſthic meo nomine expedienda habet, atque urgere, ut quam citißime huc revertatur: idque intra 14 dies, ſi ullo modo fieri poßit, ac remittas cum eodem famoſum iſtud ſcriptum. Neque enim eo carere poßim ob mea

elogia quæ deprædicat; ſiquidem hoc unicum habeam Exemplum, et author huius non palam ſed clam diſtrahi procuret.

Addidi Exemplar Germanicum caußarum diſceßus mei e Dania, quod Domino RAMELIO per occaſionem legendum dare poteris; ut ſi neſcius ſit, quas habuerim abitus rationes, et immemor eorum, quæ cum ipſo Roſtochij locutus ſum, hinc diſcat, et in memoriam revocet; alias forte hæc || ipſa penitius et ulterius conſignabo. Tu interim char- 34r
tam hanc a RAMELIO receptam ſecreto penes te ſerva in memoriam rei bene geſtæ, cum ſis hiſtoricus. Vix enim in cæteris veriora habes documenta: Licet hiſtoriam Huennenſem poſteriorum præſertim Annorum narrare non audeas, quia veritas odium parit. Facient id tamen forte alij. Neque enim ignota eſt hæc Metamorphoſis, aut alibi ira tacita ut apud nos. Scribunt enim et loquuntur multi ea de re, quos mallem tacere.

[Ex apographo in codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°; cf. apographa Hauniensia in excerpt. Langebek. 179 et in fine exempli P. J. Resenii *Inscriptionum Haffniensium* (Hauniæ 1668)]

ILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO VIRO
DOMINO IOSEPHO SCALIGERO, IUL. CÆS. FILIO, MAGNO ACADEMIÆ LUGDUNENSIS DECORI, AMICO SUO INPRIMIS HONORANDO.

S. P. 137r

ERMAGNO equidem gaudio me tuis cultißimis et humanißimis literis affeciſti, Vir Illuſtris, Amice honorande, partim quod de ſtatu mearum rerum, poſtquam Dania exceßi, te ſincere ſollicitum probent, partim quod de recondita circa Anni et ſiderum rationes contemplatione mecum ſolerter agant. Pro qua tua in nos benevola affectione, quodque meum TENGNAGLIUM adeo comiter et humaniter exceperis, et habeo et ſemper habiturus ſum gratias. De abitus vero mei occaſionibus e natali ſolo, quæ non leves aut exiguæ erant, deque locis et conditionibus, quibus poſtea uſus ſum, nihil hîc referam, indignum reputans, tuis auribus talia occinere. Nec ego hac ſorte quidpiam moveor, cum oporteat Philoſophiæ ſtudijs addictum κοσμοπολίτην eße, nec ullis mutationibus locorum temporum aut hominum affici, ſed eodem in quavis rerum et eventuum vicißitudine ſibi conſtare animo, ac fluctuantis inſipientiſque Mundi perverſa iudicia ex alto negligere. De ijs etiam, quæ tibi ob eximiam virtutem et doctrinæ præcellentiam ignavorum et malevolorum peperit invidia, nihil addam, cum et hanc ſuperare magnanimi ſit ingenij. Tales æmuli

et

et Zoili non alijs, ſed ſibiipſis detrahunt, ſuamque fatuitatem cordati-
oribus ludibrio exponunt, ut graviore opus non habeant vindicta quam
propria. His itaque prætermißis et ſublimi firmoque animo poſthabi-
tis, ad ea quæ cognitionem non poſtremam ſapiunt, et a te mota ſunt,
accedamus.

Sphalmata, quæ Eruditißimo tuo volumini, arduo ſummoque labore
comparato de Emendatione temporum per incuriam aliquam irrepſe-
runt, nemo intelligens et ſani iudicij tibi imputârit; ſed aut Typographo
† aut occupationum tuarum moli. Talia etiam mihi (ſi parva licet com-
ponere magnis) in meis quoque editis ſcriptis, ubi ea denuo inſpicio,
ſubinde contigiße animadverto, quæ tamen nemo niſi malus et verbo-
rum potius quam rerum otioſus æſtimator cavillatus fuerit. Noſtras
æquinoctiorum obſervationes tantopere a te probari plurimum mihi
congratulor. Et ſi liceret mihi de meis inventis id, quod res eſt, teſtari,
multo ſane auro redimerem, Anteceßorum noſtrorum ſive veterum
ſive recentium tam exquiſita diligentia adminiſtratas fuiße animad-
verſiones. Certe anni Cœleſtis ſubtilißima dimenſio, a qua plurima
alia dependent, nos non ita fluctuantes et incertos redderet. Solis in
æquinoctialia puncta ingreßum dimetiri, nedum alia, ubi declinatio
eius minus variat, altiori indiget molimine quam putatur, alijſque me-
dijs et Organis, quam vel Antiquos in uſu habuiße, aut etiam REGIO-
MONTANUM et COPERNICUM eorumque coætaneos adhibuiße
legimus, indiget. Oportet enim ea tanta tamque ſolide et exquiſite ela-
borata eße, ut intra ſextam Minuti unius partem Altitudinem Solis
meridianam diſcernere queant. Nec uni ſed pluribus potius ſtandum,
collatione accurata, prout a nobis non ſaltem illo quod produxiſti quin-
quennio, ſed et plurimis alijs Annis pari præciſione factitatum eſt. Ha-
benda etiam ratio Parallaxeos Solis, tum quoque refractionis in de-
cliviore præſertim ſitu. Quæ omnia cum vetuſtus ille et in ſcrutandis
Luminarium motibus laborioſißimus HIPPARCHUS vix præcaverit,
non mirum eſt, ipſius Æquinoctiorum obſervata tantopere claudicare,
ut intra diei quadrantem ſibiipſis non conſentiant. Quæ tamen aliqua-
tenus inter ſe ob refractionum et Parallaxeων neglectas implicationes
conciliare tentavimus. At vix intra duas vel tres horas id præſtare li-
cuit, cum inſtrumentum, quo uſus eſt, ſingula Minuta non exhibuerit,
ſed ſolummodo duodecimam (uti opinor) gradus partem. Quod vel
137v ipſe prodit, dum nimis lato || modo Æquinoctia aut in Horizonte aut
Meridiano, neglectâ ubique ſex horarum differentia, contigiße aßumat
potius quam perſuadeat, ſuis nimirum intra has metas diffiſus Organis.
PTOLEMÆUM quidem adhuc minori certitudine hæc et alia ſcruta-
tum, multa ab ipſo ea, qua opus fuit, præciſione non enucleata pate-
faciunt. Attamen illum totum diem in ingreßibus Æquinoctiorum hal-
lucinatum

lucinatum fuiße non dixerim. Oportuißet enim eum ſic per quincuncem † fere gradus Solis declinationem admittere erroneam, quod ea inſtrumentorum magnitudo et elaboratio, qua Tropicorum intercapedinem ſive Eclipticæ obliquationem intra tertiam minuti partem rimatus eſt (niſi et hanc ab HIPPARCHO mutuabatur) non patitur. Sic et Lunæ latitudo maxima ab illo per Parallaticum deprehenſa adeo magnam Inſtrumenti fallaciam non arguit. Si omnia loca, quæ in eo ſuſpecta habes, denotaveris et mecum unâ cum obſervationibus HIPPARCHI ad annos et dies Iulianos retro ſubactos, addita indicatione bißextilium communicaveris, inprimis gratum, nec inutile (uti ſpero) præſtiteris officium.

Scripſit ad me ſtudioſus ille Danus, olim mihi domeſticus, qui iam apud vos eſt, CHRISTIANUS IOHANNIS, penes te eße librum de HIPPARCHI obſervatis, in Italia ante aliquot annos Græce editum, † cuius exemplar impreßum, aut meis ſumtibus deſcriptum unâ cum tuis annotationibus marginalibus, ubi potißimum quid erroris aut dubij ſubeße putaveris, ſi impertieris, non modico me affeceris beneficio. ALBATEGNIJ quoque, quem et MAHOMETEM Aratenſem (uti ſcis) vocant, opuſculum caſtigatum (plurimis enim id quod extat ſcatet mendis) unâ cum ijs quas author ipſe ſubiunxerat Tabulis, obtinere averem, tum quoque ſi quid præterea apud te, antiquitatum ſolertißi- † mum excultorem, ſimilium librorum repertum fuerit, quod Aſtronomiam in ipſo Cœlo, non ſolis chartis quæſitam illuſtret. Optime ſane feceris, ſi me de ijs reddideris certiorem, et conatus noſtros ita non parum iuveris.

Quæ de Æquinoctiali eiuſque polis mobilibus, quodque differant a polo Mundi dißeris, in ijs tibi adſtipulari non poßum, aliter me inſtruente ipſa experientia. Deprehendi enim ex mutata latitudine fixarum iuxta proportionem mutatæ obliquitatis Signiferi, a temporibus TIMOCHARIS, HIPPARCHI et PTOLEMÆI, hucuſque (ſi modo eorum obſervata in angulo obliquationis maximæ et cæteris omni vitio careant, qua de re non citra rationes dubito) Eclipticam potius quam Æquatorem cum ſuis polis inſtabilem eße, Sole non ſemper eandem multo ſeculorum interiectu deſcribente, et una ea loca, quibus æquinoctialem tranſit, ſucceßive anticipante. Unde fit ut ſtellæ fixæ tantundem progredi videantur, quantum Sol hæc puncta anteriora reddit. Cumque id illi motui, qui convenit defectui Anni Cœleſtis ab Anno Iuliano, non plane coæquetur, fieri nequit, ut ſtellæ fixæ ijſdem Anni Iuliani diebus per aliquot ſeculorum intervalla cum Sole oriantur vel occidant, alijs etiam concurrentibus cauſis, quæ diſcrepantiam pariant. Et licet id paucis quibuſdam ſtellis utcunque per longum Annorum intervallum competere poßit, tamen non ſemper aut omnibus. Nec etiam

ulla

ulla eſt (uti tam in Opere tuo quam hîc infers) inter polum Æquinoctialis et Mundi diſcrepantia; ſunt enim unum et idem. † Neque extrema in cauda Urſæ Minoris, quam Polarem vocant, quod prope polum ſit, Mundi polus eſt, aut proxima huic, niſi æquinoctialis polum intellexeris, qui a Mundano (uti dixi) non differt. Diſtitit quidem hæc ſtella temporibus HIPPARCHI a polo Æquatoris $12\frac{2}{5}$ partibus. At hoc anno iuxta noſtra Inventa appropinquavit illi intra G. 2 M. $51\frac{1}{2}$, quam ante 138r annos 25 præciſe tribus gradibus ‖ ab eodem removeri, Auguſtæ Vindelicorum per quadrantem 14 cubitorum in ſuo Radio, illic a nobis in horto prope prædium Conſulis HEINZELIJ extructum deprehenſum eſt. Non tamen ob id hæc ſtella ullius orbis polus eſt, aut prope, ſed hic acceßus ad polum Æquatoris ſive Mundi fit per mutatam eius longitudinem circa polos Eclipticæ, quâ illius declinatio augetur, cum ſit nunc circa finem ſigni ♊; tempore autem HIPPARCHI circa finem ♉ verſabatur, confectis interea ſecundum longitudinem paulo magis 24 gradibus, latitudine autem non plus alterata, quam fert obliquitatis Eclipticæ (modo ſic ſe haberet) per tertiam gradus partem decrementum. Nam ea quam PTOLEMÆI Abacus in 66 exacte ponit gradibus, lato modo ſumta eſt. Et ſi hæc ſtella noſtro Ævo ad Æquatorem referatur, non cadet in Colurum æquinoctialem, ut tu forte exiſtimas, ſed diſtabit ab hoc in partibus Æquatoris G. $5\frac{3}{4}$, teſtante idipſum ratâ experientiâ. Coniungi autem ipſa cum polo Æquatoris exacte nunquam poterit. Nam poſt annos proxime 500, ubi initium ♋ ſimulque Colurum Solſtitialem aßecuta fuerit, diſtabit a polo verſus Eclipticam ſive Æquatorem $27\frac{1}{2}$ minutis. Etſi enim Eclipticæ inclinatio paulo aliter tunc forte aucta fuerit (quod tamen vix futurum exiſtimarim) tamen hæc latitudinem ſaltem ſtellæ alterabit, nec eam polo ob id propius admovebit, ſtellis nimirum fixos Eclipticæ polos reſpicientibus, Sole autem nonnihil mobiles per ſecula deſcribente, quatenus antiquorum traditis acquieſcendum erit. Quare hæc quæ de diverſitate polorum Mundi et Æquatoris deque ſtella polari quacunque tandem occaſione concepiſti, penitius tibi expendenda relinquo.

† De libello PTOLEMÆI, in quo ſtellarum ortus et occaſus ad ſingulos dies Anni Actiaci et Iuliani per aliquot Climata deſignantur, libenter audio, quæ adducis. Da operam, ut eum mature obtineamus. Circa Aſteriſmorum ordinationes etiamſi aliqua cum Recentioribus incidat nonnunquam differentia, nihil turbabit negotium, modo conſtet, cuius ſtellæ fiat mentio. Anni Syderei ab Ægyptijs et Babilonijs introducta, poſteaque a THEBITIO exculta, a COPERNICO vero noſtro ævo renovata ratiocinatio, non ita vana atque inutilis eſt, prout exiſtimas, ſi modo exacte conſtaret. Nos eam in Progymnaſmatis Aſtronomicis adhuc accuratius caſtigavimus, quatenus Ptolemaicæ cum noſtris

noſtris collatæ ferunt Obſervationes: Sed ubi Hipparcheas in aliqua copia per te nactus fuero, hanc ipſam ſubtilius limitabo. Nam et ego potius cum HIPPARCHO quam PTOLEMÆO ſtandum tecum cenſeo. Exiſtimo autem non minus quam COPERNICUS ſtellas fixas quoad ſe immotas perpetuo manere. Progreßionem vero illam, quam efficere videntur, per Axem Terræ in ſua revolutione anticipatum libratumque, uti is voluit, non admitto, cum nihil eiuſcemodi revera Terræ competat, at ſi veterum tradita omnimode rite conſtare credendum, veriſimilius erit, ipſum Solem aliam atque aliam diverſis ſeculis deſcribere Eclipticam. Et quantulacunque ſic ſubeße poßit inæqualitas, eam per Solis univerſalem Hypotheſin, prout e præteritis Artificum obſervationibus enucleare licuerit, favente Numine ſalvabimus. Atque huc conducet Anni Syderei ratio, ut et in Planetarum ſimplici motu a certo et immobili puncto deducendo, et accuratius quam hactenus ſtabiliendo. Neque quidpiam infringit huius anni commoditatem, quod Caniculam ſeu Syrij lucidam, ut veteres hanc vocarunt, per 15 ſecula eodem proxime die Iuliano exortam eße aßeveres. Id quod in hac ſtella quodammodo fieri potuiße tibi conceßerim, ut ob id hac experientia edocti, || antiquitus Annum Iulianum Cinicum appellarint. Nam et 138v ego Geometrice ad motiones huius ſtellæ interea factas adoptato calculo, eam in Horizonte Græcorum, ubi polus 40 plus minus gradibus attollitur, ortum ſuum cum Sole a PTOLEMÆI temporibus per 1500 Annos retro numeratos non niſi unico die Anni Iuliani anticipaße deprehendo. Quæ differentia illis pene inſenſibilis, ſiquidem non ſatis ſcrupuloſe hæc comperta habebant. Fit tamen ea convenientia per accidens in hac ſtella ob declinationem intervallo tot ſeculorum ita variatam (nimirum tribus gradibus, dempta una tertia) ut hæc eam alterationem, quæ ex Anni Iuliani ac Syderei diſconvenientia incidere potuit, emendarit et quaſi eliſerit. Quod nihilominus in alijs ſtellis pariter non contingit ob aliam atque aliam declinationum alteratarum vicißitudinem, ut de curriculi Solis inæquali ad eoſdem dies revolutione per longum temporis tractum ob Apogæi eiuſdem mutationem nihil nunc dicam. Imo ne quidem in hac ipſa ſtella, ſi a PTOLEMÆO huc uſque pari modo fiat periculum, adeo conſtanter diem Iulianum obſervari comprobabitur; differentia nunc uſque in tertium diem ſeſe extendente, eo quod tardior fuerit poſterioribus ſeculis declinationis variatio, quam illis antecedentibus, nec reliquo motui adeo analoga. Et ſi quis poſt totidem ſecula in futurum idem tentet, fiet adhuc maior differentia, utpote quæ in quintum diem excreſcet. Quin et de Arcturo, quod ais, eum tempore HESIODI eadem die Anni Iuliani nempe VIII Martij ortum fuiße, qua idipſum prodiderunt in eo tractu METON et EUTEMON, numerationi diligentiori non congruit, ſi modo recte temporum

porum intervalla nobis conſtiterint. PTOLEMÆI quidem ævo nona die Martij unico ſaltem poſterius oriri potuit. HESIODI autem, quod noningentis Annis anterius ſtatuimus, ſecunda die Martij per 7 nimirum dies prius exoriebatur. At tempore METONIS, qui vix 150 Annis poſt HESIODUM floruit, idem ortus in tertium diem Martij cadebat. Hiſce autem proximis annis decimum nonum ferme diem attingit, ut ob id, quomodo Arcturi exortus ad certum diem Anni Iuliani multis ſeculis alligari queat, prout tua inſinuat annotatio, non videam. Sic aliæ et diverſæ ſtellæ diverſimodam quoque in hac pragmatεία ingerunt variationem, ut hinc nihil certi de Annorum rationibus mutuari liceat. Anni cœleſtis periodus in ijs quidem, quas accepiſti, impreßis chartis a nobis GELALÆA paulo minor adhibita eſt. Hanc tamen non tanquam univerſalem illic adduximus, ſed ſolummodo ab Obſervationibus REGIOMONTANI per unicum Annorum centenarium huc tranſlatam; quod certo conſilio fecimus, ut Apogæi et Eccentricitatis, ſi qua ſubreperet incomperta mutatio, minus officeret, præſertim cum ad tria vel quatuor duntaxat ſecula motum Solis inibi emendatiorem tradere intenderimus. At ſi altius (quod præſtat) id petatur, interlapſis plurimis ſeculis proveniet hic Annus paulo maior GELALÆO, nec tamen in tantum, ut Alphonſinum modum, cui tu nunc ſubſcribis, aßequatur. Qua de re præciſius aliquid, quam antehac ſtatuere licebit, ubi omnibus HIPPARCHI obſervationibus me inſtructiorem reddideris, tum quoque ſi quas alias adhuc vetuſtiores aut intermedias in promtu habueris. Cuperem etiam antiquißimi illius Iudaici Æquinoctij, cuius meminiſti, exactam a te cognitionem obtinere, quanto nimirum tempore, quoad annos Iulianos a noſtris obſervatis retro diſtiterit; ita tamen, ut iſte annus, quo hoc Æquinoctium celebratum creditur, pariter a bißextili removeatur cum aliquo e noſtris, in quibus ob id quinquennium apponere libuit, quo ſemper aliquis in promptu eßet, qui ſic cum vetuſtis inventis conferri commodius poßet. Oportet enim ubique ſemper hanc collationem fieri in ijs Annis, qui vel pariter bißextiles ſunt, vel a bißextili æqualiter diſtant, quod et in prioribus literis me monuiße recordor. Petis, ut ſtellarum Eclipticæ vicinarum,
139r præſertim ‖ Reguli et πρόποδος ♊ communicem loca atque exortus cum diebus Iulianis. Scias itaque cor ♌ Anno CHRISTI 1600 Dionyſiaco completo (quo vulgariter, licet inepte, uti recte nos edocuiſti, utimur) incidere, quoad longitudinem in G. 24 M. 17 ♌ cum latitudine G. 0 M. 27 Bor. tuncque obtinere Aſcenſionem Rectam p. 146 M. 46 ac declinationem p. 13 M. 54, ideoque oriri in Horizonte illo Græcorum cum 24 g. ♌ completo, quod coſmice contingit 7. Auguſti, Acronyce vero 2. Februarij. Et in noſtra quoque latitudine intra eoſdem dies tam coſmice quam Acronyce emergit. Propus ♊ longitudinem ad dictum

tempus

tempus habet p. 27 M. 53, latitudinem vero p. 0 M. 58 Merid., Aſcenſionem Rectam p. 87 M. 42, declinationem p. 22 M. 33 Septentrionalem. Unde in eodem Bœotico tractu nunc oritur cum 29no ferme completo ♊, id eſt 10. Iunij coſmice, inter 9um et 10^{mum} Decembris Acronyce.

Ut vero plurium ſtellarum, imo quotcunque et qualiumcunque volueris, loca ipſi cœlo adamußim congrua in promptu habeas, atque hinc quicquid placuerit, circa earum habitudines ſive veterum ſive noſtro ævo rimari queas, en hîc peculiari libro mille ſtellarum (plures † enim in noſtro climate vix obſervationi patent) exactißimam in ipſo minuto, adeoque interdum ſemiße, quoad longum et latum reſtitutionem intra 20 elapſos annos magno labore et diligentia a nobis exantlatam, qualem (abſit gloriatio) nulla viderunt priora ſecula, tecum ſecreto communico. Redegimus autem omnium longitudines conſulto ad Annum vulgarem 1600 completum, quibus ALBATEGNIJ ætas G. 10 exacte, PTOLEMÆI 21$\frac{2}{3}$, HIPPARCHI 24$\frac{1}{4}$, TIMOCHARIS 25$\frac{3}{4}$ ſubtrahunt; latitudine pro ratione variatæ inclinationis Eclipticæ ad Æquatorem in ſingulis ſecundum earum peculiarem diſpoſitionem nonnihil hinc inde creſcente vel decreſcente. Quæ tamen differentia, ultra tertiam Gradus partem, ubi vel maxima eſt, hactenus alterata eße non invenitur, imo et in hac tantillula mutatione non parum ſubeſt dubij. Atque hæc prout ipſi Artifices loca præcipuarum aliquot quarundam fixarum ſuo ævo prodiderunt, in quibus tamen, PTOLEMÆO præſertim et TIMOCHARI aliquem ſubrepſiße errorem, quo minus ea ſatis ſubtiliter ſcrutati ſint, ob nimiam inæqualitatem ſuſpicor, ALBATEGNIJ et HIPPARCHI denotationibus magis ratis exiſtentibus. Ex quibus etiam præcipue collegi, inerrantes ſtellas ſingulis annis 51″ conficere; quantum videlicet motui Solis ſimplici competit, in ea temporis differentiolâ, quæ eſt inter annum Æquinoctialem et Sydereum, quam nos ſtatuimus M. 20$\frac{2}{3}$ quamproxime. Quare in Annis Iulianis 70 Menſibus 7 unum Gradum abſolvunt ſtellæ, non autem centenis (uti voluit PTOLEMÆUS) longe minus pluribus, prout tu exiſtimare videris. Oporteret enim ſic ſupra modum erroneas fuiße anteceßorum animadverſiones, quod nimis licentioſe aßeverare nemini fas eſt. Additus eſt iuxta calcem eiuſdem libri catalogus 100 inſigniorum ſtellarum Declinationes et Aſcenſiones Rectas ad annum 1600 et 1700 exhibens unâ cum ſuis differentijs, per quas non ſaltem ad intermedium ſeculum, ſed et proxime antecedens ac ſubſequens hæ utrinque ſatis commode adaptari queant. Si vero ortus et occaſus earum ad certum Horizontem ratione Solis ſcire aves, id REGIOMONTANI Tabulæ ex data declinatione et Aſcenſione Recta non difficulter ſuppeditabunt, aut, ſi mavis, per Triangula. Ut autem locus Solis e noſtra emenda-||tione 139ᵛ etiam tibi verius quam alias conſtet, addidi Ephemeridem motum eius

ad

ad Meridiem ſingulorum dierum huius labentis Anni in longitudine locorum 37 partium expedientem. Inde ad plures antecedentes et ſequentes eundem intra unum vel alterum Minutum derivare, exigui eſt laboris. At ſi præciſius hunc rimari lubuerit, utere meis Tabulis in motu Solis, quas puto te in capite illo primo de curriculo illius a nobis reſtituto (undecumque tandem tecum communicato) accepiße. Sin minus, habes hîc in omnem eventum quaternionem eius calculo ad proxima aliquot ſecula ſufficientem. Mitto inſuper alium librum, Mechanica Aſtronomiæ noſtra complectentem, quem tamen ordine primum ſtatuo. Eo inſpecto non obſcure æſtimabis, quanto molimine, quantaque diligentia talia tractârim. Et ſi lubuerit unum vel alterum Inſtrumentum ad inſtar eorum confici curare, habes inibi Idæam et uſum. Nec enim inutile foret, ſi Sextantem quempiam pro Syderum diſtantijs et Quadrantem iuſtæ magnitudinis pro eorundem altitudinibus dimetiendis tibi paraveris. Qua in re prænominatus ille ſtudioſus Danus tam quoad diviſiones perficiendas quam cætera ordinanda tibi uſui eße poterit; unâque in Praxin obſervationum opus diducere, prout apud me didicit; optarem enim, multis in locis cœleſtibus diligenter at- † tendi, ne idem fiat noſtro, quod de ROMULI ævo conqueritur NASO:

Et inobſervata per annum
Sydera currebant.

Uti etiam ferme (quod dolendum) nunc accidit.

Facis quoque ſub finem mentionem anni Liliani ſive Pontificij, tam inepte conſtituti quam approbati. Quem licet omnibus ſuis numeris non exactißime conſtantem (quis enim hoc inconſulto cœlo præſtiterit?) convenientiorem tamen priore illo omnino cenſeo, qui tot dierum ob anni Æquinoctialis et Iuliani aliquale diſcrimen anticipationem commiſit, inde ab initio annorum CHRISTI, vel (ut illi maluerunt) a concilio Niceno. Neque tam facile poſthac iuxta modum illum Gregorianum adeo enormis divagatio ſubrepere poteſt; ſed (ut dicam quod res eſt) hæc ſumma præciſione (ſi qua foret neceßaria) extricare nullis eiuſcemodi compendijs et diverticulis licet. Verum habenda eſt ipſißima motus utriuſque luminaris ad quævis ſecula ſubtilis notitia; qualem ne hoc quidem tempore ex uſitatis Tabulis citra omne erroris veſtigium compertam habemus. Ut primi Menſis huius Anni in Sole et Luna ad longitudinem loci 35 partium e noſtris animadverſionibus et Tabulis ſubductus calculus, atque cum Alphonſinis et Coperniceis numeris collatus (quem etiam in quadam charta, ut hinc cætera ratiocinari queas, adiunxi) te edocebit. Hæc igitur, quæ nunc mittere commodum fuit, boni conſule. Subiungam ſuo tempore, favente cœleſtium Opifice, de cœleſtibus plura et maiora. Et quamvis hiſce ſeriori-

bus nimium tibi faciam nunc negotij, luſus nihilominus inſuper quoſdam poëticos e multis quos habeo, in mei gratiam, poſtquam Dania exceßi, hinc inde a diverſis concinnatos, mihique mißos unâ impertior, non quod tua Heroica vena quid dignum redoleant, ſed tantum ut videas, alijs quoque meam inde emigrationem cordi eße. Selegi autem potißimum hæc, in quibus diſceßus noſtri cauſæ utcunque inſinuantur. Si præſtantißimus ille DOUSA iunior, quem fata nobis (proh dolor) adeo præpropere ſurripuerunt, adhuc in vivis eßet, aliquid cultioris ingenij proculdubio de his meditatus fuißet, uti || et antea Cometographica noſtra melliflua oda ornavit. 140r †

Retulit mihi huc reverſus TENGNAGLIUS noſter te admodum in votis habere, ut ad vos in Bataviam tranſmigrem, quod tuo erga nos amori acceptum fero, quemadmodum etiam illuſtriß. principis MAURITIJ et Ordinum deſideria et erga me favorem non obſcure hac in parte intellexi, ut de Anglicanis nihil addam. Et ſane non abhorreret animus ab ea loci mutatione, cum ſemper mihi plus arriſerint Batavorum ſolertia ingenia quam Germanorum. Verum te celare non poßum, interea dum hîc in finibus Germaniæ et Daniæ ultra Annum moror, quo Noſtratibus rem rectius diſpiciendi ſatis relinquerem temporis, Patriæ, cui multum debemus, adhuc ſtudens, Sacræ Cæſareæ Maieſtati relatione quorundam e præcipuis in Aula, me hîc hærere innotuiße. Quare ipſius Maieſtas per Amplißimum Dominum RUDOLPHUM CORRADUCIUM Imperij Procancellarium, intermediante etiam Domino Doctore THADDÆO HAGGECIO veteri Amicitia mihi iunctißimo, Pragam me evocari mandavit, ſpem non dubiam facientibus ijs, Cæſaream Maieſtatem, ſi acceßero, me meaque ſtudia clementißimo favore proſecuturam et promoturam. Qua de re iam aliquot hac æſtate inde ſimilia inſinuantes accepi literas. Commendavit inſuper Serenißimus Colonienſis Elector, cui Cæſar multum tribuit, illi me meaque omnia de meliori (ut aiunt) notâ, exquiſito erga me favore refertis ad ipſius Cæſaream Maieſtatem propria manu hoc nomine perſcriptis literis; tum quoque alijs ad Magnificum Dominum BARVITIUM intimum Cæſaris Conſiliarium et Secretarium ſupremum. Dedit quoque idem Colonienſis tam ad Dominum HEINRICUM RANZOVIUM, Affinem et hoſpitem meum charißimum, quam me peculiares literas, quibus profectionem hanc non infrugiferam futuram perſuadet. Quin et, ſi præter omnem ſuam expectationem non ſucceßerit, ut Cæſar mea ſtudia benigne et liberaliter fovere ſuſtentareque velit, ſe idipſum ſuis ſumtibus haud invite effecturum ſponte pollicitus eſt. Quare hæc media ita commode oblata, præſertim apud Imperatorem ſummum Imperij Caput (cum et Aſtronomiam univerſaliter conſtituere et ſtabilire ſatagam) experiunda ante omnia cenſeo. Conſtitui itaque primo quoque tempore

tempore Pragam proficiſci, quo Cæſaris clementißimam voluntatem humillime cognoſcam. Quod ſi omnia votis noſtris minus iſtinc reſponderint, tunc demum de alijs ſedibus eligendis certi quid ſtatuam, et aut ad vos vel etiam Anglos tranſibo, aut potius ad Regem Galliarum, quem ſcio me et mea ſtudia liberalißime excepturum eorundemque conſervationem in eo Regno munifice perpetuaturum, et forte veteri Hiſpaniarum Regi ALFONSO hac in parte, quantum commode ibi res ferunt, non ceßurum; quicquid erit, cœlum et Urania, quæ omnes terras includunt, ab omnibus terris non excludentur, utut Dania noſtra tam ſublimibus ſacris quorundam inſcitia et malevolentia non ſatis attenderit. Significabo datâ oportunitate per literas, quomodo iter hoc in Bohemiam ſucceßerit, ut hinc, quid facto opus ſit, prævidere et æſtimare queas. Sed deſino te pluribus detinere. Tuum eſt hanc prolixitatem, quam ſublimis tui ingenij veneratio, et materiæ, de qua agimus, præſtantia, tuaque in me benevolentia extorſit, boni conſulere. Vale Vir Illuſtris et Magne ac Reipub. Literariæ diu ac feliciter vive. Dabantur Wandeſburgo ex Arce Ranzoviana prope Hamburgum die 23. Auguſti ſt. vet. Anni Chriſtiani vulgaris 1598.

Tuæ Illuſtriß. Amplitud. ſtudioſiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

2v

NOBILISSIMO ET VIRTUTE AC ERUDITIONE VIRO INPRIMIS CONSPICUO OLIGERO ROSÆKRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGVINEO, AFFINI, ET AMICO SUO INTEGERRIMO.

1r S. P.



CHARISSIME OLIGERE, ſcripſi tibi ſemel atque iterum; nihil tamen adhuc reſponſi accepi. Quod nihilominus occupationibus propter nuptias tuas tribuo. Expectavit te amanuenſis meus Hafniæ per triduum, ſed cum interea pro ut conſtitueras, non accederes, forte vento præpeditus, is noluit diuturniores iſthic moras nectere, ſciens, te facile per alium Hafnia Lubecam verſus literas poße dirigere. At cum ne hoc quidem factum ſit, rogo, velis mihi nunc abſque diuturniore procraſtinatione ad ſingula, quæ priores meæ literæ continebant, reſpondere, et eas Lubecam mittere, ſi expeditior non datur ratio. Ni-
1v hil || iam adeo remoratur iter meum ac currus, quem promiſiſti, quem ſcio Arhuſiæ paratum navem expectare, ut Lubecam tranſvehatur. Quod et Scotus ille (licet et mihi id promiſerit) et quidam alij neglexerunt,

erunt, cum nemo in tua abſentia adeßet, qui negotium ſerio urgeret. Fac, ut eum quam citißime Lubecæ habeam, vel ſaltem indica, cur id fieri nequeat, ne fruſtra illum diutius expectem, ſed potius de alio mihi provideam. Inſtat enim hyems, nec peregrinationem diutius differre commodum eſt. Quæ Colonienſis mea de cauſa Imperatori ſcripſit, puto te accepiße. Quin et illuſtrißimus Dux || Megapolenſis ULDARI- 2r
CUS pariter ad Imperatorem meo nomine commendatitias dedit, quarum hîc Exemplum habes. Quorſum eæ mihi uſui eße poßint, facile intelligis. Serva id tibi ſoli; neque niſi fidelibus amicis (ſi qui ſunt) inſpiciendum concede; uti nec priora. Addidi alterum exemplar verſuum BRASCHIJ Poëtæ Roſtochienſis, quod rectius eſt caſtigatum atque reviſum. Cupio mihi remitti Carmen Cramerianum, quod tamen lima indiget; et de ſingulis alias, quorum mea intereße putaveris, admoneri, tum quoque de libris, an Regi oblati ſint, quidque reſponderit, et an tibi poſtea ceßerint nec || ne. Plura nunc non vacat. Sed has ſaltem ad 2v
te deproperare lubuit, nactus tam commodam opportunitatem per hunc Studioſum Cimbrum hac ad vos tranſeuntem. Vale, ſalutata a me tua matre et coniuge, mea nepte, quam diligentißime. Raptim Wandeſburgo 5. Septembris Anno 1598.

Tuus TYCHO BRAHE.
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TAM NATALIUM SPLENDORE QUAM PROPRIA VIRTUTE, PRÆEMINENTI DOCTRINA VIRO INPRIMIS CLARO OLIGERO ROSÆKRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGUINEO, AFFINI ET AMICO DESIDERATISSIMO. 6v

S. P. 1r



UM ante biduum per Studioſum Danum, qui ſe ea loca, ubi in Cimbria habitas, tranſiturum pollicitus eſt, quædam ad te deproperaßem, accidit ut heri ſero eas, quas Hafniæ antepenultimo Auguſti ad me dederas, acceperim. Quare ſtatim mißo Hamburgum curſore meo, an Studioſus ille adhuc ibi hæreret, inquiri iußi. Quem cum hodie primum ante meridiem iſthinc diſceßurum reſcivißem, has reſponſionis loco iterum feſtinanter exaro. Si alias ad me ante menſem circiter dediſti literas, quam eæ erant, quibus ultimo reſcriptum eſt, ſcias me illas non recepiße. Scribis nunc te ſcire, me currum promißum accepiße. At unde hoc? || Hafnia enim tuæ datæ ſunt, et meus, qui 1v
paulo ante apud te erat, amanuenſis, indicabat eum ne Lubecam quidem

† dem nedum huc allatum eße. Quod et literæ meæ inſinuabant. Rectius itaque ſcias, me eum non accepiße. Et nihil fere eſt, quod nunc adeo iter meum remoretur, atque hoc ipſum. Si Lubecam venißet, actutum me certiorem reddidißet de eo IOACHIMUS BUCH, aliquoties hoc nomine a me per literas admonitus. Si vis, ut eum obtineam, fac ut id quam citißime fiat. Cæteroquin Hamburgi alium coëmere neceße habeo. Scio tamen per te non ſtetiße, quod res hæc tam lente procedat. Et [2r] gratias habeo pro hoc erga me officio maximas, ‖ relaturus per opportunitatem. De libris, cur non oblati ſint, prolixe dißeris. At eiuſmodi argumenta apud me pondus non inveniunt, imo ne ſexcenta his graviora, utpote qui adverſariorum et calumniatorum perverſas oblocutiones non ita ponderem, ut tu vel alij iſthic ſub alis eorum depreßi, ſed flocci faciam. Libertati enim me aßerui, quam tuebor. Cum hîc eßes, aliter ſentiebas et ſponte in te recepiſti, quod libros [Regi] in manus tradere velles, imo et quædam alia inculcare de reſcriptis ad me [Cancellarij] literis, ipſo forte [Rege] inſcio. Tunc omnia placebant, [2v] adeo ut [Regi] quædam ſcribenda relegeris et approbaveris; ‖ quæ tamen nunc volens omiſi, ne, poſtquam ſemel inclemens reſponſum ad Roſtochio ſcriptas accepißem, ulterius ſupplex inſimuler. At quorſum nunc vetus illa et avita conſtantia! An poſtquam in Daniam redijſti, Cœlum ruit! o pavidæ mentes! Miſeret ſane me Patriæ quondam meæ, quod nemo ferme in ea ſit (uti audio) qui verum iuſtumque ingenue profiteri audeat, imo ne quidem de his mußitare. Quo hæc vergant, tandem exitus monſtrabit. Sed utinam non nimis ſero tunc ſapiatis atque animum reſumatis! Non putarim, te Carminis illius, quod Aſtronomiæ noſtræ mechanicæ præfixum eſt, pænitere atque ob id libros ip- [3r] ſummet exhibere ‖ tergiverſari. Neque enim tibi incommodare poterit, quod communiter uſu receptum eſt, nempe in Zoilos malevolos et inſcios talia libris attexere; et ipſemet, cum præſens eßes, ſciebas, quomodo per alios (ſi qui oblatrarant) excuſares. Quicquid id eſt, cum mei non ſit moris, ea, quæ ſemel deliberato conſtituta ſunt, retractare, ſtat etiamnum, ut et ante, ſententia, libros illos [Regi] ipſi in manus eße tradendos, quocunque tandem vultu eos accipiat, et quomodocunque a mei malevolis et oſoribus id vertetur aut pervertetur. Altiora tracto, quam ut tam humiles cenſuras ſuſcipiam. Optarem tamen id per te [3v] ipſum fieri, ea ſaltem de cauſa, ut tibi, non alijs, cederent libri ‖ illi, quemadmodum inter nos ventilatum eſt. Sin vero id fieri nequeat, offerat eos Affinis meus OLAUS ROSENSPAR, qui et literas meas tradidit, infrugiferas et perverſe exceptas; ut ſint libri hi quaſi earum Corollarium et taciti teſtes, me non ignorare, quam parvam habeat proportionem [Dania] ad totam Terræ ſuperficiem; utpote quæ apice minimi digiti in Globo Terreſtri bicubitali tota tegi poßit. Et quid de

immenſo

immenſo Cœlo ſentiendum, quod animo volvimus, quod mente com-
prehendimus et ſuperamus? O humiles curæ! Nihil peius me habet,
quam quod non carmina quædam ijſdem libris prænotarim, quæ meos
pungerent calumniatores, || ad ſimilitudinem eorum, quæ alijs qui- 4r
buſdam Exemplaribus Viris Principibus tranſmißis præpoſui. Nam,
ut ſcias, Electori Colonienſi, Principi Uraniæ MAURITIO, Duci Me-
gapolitano ULDARICO Avo Regis, et Duci ADOLPHO Holſatiæ,
Affini eius (ut de SCALIGERO non dicam intelligentiore horum æſti-
matore) libri hi additis ijſdem, quos tibi præſcriptos miſi, verſibus, com-
municati ſunt. Num et illi hinc ſtatuent, me ſibi ſupplicem fieri? Num
inde quis ratiocinabitur, me pænitudine duci, quod Cæſari eos dedi-
carim, cui tamen necdum oblati ſunt, cum ipſemet hoc efficere con-
ſtituerim? quaſi non moris ſit, libros uni Regi vel Principi dedicatos
alijs || etiam dono dare. Neque ſane unquam mihi in mentem venit, 4v
quidpiam operum meorum, etiamſi in Dania manſißem, [Regi] nun-
cupare, cum ſciam eum ἄμουσον eße et literas averſari, imo forte nec
cuiquam alij, cum librorum dedicatio adeo uſitata illiberale quid et
mendicitatem quandam præ ſe ferat, niſi id ad pares fiat, atque eorum,
quæ iſthic tractantur, gnaros. Nam quod Landtgravio primum Epi-
ſtolarum Tomum inſcripſi, ut Patris memoriam et diutinam mecum
amicitiam recolerem, id factum eſt, utque plus fidei illæ Epiſtolæ me-
rerentur, quod nihil in ijs eßet ſuppoſititium. Nec ego quidpiam inde
reportavi, ne quidem gratiarum actionem, || quamvis bis vel ter idem 5r
Princeps mihi poſtea ſcripſerit. Quod tamen neutiquam curo, cum ad
tam vilia non reſpiciam. Sed de his plus ſatis, et forte nimium. Tute
facile, quid tibi faciendum ſit, in his et alijs ſtatues. Si nolit ROSEN-
SPARRIUS, offerat RAMELIUS. Scurrilem iſtum librum, quem te re-
mittere ais, non recepi. Fac ut eum mature obtineam. Conſtitui enim
famoſum ipſum ſcriptorem Pragæ cum Cæſaris venia ſecundum Ius
tractari curare; nec aliud Exemplar in promptu eſt, unde accuſationum
capita depromam. Nec ſi eßet, ulterius relegere vacat, aut annotationes
marginales, pro ut ibi factum, aßignari facere.

Apud BŒKELIUM iterum agam in tua cauſa || quod potero. Vix 5v
tamen præter verba quidpiam impetrabo. Quid tandem factum hîc
fuerit, poſtmodum ſignificabo. Si Sophiam prævalere Philoſophiæ non
cenſes, ſenties. Utra autem Philoſophia præferenda, Platonicane an
Ariſtotelica, tecum non diſputo. Inexhauſti ſunt naturæ abyßi. Inde
veritatem petamus, non ex argutis diſceptationibus, quibus ea ſæpius
amittitur quam recuperatur. An verſus et Epigrammata, quæ miſi, ac-
ceperis, non innuis, et iam etiam altum ſilentium de reſponſione Daniæ
ad Germaniam, et de Commentarijs in literas, quas ſcis, ſponte polli-
citis et pluribus eiuſmodi. Exiſtimarim illud Horatianum || etiam apud † 6r
te

te locum inventurum, quamvis in aliam ſententiam detortum: *Cœlum non animum mutat, qui trans mare currit.* Sed plura non addo. Neque enim plura vacat. Inſtat meridies, abitum parat Nuncius, animus eſt impatiens. Tu itaque cum utraque tua SOPHIA quam optime vale. Et, ſi lubet, actutum reſcribe, mißis Lubecam literis, quæ me poſtea, ſive hîc adſim ſive non, facile invenient. Saluta etiam matrem tuam ex me officioſe, et CRAGIUM noſtrum, ſi forte apud te eſt, de quo tamen ambigo. Nam cum Iutus Iuto quidpiam ſpoponderit, idem reputo, ac ſi augur auguri. Iterum quam felicißime valete. Raptim Wandeſburgo 9. Septembris Anno 1598.

Tuus ex aße
TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

2r NATALIUM SPLENDORE ÆQUE AC PROPRIA VIRTUTE AC ERUDITIONE INPRIMIS CONSPICUO VIRO DOMINO OLIGERO ROSÆKRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGVINEO, AFFINI ET AMICO INTEGERRIMO.

1r VIX octiduum elapſum eſt, Nobilißime et Charißime OLIGERE, ex quo per Studioſum quendam NICOLAUM ALBINUM nomine ad te de rerum mearum ſtatu perſcripſi, nunc vero, cum nihil addubitem, quin eæ literæ tuto ad te perlatæ ſint, tamen cum inopinata ſe hæc occaſio offerret per Nobilißimum Virum FRANCISCUM RANZOVIUM, qui iam e Belgio redux rurſus iter iſthuc parabat, denuo ad te perſcribendum ratus ſum, quo de curru, quem me accepiße innueras, te denuo admonerem, ut eum actutum huc procurares, ‖
1v quippe qui maxima ex parte iter meum remoraretur. Lubecam enim eum necdum allatum certo mihi conſtat. Cæteroquin non intermißet IOACHIMUS BUCK (pro ut ſemel atque iterum ab ipſo expetij) quin te per literas ilico de eo fecißet certiorem. Rogo itaque etiam atque etiam, ne longiores hac in re moræ nectantur, ſed ut ſequenti ad ſum-
† mum hebdomada huc ad me perferatur *(Uden ſaa er, att I vilde holde Jytſke Louff, det er at beholde hvad mand loffuer, ſaa at en anden faar intet deraff. Da maatte man endda i det mindſte lade en vide det, ſaa man ſkulle ikke vente det thill forgieffues);* nam diutius præſtolari non poßum. Sed quamvis tum iter ingreßus fuero, tamen non ambigo, quin is nihilo ſerius ad me perveniat, pro ut, antequam diſceßero, diſponam.

Plura iam non vacat, cum de cæteris ‖ in prioribus ſatis ſuperque 2r
tuis reſponſum exiſtimem.

Vale mi OLIGERE quam diutißime cum matre tua et coniuge SOPHIA a me meiſque diligenter ſalutatus. Raptim Hamburgi die 14. Septembris Anno 1598.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

NOBILISSIMO TAM NATALIUM SPLEN- 4v
DORE QUAM PROPRIA VIRTUTE VIRO DOMINO OLIGERO ROSÆKRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGVINEO, AFFINI ET AMICO SUO DESIDERATISSIMO.

S. P. 1r



AC ipſa hora domum rediens a quodam Holſato Nobili in vicinia habitante, reperi hîc tuas literas, Charißime Domine OLIGERE, et nunc primum ex ijs certior redditus ſum, currum diu promißum Lubecam veniße, a Factore autem meo eundem Oldeſloviam, pro ut mandaram, tranſlatum percepi, unde craſtina die, volente Deo, eundem huc adferri curabo. Mora autem nimia, quæ interceßit, undecunque tandem orta, et tot fruſtra ea de re a me perſcriptæ literæ tam in Daniam quam Lubecam, effecerunt, ut ante triduum alium
mihi præter eum, quem de novo confieri curavi, ‖ Hamburgi com- 1v
pararem pretio 50 Ioachimicorum. Ago nihilominus tibi gratias pro tua in me benevola voluntate quam maximas, quod me hoc donare volueris, relaturus per opportunitatem. Et licet illum necdum viderim, ſpero nihilominus eiuſmodi eße, ut uſui meo inſervire queat. Si quid deſideratur, Hamburgi facile ſupplebitur. Moram illam plus quam Iuticam, ſi navi cum lignis combuſtioni idoneis Lubecam tranſmißa meo naulo, pro ut iam dudum pollicitus es, redimere volueris, et familiæ meæ muliebri, quam diſcedens hîc relinquo, pro arcendo hîc
frigore ita mature proſpicere, ‖ id quicquid eſt, promptius expiabis. 2r
Non poßum ex hiſce tuis, quæ 7. Auguſti Hafnia datæ ſunt, colligere, te omnes meas accepiße. Adeo parce reſcribis, nec ſingula a me mota attingis. Quin et ſemel atque iterum ad te ſcripſi, ex quo in Cimbriam te redijße coniectabar. Cuperem, ut ad ſingulas prompte reſponderes, nec verborum aut characterum ita tenax eßes, ut nunc uxorius alijs forte quam antea diſtrahare negocijs. Si quid ſcripſeris, mitte ſaltem hîc Wandeſburgum, ſive per Lubecam, ſive alia via, licet fieri poßit,
ut

ut tunc hîc præſto non ſim. Conſtitui enim, favente Divina Clementia,
2v poſt non adeo multos dies iter || propoſitum ingredi; præſertim cum
iam currus et cætera (tuæ tamen literæ me facile invenient) requiſita
ſufficienter in promptu ſint.

Redijt ante quatriduum D. D. VITUS VINSHEMIUS Witteberga,
ubi diu abfuerat, et attulit ſecum faſciculum quendam libellorum de
LUTHERI hiſtoria cum duabus ad te Epiſtolis, quas nunc ad te dirigo.
Aderant 9 exemplaria eiuſdem libelli, quorum octo tibi ſimul mitto,
nonum mihi reſervo, ut per otium videam, quæ contineat, et an dißona
ſint ab ijs, quæ me olim, cum Lipſiæ ſtuderem (ab alio authore, cuius
3r nomen nunc non || ſuccurrit, profecta) legiße memini. Variant enim in
talibus ſcriptores, prout affectibus indulgent.

De cæteris, quæ hæ ultimæ tuæ continent, nihil addo. Nec enim
moror, qualia apud vos fiant connubia; et de eo, quem tangis, iam diu
antea ſcivi, quantum fidendum ei vel ſecus, ut non opus ſit ex hac no-
vitia affinitate me cautiorem reddi. Invaletudinem alterius non miror;
imo potius miror, eum valere poße, qui alios multis modis invalentes
reddidit. Viderit, ne ea citius illi eveniant, quam putat, quæ iam antea
prædixi prædicoque. Sunt, qui ex me audiverunt. Quid BŒKELIUS
3v reſponderit in tuo negocio || de libris non præſtitis, ex adiuncta ſcheda
vides. Miſi ad eum CLAUDIUM MULIUM cum M. CHRISTIERNO
SEVERINI, qui diu mihi fuit domeſticus. Nihil ab eo ferme reporta-
mus præter moroſa verba. Si rem vis iure decidi, fiat id per alios. Mihi
ob iter inſtans id non eſt commodum. Sed ſuaderem potius, ut id omit-
teres, et ad Doctorem VITUM VINSHEMIUM, qui tui ſtudioſus ha-
beri vult, ſerio ſcriberes, ut is (ſiquidem pecuniam alteri, priuſquam
volebas, tradidit) efficeret et urgeret, ut quæ tibi revera debentur, ob-
tineas. Miniteris etiam aliquantulum, te actionem contra eum motu-
4r rum || iuridicam, ſi per ſe id, quod æquum eſt, non fecerit. Sic VINS-
HEMIUS metuens, quod is huic actioni miſceri debeat (uti eſt per ſe
meticuloſus) eo validius omnem movebit lapidem, ut tibi tua, quæ
emiſti, niſi quatenus quædam eorum pro lubitu remittere voles, ce-
dant. Conſultißimum iudicarem, ut, ſiquidem BŒKELIUS ſponte ob-
tulerit reſolutionem pecuniarum, modo libros reciperet, eos illi prima
oportunitate remitteres. Satis enim alias et habes et habere poteris
librorum talium. Ego in hoc negocio quod potui feci. Quod autem ex-
pectationi utriuſque noſtrum non reſpondeat eventus, non eſt, quod
mihi imputes, ſed potius BŒKELIJ tenacitati, ne quid dicam amplius.
Vix poßum in proprijs rebus obtinere, ut Hamburgenſes id, quod ius
æquumque poſtulat, libera voluntate efficiant. Tanta eſt iſtorum ho-
4v minum ſordities et || avaritia inſatiabilis, a quibus tamen me poſt ex-
iguum tempus liberatum iri ſpero.

Tu autem mi optime OLIGERE, diu cum nupera coniuge mea nepte a me diligenter ſalutata ac omnibus tuis quam felicißime vale; et ſi vacat (debet autem vacare) brevi reſcribe. Raptim Wandeſburgo 25. Septembris 1598.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in codice Pragensi Archiv. Univ. 62 B 6; cf. apographum in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

DAVID CHYTRÆUS AD TYCHONEM BRAHE.

S. P. 22r



OBILIS et Magnifice Domine Patrone colende! Ὅσσον † ἔαρ χειμῶνος, ὅσον μᾶλον Βραβύλοιο ἄδιον, tanto mihi gratior et dulcior tua Epiſtola multis alijs eodem tempore allatis fuit, quam a ſummo et laudatißimo Mathematum artifice, ac vere (ut Summus et Clarißimus ille Princeps ad Cæſaream M^{tem} de te teſtatur) patre Aſtronomorum huius Seculi et unico huius laudatißimæ ſcientiæ inſtauratore ſcriptam, ſingulari mihi et liberis meis honori et ornamento eße iudico. Periucunda etiam, adeo benigna et humanißima voluntatis tuæ ſignificatio hac in parte fuit, quod exiguum et tenue obſervantiæ erga te huius Academiæ officium, tibi Roſtochium ingreßo exhibitum, quod ſine ſcelere prætermitti non poterat, mentione literarum tuarum non indignum eße cenſes, tibique non ingratum nec iniucundum accidiße; τούς τε ἀγαθοὺς καὶ ἀντὶ μικρῶν οἴδασθαι χάριν oſtendis. Ad Eruditos vero et Claros viros ſcribens, cum amicorum omnia communia ſint, maxime duxi communes amicorum amicos eße oportere. Ideoque de amici præſtantißimi Viri ſtatu præſenti, cuius cognoſcendi deſiderio teneri illos non dubitabam, ſignificandum exiſtimavi, præſertim cum eruditißimæ illius et ſublimi ingenio tuo accurate elaboratæ epiſtolæ (ad quendam Midam his ſtudijs iniquiorem) exemplum ideo te mihi coram dediße intelligerem, ut cum pluribus etiam alijs amicis communicarem. Quare non ſolum IACOBO MONAVIO, verum PAULO SCHEDIO MELISSO, etiam Poëtarum noſtræ ætatis Principi, et IOHANNI POSTHIO, utriuſque Artis Apollineæ antiſtiti, et ABRAHAMO ORTELIO Geographo, quem proximus Menſis Iunius Terris eripuit, et aliquot alijs minus celebribus impertivi legendam; qui ‖ animo et voce grata officium meum vicißim prædicarunt. 22v
Nobilißimo autem Heroi HENRICO RANZOVIO, ſapientia et virtute præſtanti, de hac munificentia gratulor, quod cæteris laudibus amplißimis hanc quoque addidit, ut ATLANTI Herculeis laboribus

axem

† axem ſtellis ardentibus aptum ſuſtinenti hoſpitium ex Patria diſcedenti præberet, cuius memoriam URANIA ad omnem poſteritatem grata recolet et diuturnius quam ullæ Pyramides aut Obeliſci propagatam celebrabit. Quæ URANIA

† *Regales animos primum dignata movere,*
Proxima tangentes Cœlo faſtigia rerum,

nunc etiam inviɛtißimi Imperatoris RUDOLPHI animum fleɛtit, ut patrem Aſtronomorum huius ſeculi et unicum laudatißimæ huius ſcientiæ inſtauratorem, in patria Centauris quibuſdam ac Midis faſtiditum, ad ſe invitet et Regiam hanc ac cœleſtem ſapientiam Cæſareo ſuo Patrocinio et ſumptu excoli et in ſublimi illa arce æthereum artem conſervari et longe lateque in ſuo Imperio ſpargi cupiat, ſicut primi CÆSARIS IULIJ, confuſam eo tempore Anni Romani rationem reſtituere molientis, animum movit, ut SOSIGENEM Mathematicum in Ægypti regno minus honorifice a quibuſdam habitum, Romam ad ſe traduceret, ut ſublimem illam ac Cœleſtem ſiderum doctrinam in ſublimi ſummi Imperatoris terrarum theatro, maiori cum ſua gloria et
† Reip. fructu propagaret. Proficiſcere igitur Deo duce et auſpice CHRISTO, quo te Auguſtißimus Imperator et tua τύχη vocat et viri Excellentißimi ac optimi D. D. THADDÆI HAGGÆCIJ, ſtudiorum tuorum ſocij, et amici coniunctißimi, cum quo annis abhinc triginta Viennæ mihi etiam neceßitudo interceßit, conſuetudine et familiaritate iucundißima, et Reipublicæ profutura, felix fruere; et opera, tot annorum vigilijs et curis elaborata, feliciter pertexe. Nec prolixiore Epiſtola
23r nunc te ad iter accinctum remorari volo, ‖ ſed Deum ardentibus votis precor, ut te incolumem ac florentem optimis ſtudijs ſervet et curſum huius viæ et vitæ totius, ad Dei gloriam et Reipublicæ ſalutem gubernet. Poëmata in tui gratiam ſcripta ad Daniam, et Germaniæ de tali hoſpite lætantis, et BRASCHIJ noſtri RUDOLPHO Cæſari et tibi de tuo adventu gratulantis, inprimis vero Epigramma, quod reſtitutioni Siderum, Duci ULRICO inſcriptæ, præmiſiſti, ſumma cum voluptate legi ac coniunctim ea typis deſcripta extare et in eruditorum manibus verſari, toto pectore opto. Bene et feliciter vale. Rhodopoli Nonis Octobris Anno 1598.

M[tiam] T. reverenter colens
DAVID CHYTRÆUS.

[Ex

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

IOH. GEORG GŒDELMANN AD
TYCHONEM BRAHE.



AGNIFICE Domine TYCHO. Gunſtiger Herr, vnndt vornehmer freundt, Ich habe alhier zu Prag mit freudenn vernommen, daß Ihr, Gottlob, friſch vnndt geſundt zu Dreßdenn ankommen, vnndt weil Ihr daneben zu wiſſen begeret, ob Ihr euch zu der Kay. Maytt. begebenn, oder euch in der nehe, wegen der eingefallenen ſterbens leufft, derowegen die Kay. Maytt. von Prag hinweg getzogenn, aufhaltenn ſollet, ſo kann ich euch darauf nicht bergenn, daß obwoll die Kay. Maytt. ein großes verlangenn (alß die in Aſtronomiſchen Sachen, gleich wie ihr Großvater *CAROLUS V* hoch auch erfahrenn) nach dem Herrn, alß nach dem vornemſten *Mathematico totius Mundi,* deſſen Nomen auch vnſterblichen ſein wirdt, hatt, auch den Herrn nit weit vonn ſich habenn will, dieweil aber ihr Maytt. wegen der vergifften Seuchenn, welche faſt alle örter im Königreich Böheim inficiret, bey ſich noch nicht entſchloſſen, wo ſie Ihr Hofflager anſtellenn wollenn, alß wirdt der Herr biß auff Ihr Maytt. endtliche weitere anordnung, zu Dreßden, oder Wittemberg, mitlerweil ſich auffhaltenn. Thue hiemit vnß Göttlicher Almacht beuehlenn. Geben Prag, 12. *Novembris. Anno* 98. Deß Herrn dienſtvilliger

JOHAN GEORG GÖDELMAN. D.

[E codice Florentino Bibl. nat. in codicum Galileianorum tomo 27 (*Accademia del Cimento* part. 3 vol. 12)] †

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. 4v
FERDINANDO DE MEDICES, MAGNO DUCI HETRURIÆ, FLORENTIÆ, SENARUM, PISARUM, DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.



ERENISSIME et Illuſtrißime Princeps, Domine Clementißime. 3r Cum hic Adoleſcens genere Nobilis et liberalibus diſciplinis præclare imbutus, qui mihi per aliquot Annos fuit domeſticus, in Italiam nunc cogitet, ſitque Tuæ Serenitati ab Amplißimo et Nobilißimo Domino HENRICO RANZOVIO Produce Cimbrico Affini meo honorando, diligenter commendatus, non intermittendum duxi, quin et ego, licet Serenitati Tuæ ignotus, idem ſubmiße præſtarem, præſertim ex quo eius mores, integritas et docile ingenium mihi ex

ex diutina conſuetudine quam optime perſpecta ſint. Quocirca Serenitatem Tuam ſubmiße rogatam habeo, ut eum vel meo etiam nomine, ſibi de meliori (ut aiunt) nota commendatum habeat. Tradidi illi duos libros, ſimul ut commodius veherentur colligatos, Serenitati Tuæ ex me ſubmiße offerendos: Quorum contenta Tituli et Præfationes expedient: Quos ut clementißimo vultu ſuſcipere, meque ſuo favore et benevolentia complecti non dedignetur, qua poßum ſubmißione oro. Plura de me meiſque ſtudijs, atque ad Cæſaream Maieſtatem e Dania Patria mea migratione ab eodem harum exhibitore (ſi cognoſcere non
3v degravetur) clementißime percipiet. Quocirca Serenitatem || Tuam gravißimis Reipub. gubernandæ negocijs occupatam ulterius remorari deſino. Deus Optimus maximus eam quam diutißime conſervet florentem et incolumem.

Dabantur Dreſdæ Miſniæ die 8 Novembris Anni 1598.

Serenitati Tuæ
Submiße addictiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

POSTSCRIPTA THADDÆI HAGECIJ AD TYCHONEM BRAHE.

3r CUM haſce ad te literas obſignaßem, daturus eas tuo tabellario, miſi adhuc meum puerum hodie, qui eſt 1. Decembr. cum hacce ſchedula ad D. CORRADUCIUM, quam ad te mitto, ex qua intelliges voluntatem Cæſaris. Eſt ſigillum Dni CORRADUCIJ et manus. Multum gaviſus ſum, me tandem ante hunc meum abitum hoc reſponſum et reſolutionem Cæſaris accepiße. Hiſce quod addam amplius non eſt neceße.

EXEMPLUM LITERARUM DOMINI D. THADEI AD AMPLISSIMUM PROCANCELLARIUM IMPERIJ RUDOLPHUM CORRADUCIUM.

Magce D. et Patrone obſervandiß. Hucuſque noſter Dominus TYCHO omnia egit ex conſilio tuæ Magtiæ et voluntate clementi Cæſaris.
3v Venit cum uxore, liberis et familia || ac 12 equis longo et difficili itinere, ſumptibus magnis, Dreſdam uſque. Et nulli alij Principi, nulli nationi ſuam operam voluit devovere niſi uni Cæſari. Rogat igitur, et ego intercedo, efficere velit, ut reſponſum a Cæſare accipiat et negotia ſua dirigere ſtabilireque poßit, ac ne ita dubius cum magno ſuarum rerum diſpendio hæreat. Literas meas ad BARVITIUM reverenter peto prima occaſione

occaſione mitti curet, eumque etiam ſua ſchedula commonefaciat, ut Cæſari negotium proponat, et ultimam reſolutionem Dreſdam mitti curet. Non pœnitebit, ſcio, Domine, huius operæ, et futurus eſt D. TYCHO, ubi de facie aliquando innotuerit, longe gratißimus. ‖ B. v. 4r
Ex ædibus noſtris 1. Decembris Anno 1598.

T. M. promptus ad officia
THADEUS.

RUDOLPHUS CORRADUCIUS AD THADDÆUM HAGECIUM.

Quæ D. BARVITIUS iußu Cæſaris de Dno TYCHONE noſtro ad me reſcripſit, hæc ſunt: »*De TYCHONIS adventu Cæſar perlibenter intellexit; ut Dreſdæ vel Pragæ vel alibi in vicinia tantiſper, donec aula certo in loco recolligatur, ſubſiſtat, cupit; ubi deinde ille commode et opportune collocari poßit, benigne cogitat.*« Hactenus Dnus BARVITIUS, quæ Magtiæ tuæ ad haſce ſuas ſignificanda duxi. Interim rogo, ut Dnum TYCHONEM meis verbis quam officioſißime ſalutet meamque operam eidem polliceatur meque, quod ei ob ingentes meas occupationes non ſcribo, diligentißime excuſet.

RUDOLPHUS CORRADUCIUS,
manu propria.

[E codice Bononiensi Archivi *Malvezzi dei Medici*] †

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO 2v
VIRO, DOMINO IOHANNI ANTONIO MAGINO MATHEMATUM IN CELEBRI BONONIENSIUM GYMNASIO PROFESSORI EXIMIO ET AMICO SUO INPRIMIS DILECTO.

Clarißime et Excellentißime Vir. 1r



UM plures iam elapſi ſint anni, atque uti exiſtimo ad minimum quinque, ex quo quidam inter meos domeſticos ſtudioſos eruditum tuum librum quem Tabulam Tetragonicam vocas, mihique dedicaſti, Hafnia e nundinis Francofurtenſibus iſtuc per bibliopolam noſtratem allatum, Uraniburgum ſecum attulerit, idque uno vel altero † anno poſtquam a te evulgatus eßet (neque enim ullum a teipſo accepi exemplar, ſive nullum miſeris, ſive quod præ nimia viarum intercapedine interciderit) ego vero poſtquam illud exemplum, quod ſtudioſus meus aſportavit, inſpexißem et diligentius perluſtraßem, mihi admodum placuit, utut nonnulla in eo ſint, in quibus tibiipſi forte non

ſatis

ſatis pro hac prima conceptione ſatiſfeceris, nec in magna numerorum copia proceßus ſit ſufficienter expeditus, præterquam quod id de quo eius uſum pro me præcipue infers, circa æquationum nimirum angulos in Planetis facilius, quam per Tangentium et Secantium Tabulas inde colligendos, mihi qua ratione id fieri poßet, necdum perſpectum, ſiquidem angulos illos per ſolas numerorum προσθαφαιρέσεις, nempe additionem et ſubtractionem abſque omni multiplicatione aut diviſione minimo negocio inveſtigare liceat; quam πραγματείαν non ſaltem in omni genere triangulorum ſphæricorum, ſed et planorum magno Aſtronomici calculi compendio locum mereri nobis conſtat; laude nihilominus dignißimum cenſui et etiamnum cenſeo hunc tuum laborem in componenda illa tabula cum ſuo uſu, qui ſane late patet et multiplex eße poteſt. Quod autem non antea tibi de his reſcripſerim, factum eſt, quod diu a teipſo expectarem exemplar aliquod mihi deſtinatum, quod alicubi in itinere hærere putavi, ut reſcribendo gratus vicißim eße poßem, partim quod certum et fidelem internuncium non repererim, qui tibi tuto quippiam a me perferret.

Quæ vero et tuo et aliorum nomine in epiſtola illic præfixa rogas, videlicet ut Aſtronomiæ inſtaurationem, quam diu multumque molior, mature abſolvam et publici iuris faciam, id equidem ut ſecundum tua et multorum vota præſtarem, nihil magis ipſemet in votis habui: ſed obſtiterunt hactenus quædam, partim proprie ad artem redintegrandam ſtabiliendamque facientia, partim ex huius inferioris et terreſtris mundi tumultuaria ſcena prodeuntia, et politicis fatis obnoxia.

Prius illud tarditas circuituum ſuperiorum Planetarum, præſertim ♄^{i} cauſatur, quo minus ſufficientes acronychias obſervationes per totum circuli ambitum citius adipiſci concederetur; neque enim tres ſufficiunt ad eorum Apogæa et Eccentricitates explicandas, uti imitatione PTOLEMÆI et COPERNICI hactenus fruſtra creditum eſt, inæqualitate adhuc alia, quam eorum ferunt hypotheſes, coincidente, et Eccentricitate illa, quæ Æquanti tribuitur, non retinente eandem ad alteram proportionem, quam illi aßumunt et pro cognito præſupponunt potius quam demonſtrant; aliter enim ea ſe habet et in ſingulis variat. Taceo nunc, quantum difficultatis ingerant, quantumque temporis requirant reliqui duo inferiores Planetæ, inprimis vero vagabundus et varijs ambagibus implicitus ☿, rarißimeque apparens, cum alias circa horizontem, ubi hi duo obſervandi ut plurimum veniunt, pauca admodum concedatur aëris ſatis pura ſerenitas, ob vapores iſtic obvolantes, decliviore etiam Sphæra aliquid obſtaculi ſuggerente. Quin et ☾, utut ſingulis menſibus recurrat, non parum ſuis anfractuoſis et pluribus, quam hactenus creditum eſt, inæqualitatibus obnoxia nos torſit, donec non ex tribus ſolummodo Eclipſibus haud ſufficientibus, uti anteceßo-

res, eius motiones ſcrutaremur, ſed ſexies ternis aut pluribus eoſdem eruere, ut alia prætereantur, neceße habuerimus.

Alterum obſtaculum, quod politicum dixi, quodque per ſe ingratum, meam intentionem ſtudiumque in hac arte redintegranda alias indefeßum multifariam exagitavit turbavitque inde a defuncto laudatißimæ memoriæ Rege Danorum FRIDERICO Domino et fautore meo clementißimo, qui me meaque ſtudia, quoad vixit, clementer et benigne iuvit et promovit: in interregno octennali frigidius ijs, quæ requirebantur, proſpectis, donec tandem creato hoc novo Rege adoleſcente, qui, ſive ob ætatem iuniorem, ſive dißuadentibus, aut minus adhortantibus dynaſtis, utut alias heroico ſit animo et ingenio acri præditus, ac iudicio pro hac ætate plus quam credi poßet valens, huius ſublimis ſcientiæ in ſuo regno promotioni attendere non duxit operæpretium, ſed per Cancellarium literis a me, quod ſubſecuturum eßet, diſcrete præmonitum, mihi reſponderi permiſerit, ſibi non eße integrum in Aſtronomici exercitij Inſtrumentorumque eo pertinentium ſuſtentationem quippiam impendere, ſubtractis etiam ſucceßive, ſtatim ac coronatus eſt, ſumptibus ab optimo Parente et Regni conſiliarijs mihi conceßis et eo deputatis, non curantibus ijs qui Regi ſunt ab intimis, Senatus Conſultum mox ab obitu FRIDERICI Regis mihi in membrana impertitum, et a Primario eorum qui nunc Curiæ Magiſter eſt, ſuapte manu ſubſcriptum et ſigillo munitum, ſic quod alias || insolitum 1v eſt, exauthorari fecit. Unde factum eſt, ſupervenientibus etiam alijs moleſtationibus, ut priuſquam Aſtronomiæ, cuius tam diu tamque impenſe reædificationem in Patria molitus ſum, ruinam ibidem indecoram hiſce oculis ſpectarem, multo potius maluerim ipſam Patriam cum omnibus in ea conſanguineis et amicis derelinquere atque in Germaniam me cum Coniuge et liberis totaque mea familia, aßumpto mecum ingenti illo apparatu Aſtronomico, concedere, quod ante ſeſquialterum annum, ſi forte adhuc inſcius es, præſenti et forti animo a me factum eſt. Subſtiti tamen interea cum meis iuxta fines Daniæ et Germaniæ in arce quadam Ranzoviana prope Hamburgum ſita, quo noſtratibus rem rectius diſpiciendi, Patriæ, cui multum debemus, adhuc ſtudens, ſatis temporis relinquerem, atque eo forem excuſabilior, ſi alio me prorſus converterem. Verum cum id nihilominus incaßum fieret, et Auguſtißimus Romanorum Imperator RUDOLPHUS reſciſcens me e Dania emigraße atque ad Holſatiæ auſtraliorem oram habitare, me pro ea qua eſt erga Mathematicas artes, quas ipſemet etiam laudabiliter exercet, Clementißimo favore præditus, ad ſe in Bohemiam evocari mandavit, ſpe facta quod non fruſtra venturus eßem. Sum itaque iam nunc in itinere, et hic Dreſdæ aliquantiſper cunctor, donec mißis in aulam Cæſaris literis edocear, ubi et quando eius Maieſtas adeunda

adeunda ſit, hoc præſertim tempore, cum ob luem epidemicam paßim iſtic graßantem turbata ſint omnia, et Cæſar Praga in alium ſalubriorem locum, ubi ſolitarie agit, diſceßerit. Reſponſum eſt Cæſarem acceßum meum libenter intellexiße; ſed cum ipſemet in Bohemia vix locum inveniat, ubi a periculo contagij increbreſcentis tutus ſit, ſuadere et cupere, ut aliquamdiu hîc aut alibi in vicinia me contineam, donec remiſerint iſtic morbi populariter graßantes; interea velle ſe de commoda et opportuna ſede cogitare atque proſpicere, ubi me meaque collocet. Huic clementißimo Cæſaris reſponſo, uti par eſt, acquieſcens, conſtitui, volente ſupremo Numine, in vicinam aliquam ſuperioris Saxoniæ vel Miſniæ Academiam hiſce diebus me conferre, ut aliqua in Progymnaſmatis meis alijſque operibus typographico labore necdum plane ob eas, quæ mihi in Patria evenerunt, conturbationes abſoluta, ibi compleri procurem, donec pacatiore et ſaniore in Bohemia reſtituta degendi commoditate a Cæſare eo accedere iubear. Quod tibi indicandum duxi, optime MAGINE, ut de ſtatu mearum rerum conſcius eßes, utque ſimul ex iam commemoratis aliquatenus intelligeres, quæ et quanta Aſtronomiæ, quam intendo, inſtaurationem remorata ſint. Plura et particulariora exhibitor harum FRANCISCUS TIGNAGLIUS nomine tibi ſeorſim aperiet. Eſt ille adoleſcens genere nobilis, natione Germanus, qui mihi uſque in tertium annum fuit domeſticus, meæque e Dania migrationis comes, eſtque artibus liberalibus egregie imbutus, et Mathematicis etiam, interea dum mecum fuit, operam non contemnendam navavit, obſervationibus ſimul aßuefactus et numerorum tractationi, alias per ſe apprime ingenioſus et diſciplinis quibuſvis capeßendis idoneus, moribus inſuper integris et virtute præditus, ideoque ob tam præclaras animi dotes mihi ſemper carißimus fuit, et filij loco habitus. Hunc igitur de meliori, uti dicunt, nota tibi commendatum habeas, te etiam atque etiam rogo, quicquid in illum contuleris officij et beneficij, eum inſuper apud Illuſtres et præſtantes iſtic viros commendatione tua promovendo, id totum non tam ipſi quam mihi te præſtitiße ſcias, invenieſque me ad compenſandum perpetuo pro virili quam paratißimum. Tradidi illi librum quendam tibi ex me donandum, qui duos in ſe commodioris vectionis cauſa complectitur: prior Mechanicam Aſtronomiæ artem, prout a nobis in uſu hactenus fuit, exhibet: poſterior ſtellas fixas millenas accuratißime reſtitutas labore diutino atque ingenti, impendioque haud mediocri. Hoc habe librarium vicißim munus pro libro mihi prius inſcripto, donec plura ex meis quæ deſideras chalcographico labore penitus abſoluta fuerint. Sunt illi quædam etiam alia ad manus, quatenus in hac mea peregrinatione in promptu erant, quæ ſimul monſtrabit, et de pluribus me meaque ſtudia concernentibus te edocebit. Spero me ubi

commodius et durabilius ocium in Germania adeptus fuero, tuis et aliorum votis in Aſtronomiæ illuſtratione et locupletatione conſumanda uberius ſatiſfacturum. ‖

Inſerui priori libro circa calcem epiſtolas tuas ad me datas, cum 2r ſpacium pro ijs et Curtianis vacaret, idque certis de cauſis, præſertim ut alios ad hæc ſtudia amanda excolendaque excitarem: et licet te inconſulto hoc fecerim, tamen haud ingratum fore confido, ſiquidem tibi, ut exiſtimo, id non ſit inhonorificum. Obſervationes quas polliceris in altera Epiſtola, ſi quas interea peregiſtis, obtinere averem. Sin vero id hactenus neglectum eſt, ut in poſterum ſedulo reſarciatur et præſtetur, rogo; cedet id in artis noſtræ, veluti ſpero, emolumentum, eritque et tibi et alijs, qui hoc factitarint, laudabile. Inſtrumenta ſi conficere libuerit, liber is formam et rationem luculenter ſuppeditabit.

Plura nunc non addo, forſan in iam exaratis epiſtolæ metas exceßi, quod tamen libenter amicitiæ noſtræ et ſtudiorum communium cauſa admiſi, locis etiam quibus diſiungimur crebras interlocutiones non admittentibus, ideoque, ubi fieri poteſt, non abbreviandis. Sique plura hîc forte omißa ſcire deſideras, is, quem tibi nunc enixe commendavi adoleſcens, cum rerum mearum haud ſit ignarus, plura expediet, atque votis tuis hac in parte, uti mihi polliceor, ſatiſfaciet. Eum itaque iterum atque iterum tibi acceptum habe, et ad meliora quæque, quantum in te eſt, iſtic iuva et promove, quo aliquando, favente Numine, ad me reverſus, tuam in ſe benevolentiam merito prædicare poßit, idque erit mihi longe gratißimum. Vale.

Dabantur Dreſdæ Miſniæ, ubi eſt aula Electorum Saxoniæ, Novembris 28 ſtilo veteri. Anno etc. 1598.

Si tres Eclipſes huius anni iſtic a te vel quopiam alio obſervatæ ſunt, fac me eius denotationis participem pro meridianorum differentia hinc elicienda. Meis inſtrumentis ſic deſignatæ ſunt, ut momenta obſervata et ad medium earundem reducta, ita ſe habuerint.

A.° 1598. Feb. d. 20.	Eclipſis ☾^{æ} medium 17^{h} 58′ P. M. Vandeſburgi prope Hamburgum, defecerunt 11 digiti de ☾.
Martij d. 6.	Eclipſis ☉^{is} medium 11^{h} 5′ A. M. N. Uraniburgi in Dania. Magnitudo † Eclipſationis ibidem apparuit a parte ſuperiori intra 9 et 10 digitos.
Auguſti d. 16.	Eclipſis ☾^{æ} medium 7^{h} 42′ P. M. Vandeſburgi.

Hæc omnia tempora recte conſentiunt cum noſtra reſtitutione. Quantum vero a calculo tam Alphonſino quam Coperniceo diſcrepent, tute vide.

vide. Longitudinem Vandeſburgi præſuppono 33° 35′. Uraniburgi 36° 45′ atque eandem proxime Venetiarum.

Referet etiam idem adoleſcens quædam ad te meo nomine ſecreto, in quibus ſi mihi tu operam tuam præſtiteris, aut per alium iſtic hominem idoneum, rem longe acceptißimam præſtiteris, et ubi de tua voluntate mihi per eundem innotuerit, pluribus inſtruam, quomodo res peragenda erit, et formam præſcribam. Habeo certas cauſas cur potius in Italia quam Germania id fieri averem. Multum mea intereſt, ut hoc perficiatur, quod et levi negocio exequi licebit; impenſas lubens ſolvam inveniarque vicißim gratus. Habet exhibitor harum quædam ſecum eius negocij documenta, quæ tibi clam monſtrare et exponere
† poterit.

Tuæ Excellentiæ
Studioſißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

2v

NOBILISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO DOMINO OLIGERO ROSENKRANTZIO DE ROSENHOLM, CONSANGVINEO, AFFINI ET AMICO INTIMO, MIHIQUE CHARISSIMO.

1r

S. P.

HARISSIME OLIGERE, Amice, Conſangvinee et Affinis integerrime, de ſtatu mearum rerum cognoſcendo te eße ſollicitum, id ſic ſuadente eo, quo me proſequeris amore, et ego vicißim te, non dubito. Sic itaque brevibus habe: Wandeſburgo ſtatim a Michaëlis feſto diſcedens Pragam verſus ad Cæſarem iturus, Magdeburgi primum per octiduum ob Ducem Brunſvicenſem, tum quoque ERICUM LANGIUM ſubſtiti, poſtea Dreſdæ per menſem integrum, quo reſponſum a Cæſare, an illis temporibus, cum Praga abeßet ob luem Epidemicam, accedendus et compellandus foret, expectarem; quale vero tandem
1v receperim, ex altera pagina cognoſces. Cætera exemplum || literarum ad KRAGIUM noſtrum, quod adiunxi (neque enim nunc vacat eadem ad te repetere) edocebit. Ingreßurus eſt hac ipſa hora filius meus TYCHO cum quibuſdam comitibus iter Wandeſburgum, ut familiam meam muliebrem huc meis curribus adducat; conſtitui enim, favente Deo, hîc Wittebergæ hyemare, aut ſaltem tam diu manere, donec denuo a Cæſare in Bohemiam vocer. Plura non addo, quia pluribus otium deeſt. Tu vero, mi OLIGERE, copioſius reſcribe, et de ſingulis, quæ ſcire

mea

mea intereße noſti, affatim inſtrue, meque ſæpius, interea dum hîc ſum, tuis literis inviſe. Invenies me ad par pari || referendum minime ſegnem. 2r Habebis brevi plura carmina ad Cæſarem de me, tum quoque ad me a varijs Poëtis concinnata, quæ nunc deſcribere non licuit. Tu interim, ut Dania Germaniæ reſpondeat, effice, pro ut in te ſponte recepiſti, ſi modo Iutorum ſit pollicitis aliquando ſtare. Si ego Schanus tale quid addixißem, certe fidem meam dudum redemißem, utut fuerim non minus quam tu occupatißimus. Sed ſi adhuc promißis ſteteris, erit veniæ locus. Cum HUNNIO hîc necdum familiaritatem contraxi, pridie enim primum huc veni, ſed fiet id facile in poſterum, uti etiam cum reliquis || huius Academiæ Eruditis. POLYCARPUM decumbentem, cum 2v Dreſdæ eßem, bis inviſi, humanißime ab illo exceptus; is te ſalutari voluit. Salutem etiam tibi dicit Hoſpes meus D^nus Doctor IOHANNES IESSENIUS, qui mihi in Philippæis olim ædibus commodam habitationem pro me et meis lubenter et benevole conceßit. Vale, et brevi plura a me expecta. Sed da operam, ut prævenias. Saluta coniugem SOPHIAM Neptem meam, utque alteri SOPHIÆ prævaleat, indulge. Dabantur properanter Wittebergæ die 5. Decembris Anni 1598.

Tuus TYCHO BRAHE.

POSTSCRIPTA. 4v

IMPURUM iſtud et calumnijs ſcatens Dithmarſi iſtius ſcriptum, quod tibi inſpiciendum miſi, necdum recepi, utut in literis ultimis, quas, cum Wandeſburgi eßem, accepi, indicaveris te illud mihi remiſiße; fac igitur, ut mature habeam, neque enim eo carere poßum propter illa, quæ in margine adſcripta erant, ut inde dem occaſionem alteri cuipiam iſta maledicta in ſuum authorem retorquendi; ſed luet is brevi quæ meritus eſt. Retulit de eo ad me Doct. IOHANNES GŒDELMANNUS, Conſiliarius Saxonicus et CHYTRÆI Gener, quem proculdubio noſti, quod URSUS iſte plane contemptus ſit et deſpectui habitus ab omnibus cordatis viris et ijs, qui in aula ſunt Cæſaris, poſtquam tam inſulſum et temerarium ſcriptum publicavit, eßeque ab ipſo Cæſare neglectum et vili penſum.

[Ex

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD NICOLAUM KRAGIUM.

1r S. P.



UM Dreſdæ adhuc eßem, ante paucos dies literas tuas accepi, Præſtantißime et Amantißime Domine Doctor NICOLAE KRAGIE, quæ Haffnia datæ erant Calendis Octobris huius anni. Indicas autem ab initio te meas non accepiße, quas HOLGERUS ROSENKRANTZIUS noſter in tua abſentia ſecum in Cimbriam recepit; miror itaque eum tanto tempore illas retinuiße. Exiſtimaverat quidem ille, te eße inviſurum ſeſe Roſenholmij, uti ei forte pollicitus eras, at ego illi ſcripſeram, quod fruſtra te exſpectaret, æque enim rarum eße Iutum Iuto vera dicere et fidem facere, atque augurem auguri, neque ſane in hoc augurio falſus ſum meo ipſius incommodo, ſiquidem plæraque erant in illo, quem tibi inſcripſeram, faſciculo, quæ te mature ſcire avebam; ſpero tamen te id iam accepiße et eius contenta omnia percepiße, quare ut de ijs, ubi præſertim opus eſt, mihi mature reſpondeas, rogo; atque ſimul indices, quid de literis illis actum ſit, quas IOHANNES STYGIUS in Daniam ad quendam mea de caußa ſe ſcripſiße rettulit, et quomodo intellectæ acceptæque. Quæ de Præfecto meo Huennenſi in hiſce ultimis attingis, parum moror, is non ſaltem erga me infidelis deprehenditur, atque iniquas reddere rationes ſuæ villicationis, ſed inſuper nihil ferme eorum exequitur, quæ aliquoties ei per literas mando, non ſine rerum mearum gravi diſpendio, adeo ut aliqua adhuc ex inſtrumentis meis et reliqua ſupellectile iſthic in In-
1v ſula, aut etiam Haffniæ reſidua ſint, quæ necdum || Lubecæ accipere potuerim, utut aliquoties hac de re ſcripſerim et MULÆUS, cum præſens eßet, illi ſingula oretenus expoſuit; taceo quod nullos piſces ex tot meis piſcinis tanti conſtantibus, ſive ſalitos ſive exſiccatos, uti volui, nanciſci queam, ſed is illis in ſuum et ſuorum commodum ſaltem utitur, vel potius abutitur. Verum quid de eo faciendum ſit, ESCILLUS BILLEUS diſpiciat et ſtatuat, cui ſupremam inſpectionem rerum mearum concredidi. Quod autem ais eße quoſdam, qui Inſulam meam a me petitam volunt, peiore mea futura conditione, equidem non intelligo, quid hæc verba ſibi velint, nimis enim obſcura ſunt, et in varium ſenſum trahi poßunt. Cum tota Dania mihi nimis coarctata cenſeatur, quî quæſo inſulula tam anguſta tamque illucrifera me remorabitur, his pauciora et longe maiora affectantem ſperantemque? Sed vertat ſe meus oſor et invidus in quaſcunque volet partes, quicunque tandem is
† ſit, non multum de me triumphabit, ſed potius infringet dentem ſolido,

propria

propria deluſus ab Arte. Atqui ego de Inſula illa non ſum magnopere ſollicitus, neque etiam quodpiam emolumentum inde habeo, ſed potius plus damni, neque tamen ullo iure eam mihi adimere poßunt, ſalvis Regis FRIDERICI Literis, neque etiam ſine Senatorum omnium iudicio et conſenſu id facere licet, ſi modo non quidvis licet citra ius et fas; oportet etiam me legitime citari. Sed reſtituant mihi ſolummodo meas impenſas aut dimidiam ſaltem earum partem, quas in illam expendi ultra ſummam quam a Rege FRIDERICO et Senatoribus Regni accepi, aut decernant, *om det er billigt att jeg ſkulle liide ſaadan* † *Skade thill forgeffvis*. Sed de his alias agemus, quando ſtatus mearum rerum fuerit in tutioribus et inexpugnabilibus terminis, quod brevi ‖ me aßecuturum, favente ſummo Numine, confido. Erit forte aliquis 2r potentior, qui mei patrocinium in ſe recipiet, atque a tot iniurijs et damnis, quot in Dania paßus ſum, vindicabit.

Quia vero de rebus meis certior fieri deſideras, ſic habe: Paulo poſt Michaëlis feſtum Wandeſburgo Pragam verſus ad Cæſarem iter ſuſcepi, comitante me etiam familia mea muliebri Magdeburgum uſque, deinde reverſa. Subſtiti autem Magdeburgi per octiduum in gratiam ERICI LANGIJ noſtri, qui mihi per quinque dies illic aderat, poſtea Dreſdam profectus, ubi certo illic comperißem, Cæſarem relicta Praga ob morbos Epidemicos, in tutiorem locum ſeptem miliaribus inde diſtantem ſe recepiße, nec quempiam admittere, niſi paucißimos quoſdam quotidianos miniſtros, Aulam dißipatam eße, Cancellariam remotam, Conſilia et Iudicia omnia ſilere, in ſumma Iuſtitium eße et actiones cunctas ob contagium populare conturbatas, conſultius duxi ſcriptis Pragam ad THADDÆUM noſtrum literis, an in tali rerum ſtatu ulterius procedendum ſit, expiſcari, atque interea Dreſdæ reſponſum præſtolari. THADDÆUS acceptis meis in hanc ſententiam literis, eas Domino Procancellario Imperij RUDOLPHO CORRADUCIO, qui Pragæ remanſerat, actutum legendas exhibuit, is vero deſcriptum earum confeſtim Cæſari miſit, petens a BARVICIO, ut de Cæſaris voluntate quamprimum fieri poßit, quidpiam certi reſcribat cumque hoc aliquamdiu protraheretur, uti ſunt lenta, quæ apud Magnates expedire oporteat, præſertim eo tempore, quando Literæ Praga allatæ ob infectionis ‖ metum, non niſi poſt aliquot dierum intervallum legebantur. 2v Hinc evenit, ut uſque in quartam hebdomadam Dreſdæ reſponſum exſpectare neceße habuerim, THADDÆO interea moræ etiam pluſquam ego ipſemet impatiente, ſemel atque iterum reſponſum urgente, et cum BARVICIO hac de re quaſi expoſtulante, illique IACOBUM CURTIUM Prædeceßorem, quod ille multo citius me concernentia præſtitißet, exprobrante, et tandem etiam ad Dominum CORRADUCIUM, qui Pragæ adhuc erat, hac de re ſchedam ſcribente.

Accidit

Accidit autem, ut eo ipſo die BARVICIJ Secretarij Literæ ad CORRADUCIUM pervenirent, quibus Cæſaris reſolutio continebatur, quam CORRADUCIUS actutum Schedæ THADDÆI propria manu ſubſcripſit, eamque ſigillo ſuo munitam THADDÆO demiſit, ut me de voluntate Cæſaris inde certiorem efficeret. Quæ autem erant eorum, de quibus dixi, formalia verba, ex adiuncta charta percipies. Ego itaque accepto hoc Clementißimo Cæſaris reſponſo, me illi lubenter acquieſcere reſcripſi; nam et antea THADDÆO per literas ſignificaram, me in ſuperiori Saxonia potius quam Dreſdæ manſurum, donec morbi illi populariter in Bohemia graßantes remiſerint, et Cæſari commodius fuerit me eo vocare; neque enim periculo caruit cum meo iuvenili comitatu illas oras paßim peſte et dyſenteria infectas tunc intrare. Recepi itaque me cum meis huc Wittebergam, ubi D. V. hyemare conſtitui, niſi prius a Cæſare, ſopita iſtic lue Epidemica accerſitus fuero, eritque
3ʳ mihi hîc oportunum in operibus meis ‖ necdum Hamburgi ob Typographorum imperitiam et paucitatem plane abſoluta Typis complere. Habito hîc in ædibus, quæ olim erant optimæ recordationis viri PHILIPPI MELANCHTONIS, nunc CASPARIS PEUCERI, inquilino earum modo exiſtente Domino Doctore IOHANNE IESSENIO Philoſopho et Medico eximio, qui me perlubenter, imo non ſine gaudio ad ſe recepit, et potißimam ædium partem pro me meaque familia, quam diu lubuerit, inhabitandam benigne conceßit. Adeſt commoditas pro obſervationibus continuandis, ſuntque mihi ad manus hîc quædam ex meis Inſtrumentis, quæ in Bohemiam mecum ſumere conſtitui. Eſt etiam locus pro laboratorio Pyronomico, in quo nonnulla, interea dum hîc ſum, parare animus eſt, præter ea, quæ prius Wandeſburgi confecta in promtu habeo. Cæſar enim talibus impenſe delectatur, eaque proprijs manibus verſat, non minus quam Mathematica, quæ probe intelligit et alijs præfert. Ideoque aiunt, ipſum magno mei deſiderio teneri, adeo ut in locum, quo nunc ſeceßit, Podebra dictum, me ad ſe accerſere, ut quotidie iſtic illi adeßem, voluerit, iam præparato pro me et meis amplo hoſpitio, ſed increbreſcente peſtis vehementia in illa vicinia, ita ut aliquot bruta animantia inficerentur, de mutatione loci cogitavit, ita ut aut in Sileſiam, aut Styriam aut etiam verſus Inſbrug ſe recipere cuperet, relicta Bohemia, modo id tutum foret, et ab indigena Nobilitate permißum. Atque hinc etiam factum, ut reſpon-
3ᵛ ſum de me aliquandiu retardaretur ‖ quodque eiuſcemodi quale in charta vides acceperim. Adfuit mihi Dreſdæ doctor IOHANNES GŒDELMANNUS Conſiliarius Saxonicus, CHYTRÆI gener, ijs ipſis diebus, quando Dreſda mihi abeundum fuit, is inter alia mihi dixit, ſe Pragæ, unde nuper advenerat, a fidedignis audiviße, Cæſarem in tantum meum expetiviße adventum, ut hæc verba pronunciarit: »*Si ſo-*

lummodo illum virum hîc mecum haberem, cum quo de rebus Mathematicis et Aſtronomicis, tum quoque Pyronomicis iucunde conferre poßim, atque eius opera perluſtrare, non caperet me tantum temporis tædium, veluti nunc fit, dum Praga abſum. Sed quid faciam, ſi illum confeſtim huc vocavero, et mihi ipſi ſit alio diſcedendum, non bene conſulo illi et eius comitatui, hoc præſertim periculoſo tempore. Præſtat itaque id in commodiorem et oportuniorem commoditatem differre, interim de illo convenienti loco conſtituendo diſpiciam.« Atque alia eiuſcemodi, quæ nunc prætereo, ut ſpem magnam conceperim, Cæſarem non ita averſurum me meaque ſtudia, quemadmodum in Dania factum eſt. Curo autem per filium meum TYCHONEM, addito uno vel altero comite, familiam meam muliebrem huc Wandeſburgo evocari, mißis meis curribus, qui eam cum ſupellectile neceßaria advehant; eo enim regredi, niſi forte pro diſponendis reſiduis rebus, ijſque alio mittendis, non eſt animus. Sat Boreæ datum, utinam non nimium, ſed tribuendum erat aliquid patriæ, quam diu id fieri potuit.

FRANCISCUS meus TEGNAGLIUS cum || ego Dreſda huc concederem, 4r in Italiam abijt, illic aliquantulum manſurus linguæ diſcendæ cauſa; eum Principi Venetorum, Duci Parmenſi, et magno Duci Heturiæ atque Florentiæ per Literas commendavi, mißis ad ſingulos eorum ijs, quos Regi noſtro offerre volui, Libris, quod tamen an factum ſit, ignoro. Itidem feci apud MAGINUM Mathematicum. Quin et Elector Colonienſis illum in mei gratiam, et a me rogatus, ijſdem Italiæ Principibus, excepto Veneto, Italicis Literis, quarum hîc exemplum habes, commendavit, ut ſperem res eius bono loco iſtic futuras. Cum mihi ſcripſeris, quod Roſtochio ad D. CHRISTOPHORUM STURTIUM I. C. directis literis facile efficies, ſingulis duabus, uti ſcis, ſeptimanis huc inde veniente auriga, de omnibus, quæ me meaque negotia concernere noſti, luculenter commonefacias velim, idque ſolito ſæpius, cum nunc maior, interea dum hîc ſum, concedatur oportunitas, niſi mare apud vos congelatur. Carmina in mei gratiam ab eximijs Poëtis ad Cæſarem congratulationis caußa concinnata, tum quoque ad me brevi videbis, otium ea deſcribendi in hac feſtinatione non ſupererat, mitto tamen exemplum CHYTRÆI Roſtochienſis, quod nuper Dreſdæ accepi, ſiquidem illud in promptu erat, iſthic ob POLICARPUM ſic volentem ex autographo immutatum. Sed ille ob feſtinum meum inde diſceßum illud necdum accepit, eſt alias vir humanißimus, ſatiſque Politicus, meque, dum ibi eßem, honorifice excepit. Sum etiam benigne habitus a Duce Adminiſtratore, qui me ad ſe invitavit, || poſteaque ad 4v iuniores Principes, donata deinde eleganti torque aurea cum ſua Effigie; quin et alibi a Principibus Germaniæ clementer acceptus fui, qui,

qui, ut eos in reditu inviſerem, rogarunt, ſpe etiam tacite facta, quod ſi Cæſar mihi benefacere velit, eos etiam ſuo officio non defuturos. Quomodo Colonienſis me meaque Cæſari commendavit, vel potius illi mea de caußa congratulatus ſit, et quid in mei gratiam ad eundem Cæſarem Dux ULDARICUS Avus maternus Regis Daniæ ſcripſerit, exempla earum literarum, quas ROSENKRANTZIO, aut etiam tibi, ſi recte memini, communicavi, edocebunt. Dedit etiam ad me Princeps MAURITIUS humanißimas literas, in quibus non pro autoritate Principum agit, ſed me pro amico bono habet et ſic nuncupat. Ex literis TEGNAGLIJ Amſterodamo de ijs, quæ in legatione eius evenerunt, antequam Wandeſburgum ad me rediret, perſcriptis, hæc et plura cognoſces, ubi eas deſcribere vacabit, tibique mittere. Sed deſino plura, cum charta vix plura ferat. Tu itaque, mi optime KRAGIE, cum coniuge a me ſalutata, liberiſque veſtris felicißime vale. Dabantur Wittebergæ die 5. Decembris Anno 1598.

[Ex apographo Hauniensi excerpt. Langebek. 179]

6v

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO M. ANDREÆ WELLEIO, CANONICO RIPENSI, AMICO SUO ...... ET DILECTO.

† S. P.



UM hic Tabellarius ſponte ſe mihi [of]ferret, qui in Cimbriam ire et Ripas tranſire conſtituit, non intermittendum duxi, amantißime Domine Magiſter ANDREA, quin aliquid ſaltem literarum ad te darem. Fecißemque idipſum, antequam Wandeſburgo diſceßi, ſi negotiorum mole et internuncij penuriâ non fuißem præpeditus. De ſtatu autem mearum rerum ſic habe. Cum ſtatim a Michaëlis feſto inde abijßem Pragam verſus cogitans, a Cæſare per Dominum CORRADUCIUM Imperij Procancellarium, intermediante etiam D. THADDÆO HAGGECIO, aliquoties eo accitus, accidit ut cum Dreſdam venißem, certo intelligerem, omnia Pragæ ob luem Epidemicam iſthic uti et alibi in Bohemia ingraveſcentem, conturbata eße, Cæſarem inde
7r diſceßiße, || atque in tutiorem locum ſe recepiße, conſiliarios autem hinc inde diſperſos, aulamque totam dißipatam ideoque conſilia et iudicia publica feriari et iuſtitium eße. Quare illic pauliſper ſubſiſtens, miſi proprium Tabellarium cum literis, me Dreſdam veniße indicantibus, et quid in tali rerum ſtatu faciendum ſit ſciſcitantibus. Quarum exemplo a CORRADUCIO Cæſari, ubi tunc degebat, tranſmißo, reſponſum poſtea eſt a Domino BARVITIO, ſupremo Secretario et

Cæſari

Cæſari ab intimis conſilijs, Cæſaream Ma^{tem} perlibenter de meo ad-
ventu intellexiße, utque Dreſdæ vel alibi in vicinia ſubſiſtam, donec
aula recolligatur, cupere; interea de loco, ubi commode collocari
poßim, benigne cogitare. Quo reſponſo accepto (cui etiam lubens ac-
quievi, cum periculoſum alias foret Bohemiam ingredi) me huc Witte-
bergam cum meis recepi. Ubi Deo volente hybernare conſtitui, vel
ſaltem donec a Cæſare avocer, quem ſcio mihi et meis rebus clementer
ac ſerio favere, ‖ idque maiore ſtudio et deſiderio quam ... nia factum 7v
eſt, ſpero etiam conſtant ... Interim vero dum hîc dego, nonnulla quæ
in operibus meis nondum Typograph[ico] labore abſoluta ſunt, com-
plere animus eſt, unâ cum ijs quæ Cæſari ſpeciatim deſtinavi. Habito
autem hîc Wittebergæ in ædibus, quæ olim erant optimæ recordatio-
nis PHILIPPI MELANCHTONIS, nunc PEUCERI, inquilino earum
me excipiente Domino Doctore IOHANNE IESSENIO Philoſophiæ
et Medicinæ Doctore. Qui ut eſt vir ſyncerus et humanus, meique
amantißimus, pluſquam dimidiam ædium partem pro me et mea fa-
milia inhabitandam benigne conceßit, ita ut mediocri hîc fruar opor-
tunitate, donec res meæ providentia divina uberiorem commoditatem
ſortitæ fuerint. Curo autem nunc adduci Wandeſburgo familiam me-
am muliebrem proprijs curribus, per filium Tychonem, pro ‖ qua 8r
.... donec amplior volente Numine a Cæſare nobis omnibus
conceßus fuerit. Cuius in arbitrium totus mi ... clauditur orbis. Hæc
brevibus ſignificare volui ob veterem inter nos neceßitudinem, ne re-
rum noſtrarum inſcius eßes, aut me tui immemorem ſuſpicareris. Forte
tamen ſimilia aut his plura a Mag. CHRISTIERNO SEVERINO LON-
GOMONTANO, meo aliquandiu domeſtico, qui etiam me Magde-
burgum comitatus eſt et Gynæcæum meum idem Wandeſburgum re-
duxit, intellexiſti. Relatum enim mihi eſt eum Ripis nuper fuiße, et
meas iſthuc ad eum perlatas eße literas, quas illi, quam primum huc
veni, deſtinavi. Scripſi nunc et alteras eidem, ſive iſthic ſive alibi ſit,
tradendas. Quod ſi per alios expeditum non fuerit, a te fieri cuperem,
ubicunque eum morari noſti. Vale cum tota domo, ſalutata a me tua
coniuge peramanter. ‖

Per hunc vero Tabellarium ...... tius, cum non raro Witebergam 8v
[lite]ras mittendi detur occaſio, reſcribe. Iterumque vale et Præſidi arcis
veſtræ de me ſalutem nuntia unâ cum alijs amicis, ſi quos forte apud
vos habeo reſiduos. Precor vobis omnibus Annum hunc inſtantem
auſpicatum et ſalubrem. Iamque tertium et pluries vale. Dabantur
Witebergæ die penultima Anni 1598.

TYCHO BRAHE.

De terræmotu, qui has Germaniæ oras duabus vicibus conquaßavit,
die 16. Decembris inter 6 et 7 matutinam, tam hîc quam Magdeburgi

et

et Lipſiæ atque in alijs hinc inde locis, te inaudiviße opinor. Si quid tale apud vos vel alibi in Dania experti ſitis, indica. Exiſtimo enim a Septentrione vel Occaſu tremorem illum veniße. Qui tamen in hoc tractu divina clementia nihil damni intulit.

† [Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD CHRISTIANUM
LONGOMONTANUM.

1r S.



UAS Wandeſburgo ad me dediſti literas, eruditißime et amantißime M. CHRISTIERNE, eas hîc Wittebergæ accepi penultimo die huius anni. Refers ab initio in ijs de incuria Typographi Hamburgenſis, qua quaternionem ibi relictum non ſaltem non emendatiorem edidit, ſed adhuc magis quam antea corrupit, ut et in priori negligens fuit; ſed quid faciendum cum talibus hominibus, qui nec fidem ſervant, nec quæ profitentur, ſatis callent? Conſtitui igitur duos illos quaterniones de motu Lunæ hîc, volente Deo, terſe et emendate imprimi curare, ubi et reliquos quatuor Lunam concernentes, quos nunc ſub prælo habeo. Ne igitur ſis de priori iactura ſolicitus, et ferendum eſt, quod averti non poteſt. Quod vero excuſas moram tuam ali-
1v quantulam iſthic Wandeſburgi, apud familiam meam ‖ muliebrem, tantum abeſt ut hoc ægre feram, quin potius tibi gratias habeam, quod id mihi et illis officij præſtare volueris, ut non ſaltem Magdeburgo eos iſthuc deduxeris, ſed et aliquamdiu cum illis manſeris, ne nimis ſolitariæ eßent, donec ANDREAS miniſter reverteretur. Quoniam vero exiſtimo te res tuas domi ordinaße, ut in Germaniam denuo cogites, aut nunc forte eo reverſus ſis, cuperem ut me de ſtatu rerum tuarum certiorem redderes. Intellexiſti ex ijs, quas ad te dedi, quam primum huc veni, me Wittebergæ hibernare, volente Numine, conſtituiße, et quæ ſint cauſæ cur ſic faciam. Si igitur res tuæ ullo modo id ferrent, ut me accedere poßes, feceris mihi rem apprime gratam, nec tibi ipſi infrugiferam. Cum enim et antea a te intellexerim, et hæ tuæ literæ non obſcure inſinuent, quod in Academiam aliquam exteram aſcendere cupias, ubi ſecundum conditiones atque ætatem honeſte vivere poßis, poterit id ſane aliquantiſper non incommode fieri, donec divina providentia res meæ quietum et certum locum in portu exoptato et
2r firmo, concedente uti ſpero Cæſare, obtinuerint. Tunc melius ti-‖bi et tuis commodis proſpicere non omittam, interim etiam de liberali ſuſtentatione meis ſumptibus tibi providebo, nec quicquam tibi deeße patiar,

patiar, quod oportuna vivendi ratio exigat. Atque ubi præſens fueris (neque enim de tua erga me voluntate aut obſequio quidquam dubito) plenius de ijs, quæ tibi uſui eße poterint, inter nos agemus. Gratum mihi inprimis eſt, quod de Apologia Antagoniſtæ mei Scotici refutanda ſerio cogites, vellem id mature fieri, ut Tomum illum de Cometa anni 77. ſic concludere poßim, atque interea dum hîc ſum, typis abſolvere, unâ cum alijs meis operibus antea inceptis, necdum prorſus ad colophonem deductis. Tu vero mi dilectiß. Domine CHRISTIANE, te in his quam primum reſolve; ego tibi et tuis commodis, quantum in me eſt, nullatenus ſum defuturus, ſed omni benevolentia et ad meliora ſemper promovendi amore et animi propenſitate proſequar, idque re ipſa potius quam verbis, quam primum ſe occaſio obtulerit, oſtendam. Vale. Dabantur Witebergæ ex ædibus .... ‖ (ubi nunc cum Domino 2v D. IESSENIO ... converſor) ultimo die anni completi.

TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

GENIO, INGENIO, GENERE VIRO EXIMIE 2v
DECORATO ET CONSPICUO OLIGERO ROSENKRANTZIO,
AMICO CONSANGVINEO, AFFINI INTEGERRIMO.
ROSENHOLM.

S. P. 1r

CRIPSI tibi, deſideratiß. mi OLIGERE, quamprimum huc Witebergam veni, et de ſtatu rerum mearum te certiorem reddidi, quas literas te accepiße exiſtimo, ideoque ijs indicata repetere nolo. Cum vero commodum ſeſe obtulißet hic Tabellarius, qui ſe etiam Arhuſiam venturum aiebat, non intermittendum duxi, quin aliquas ſaltem denuo ad te darem. Cupio autem per eundem ex te cognoſcere, quomodo vivas et valeas, et quid rerum agas, tum quoque, ſi quid mea intereſt ſcire, ut fideliter et amice ſignifices. Ego hîc volente Numine hybernabo, cum Bohemiam nunc ingredi lues Epidemica illic magis magiſque invaleſcens non ſinat, Cæſare ipſo vix ibi locum ſatis huius contagij convenientem inveniente, ut ob id eum inde excedere animum induxiße nonnulli referant. Familia mea muliebris necdum advenit, pro qua adducenda miſi TYCHONEM filium cum equis et curribus meis. Quam primum advenerit, quod intra paucos dies futurum exiſtimo, equos in nundinis Lipſenſibus diſtrahere conſtitui, ne mihi ſint, interea dum hîc ſubſiſto, oneri. Facile, uti ſpero, alios inſtante vere recepturus. Interea Typographicum laborem urgeo, ut compleantur

tur Libri mei, in Dania non abſoluti, nec etiam prorſus Wandeſburgi. Paro adhuc alios pro Cæſare, quantum otium hoc ferre poterit.

Cæterum hoc inſuper incidit, quod antea exciderat, ut te interrogarem de duobus illis libris Regi veſtro offerendis, an id factum ſit, necne. 1v Si exhibiti ſunt, cupio ſcire, per quem, et quomodo excepti, || et a quo poſtea accepti, cum is, uti conſtat, talibus non afficiatur, quæ tamen omnia parum moror, veluti etiam nullam inde gratiam aut affectavi aut ſperavi, uti neque antea ex tot non ſine meo damno meritis ullam promereri potui, quod pariter ex alto negligo. Sin vero hi libri adhuc penes te ſunt, cuperem eos bene ab iniuria aëris et pluviarum munitos (quod per lineum cera imbutum facile præſtatur) per hunc Tabellarium mihi remitti, quo in quibuſdam eos recognoſcere et locupletare queam, præſertim quoad ſtellarum reſtitutionem, et addito deinde tertio quodam eiuſdem formæ et magnitudinis, quem etiam Cæſari dedico; omnes enim tres, præfixo ſingulis peculiari Epigrammate, Regi in Comitijs proximæ æſtatis exhiberi, Deo volente, procurabo, ſive per te ſive per alium quempiam ex meis, ſi tibi id non fuerit commodum. Adiungentur, uti ſpero, quædam alia ex meis operibus, hiſce maiora, ut videant veſtrates, ſi quos ea cura tangat, me iſthic non fuiße otioſum, nec tempus inutiliter collocaße, noſtroſque labores non ob id negligi aut interire, quod quidam ex ijs eos peßundare conati ſint. Habeo etiam alias rationes, cur ſic fieri velim, nec cenſuris contrarijs, undecunque petitis, afficior.

Cum Dreſdæ eßem, adfuit mihi IVARDUS FRISIUS, fratrem Regis comitatus; is forte tibi nonnulla de me rettulit, aut alijs. Vellem eum ſatis attentum fuiße, ut adhuc plura referre potuißet, non tam tibi quam 2r ijs. Si me-||moriam, vel potius facundiam eius inaudiviſti, indicatione pande, et quomodo illa intellecta acceptaque fuerint. Scis quid velim, de pluribus etiam, uti et prius rogavi, me (cum tam certus adſit internuntius) commonefacias; Exemplaria omnium librorum meorum, tam alibi quam hîc abſolutorum, brevi, favente Deo, obtinebis, ut duorum illorum, quos habuiſti, iactura cum fœnore reſarciatur. Salutavi nuper ex te, quamvis non rogatus, Doctorem HUNNIUM, cum ſimul in arce, unâ cum alijs Profeßoribus, a Præſide invitati eßemus. Is te vicißim reſalutat. Quin et alij hîc Profeßores, qui te norunt et plurimi faciunt, ſalutem tibi dicunt. Inter quos etiam eſt Hoſpes meus Dominus D. IOHANNES IESSENIUS. Vale cum Coniuge tua, mea Nepte, quam felicißime, et inſtantem annum, feliciter inchoatum, quam proſperrime etiam abſolvite, multoſque inſuper alios. Et his proximis det Deus, ut vobis ludat ROSENKRANTZIUS [in] aula Parvulus. Saluta Matrem, coniugem, et amicos meos, ſi quos abſentia mei adhuc memores eße admittit. Dabantur properanter Witeberga, pridie novi Anni 1599.

Tuus TYCHO BRAHE.

[Ex

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii; cf. apographum in *Dänische Bibliothec* IX (Hauniæ 1747) p. 239 sq.]

TYCHO BRAHE AD CHRISTIANUM LONGOMONTANUM.

S. 3r



HARISSIME M. CHRISTIERNE, bis tibi ſcripſi, poſtquam huc Witebergam veni, quas literas accepiße te utraſque reor, vel ſaltem alteras. Cuperem, ut ad me huc accederes, antequam denuo Pragam verſus iter ſuſcipiam. Fiet id cum tuo emolumento. Si viatico cares, ſuppeditabit tibi hic auriga, ego illi reſtituam. Intellexi ex tuis, antequam Wandeſbecho abires, mihi ſcriptis, conditionem in aliqua Academia te optare hîc in Germania, ſi[gnifica mihi an] Pragæ iſti, qui ſe Cæſaris Mathematicum iactat, ſuccedere velis (brevi enim ille ſe ſubducet, ſi modo iam factum non ſit) ſin tibi non placuerit, efficiam ut .... eo vocetur, nec is ab [hoc] munere ſuſcipiendo abhorret; [tunc] operam || dabo, ut tu hîc Witebergæ in eius locum ſubſtituare 3v .... re, cum præſente plura ad ..... quavis alia ratione expete ..... commodis, quantum in me eſt, ſtudebo. Vale. Raptim Witebergæ inter plurimas occupationes die 11. Ian. Anno 99.

TYCHO BRAHE,
manu propria.

Habes hîc literas a BRASCHIO Poëta, Dreſda mihi mißas et fortuito reſignatas.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

DEM EDLEN VNNDT GESTRENGEN 2r

RITTER HERRN TYCHO BRAHE ZU KNUDSTORP MEYNEM SONDERS GUNSTIGEN VND VIELGELIEBTEN HERRENN. TRESEN ODER WITTENBERGK.



LLUSTRIS ac Clarißime eques et Domine obſerme. Sacra Cæſarea Maieſtas Dominus noſter Clementißimus mandavit mihi, ut Illuſtrem Dominationem tuam ſtatim huc vocem, cui hiſce meis humillime obſequi et debui et volui. Curet itaque Dominatio Tua Illuſtris quam diligentißime, ut quam primum poterit, ſe ad iter accingat, ſicque coram Cæſare hîc Pragæ ſtatuat, ut is hac in parte in Dominatione tua illuſtri, vel etiam me ipſo, ne minimum quidem defuiße animadvertat. Porro de hac Illuſtris D. T. perſonæ Auguſta evocatione non tam D. T. Illri gratulor, quam mihi ipſi. Mirum in modum gaudeo, utpote

pote qui hac occaſione, te tantum ac talem virum et præter generis nobilitatem, omni virtutum et literarum genere exornatum atque excultum coram videre tuiſque doctißimis ſermonibus quandoque frui potero. Vale quam optime et diutißime, Vir Nobilißime, omnemque adhibe diligentiam, ut nobis ſalvus atque incolumis huc advenias. Datæ Pragæ die 27. Ianuarij Anno 1599, quem tibi cum multis alijs felicißimum a Deo ter Optimo Maximo precor.

Illuſtri atque Clarißs. D. T. deditißimus

RUDOLPHUS CORADUCIUS,
manu propria.

[Ex apographo in Hardewigi *Dasselii Poematum libris IV* (Bremæ 1603)]

275 HARDEWIGUS A DASSELL I. C. TYCHONI BRAHEN VIRO NOBILISS. EQUITI ET MATHEMATICO EXCELLENTISS.

S. D.



UOTIESCUNQUE ad ſtatum præſentium temporum, qui eſt miſerrimus, Nobilißime et magnifice vir, amice colende, oculos animumque converto (converto autem
276 omnes fere dies || noctesque) toties mihi in mentem venit, quod Poëta his verſibus canit:

† *Sic omnia fatis*
In peius ruere, et retro ſublapſa referri,
Non aliter, quam qui adverſo vix flumine lembum
Remigijs ſubigit, ſi brachia forte remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

Neque enim ulla unquam extitêre tempora hiſce noſtris turbulentiora, quibus omnia mundi regna τὴν ἐσχάτην πτῶσιν minitantur, in quibus tanta undique tamque effrenis morum corruptela, tot et tantæ mortalium in diverſa ſtudia commotiones, tot tantæque rerum perturbationes, quibus oportune componendis unus ſolus aut occupatus fuerit aut ſuffecerit, in quibus ſimul religio et verus Dei cultus τινὶ μηδὲν ποιεῖσθαι προτιμότερον, et publica et privata ita undique in turbulentiam convoluta iacuerint. Quamquam enim retroacta tempora ſuas ſecum moleſtias quaſdam et turbationes ſemper attulerint, nec bellis civilibus ne quidem atrocißimis in toto caruerint, tamen de hoc conſtat apertißime, nulla unquam eiuſmodi fuiße, quibus hæc omnia ſimul mala, tanquam uno edita partu, unâ effuſa phialâ, confluxerint, ut nec immerito ſola præ cæteris omnibus anteactis ſeculis ſumme deplorata et calamitoſa dici queant. Quæ enim fuêre (dicat mihi quiſpiam, qui

 collatas

collatas ſingulorum temporum hiſtorias cognovit) || unquam ſecula, 277 cum his ex virtutum et vitiorum præpoſteris exacte extremitatibus conferenda? in quibus ſic omnia ſurſum deorſumque ſacra et profana ſibi invicem confuſa extiterint et perplexa? in quibus ſic omnia vitia et turpitudines ad ſummum pervenerint faſtigium, in quo ſine rubore etiam et propemodum cum aliqua laudis vindicatione ſteterint? virtus, honeſtas, devolutæ ad imum ubi peßundatæ et proculcatæ iacuerint? in quibus maior ſolutioris et petulantis vitæ impunitas et licentia, maiores paßim in nationum et regnorum ſtatibus inteſtini motus ac ſeditiones? Adeo per præceps totus uno veluti coniurato impetu in dedecus et omnium vitiorum barathrum, in mutuum excidium et perniciem graßatur et ruit mundus. Miſerrimus eſt profecto miſeræ et omni ope deſtitutæ Germaniæ noſtræ ſtatus. Non externus hoſtis hanc populatur, non aliena fraus diripit, ſed ſuis ipſa viribus ruit, ad ſeipſam evertendam callida eſt et dolos ſtruit. Quid obſecro exiſtimandum, externos populos, Italos puto, Gallos, Hiſpanos, loqui de nobis? Quid literæ et ſcripta teſtabuntur? Durum eſt et aſperum dictu, ſed dicendum tamen. Nobilium in nobiles, civium in cives, imo fratrum, adfinium, cognatorum, propinquorum in ſuos commemorabitur impius et nefarius furoris atque avaritiæ et invidiæ impetus, inſidiæ, circumventio, inductio, fallaciæ. Non tantum mali in ſumma calamitate eße || poteſt, 278 quantum in hac ignominia et dedecore. Quæ autem hæc eſt rabies? Nihil curare aliquem, quid liberis, uxori, conſanguineis, affinibus ſuis fiat? an nobiſcum extingui delerique cupimus omnia? Et illæ Neronianæ et Caianæ ſententiæ in animo et voces in ore ſunt: »*Me mortuo terra abſumatur ignibus;*« vel magis etiam triſtes: †

»*ignes, ruinæ populum premant,*
turpiſque egeſtas, ſæva cum luctu fames.«

O gentis et nationis laudatißimæ ingens probrum! Mirantur interim multi, quonam malo Genio, quove fato noſtro, illa morum corruptela totque diſcordiæ et dißidia tam in ordine politico, quam in eccleſiaſtico paßim nata ſint, et indies magis magiſque augeantur, non abs re quidem id mirantur, et dolent etiam ob rei, quæ tam multa ſecum mala invehat, et pietati iuſtitiæque interitum minetur, diuturnitatem et magnitudinem. Verum ſi admiratores illi et animorum noſtrorum pravitatem vitæque labem, de quibus paulo ante dictum, ac gravißima, quibus ea tota ſcatet ac ſordet, vulnera ſibi ob oculos ponant, et, quod proximum eſt, in tot et tantis, quibus laboramus morbis, nullam fere ſanitatis ſpeciem et ſpem reliquam eße conſiderent, non amplius mirabuntur; ſed dolebunt nihilominus, quod de morbis noſtris curandis nullo modo nec cogitemus nec laboremus. Vitia hæc ſunt, ut uno verbo dicam,

dicam, et ſcelera, bellorum et calamitatum fons et caput; quibus niſi 279 exſtirpatis, nullus miſeriarum || finis ſperandus videtur. Non proſequar omnia, quia et infinita ſunt, et alibi ab alijs explicata ſatis, ſed maiori quidem illorum, qui ſapienter ea dißeruerunt et nos ad meliora erudierunt, laude, quam noſtrâ, qui nec ullis præceptis moniti ſapere, nec ullis malis affecti reſipiſcere poßumus, utilitate.

Et quid pluribus commemorandis tempus teram, cum, ſi avaritiam et ambitionem, teterrimas animorum peſtes, unam dißenſionum et calamitatum in toto Romano imperio cauſam eße dixero, complexus omnia videar? Hic unus malus Genius eſt, qui nos tamdiu vexat, hoc ipſum eſt illud factum, quod et privatis rebus detrimentum et publicis exitium affert. Hæ duæ inquam ſunt peſtes, quæ pietati et iuſtitiæ, quæ Germaniæ noſtræ, quæ Eccleſiæ extremam, ſi quæ poßint, perniciem machinantur, quæque ἀταξίαν et confuſionem adhuc, proh dolor, regnantem in Eccleſiam invexerunt? Hæc enim cum erat pauperior et Apoſtoli ceterique Paſtores auro et argento carebant, virtutibus omnibus † circumfluebant. Epiſcopi erant docti, modeſti, prudentes, ſobrij, laborioſi, vigilantes et tanquam lumina univerſo populo prælucebant. Singuli vero e populo tantâ charitate alij alios complectebantur, ut nemo, quod poßideret, ſuum eße diceret, ſed omnia eßent communia. Erantque concordes et perdurantes in doctrina Apoſtolorum, laudan- 280 tes Deum eique pro omnibus gratias agentes. Fides vero tanta erat, || ut nec minis nec ullis cruciatibus a confeßione Chriſtianâ deterreri poßent. Verum ubi liberalitate et zelo Principum interdum inconſiderato, eadem Eccleſia in opes et potentiam crevit, ex eo paulatim eius virtus (ut ait D. HIERONYMUS) decrevit, quoad in eum ſtatum et præcipitium delaberetur, quo in præſentiâ redacta eſt, ut difficillimum ſit iudicatu, utri ſint deteriores, Paſtores an populus; quos inter ſe concertare dicas, utri alteros ambitione et avaritiâ vincant. Certe priſcos pietatis tum fundandæ et ædificandæ autores, Deum, Prophetas, CHRISTUM, Apoſtolos et alios pios Doctores, tum eiuſdem confirmandæ adiutores, ut Imperatores, Reges, Principes, piaſque Reſpubl. et populos ſi conſulunt et audiunt, longe aliam viam inibunt, longe aliam rationem ſequentur. Sed (ut non minus vere quam feſtive dicitur) famelicus venter auribus caret; veſana illa habendi et dominandi fames nihil audit, donec plene ſatiata fuerit, ſi plene tamen unquam ſatiari poteſt, quæ contra, quo plura abſorbuit, eo plura appetere, et gazas gazis, regnaque regnis cumulare et ſolet et gaudet.

Sed mitto iam illorum hominum ſordes et perfidiam, et ad ea accedo, quorum cognitione equidem valde conſternatus ſum, neque enim ſine ſenſu doloris nuper ex literis tuis accepi, Nobilißimum Virum D. HENRICUM RANZOVIUM, Regis Daniæ Producem Cimbricum, affinem

 noſtrum,

noſtrum, ipſis Calendis Ianuarij beato fine e mortalium conſuetudine
exemptum eße, quo ſa-‖ne nuncio non potui non magnopere commo- 281
veri, præſertim tam repentinâ morte. Erat enim mihi ob ſingularem
prudentiam, eximias virtutes, animique et corporis præſtantißimas
dotes, adeo charus, ut nulla vis rerum aut temporum præſcriberet
modum in eo amando, ſuſpiciendo et obſervando. Sed quia divinam in
rebus humanis voluntatem dominari non ignoramus, non forti modo,
ſed æquo etiam animo, quod mutare non poßumus, ferre debemus;
hoc noſtrum incommodum gravißimamque iacturam eo ferimus ani-
mo, quo debemus. Tantum vero abeſt, ut illius vicem doleamus, ut
etiam ipſius cauſâ gaudendum eße intelligamus. Etenim cui magis
propitium et placatum Deum fuiße, cuive facilius aditum ad æternam
et beatam illam vitam patuiße cenſendum eſt, quam ei, qui (ut ipſe
quoque de eo ſentis) et integerrime ſemper ac caſtißime vixerit et ex
hac vitâ pie ſancteque diſceßerit? Profecto illius obitum dolere invi-
dentis eßet potius quam amantis. Quare tuum erit, cum is tam præ-
clare vitæ ſuæ curſum confecerit, hac cogitatione deſiderium, quo ex
illo afficeris, lenire. Quod facilius etiam aßequêre, ſi literis ſacris ali-
quid tui ſtudij et temporis impertieris, ex quibus id, quod ipſe expertus
confirmare poßum, præter ſuavißimum quendam animi fructum ac
voluptatem, quam percipies, omnia quæ evenire homini poßunt in-
commoda, non tolerabilia ſolum, ſed ad ſalutem etiam animorum vim‖
habere maxime intelliges. Sed hæc hactenus. Fuit ſane Generoſus Do- 282
minus HENRICUS RANZOVIUS, qui nunc rebus humanis exemptus
eſt, vir et ore et more imaginem honeſti referens, opum honorumque
contemptor, recti pervicax, ut animâ, ita ore liber eoque gratus bonis,
gravis improbis, Doctorum et Literatorum, ſed bonorum amans, illis
ignavâ operâ non ferebat; eruditionem gravem ſeriamque, a qua in
publicum boni mores, bona valetudo manarent, complectebatur, illa
acuminis irriti ludicra et difficilimas nugas averſabatur. Iam pietate
et animi robore ſupra vulgi captum ingeniumque. Sed non ille ad huius
ſeculi guſtum, ſeculi improbi, maligni, ingrati, quo vitijs maliſque arti-
bus non modo impunitas, ſed apud pleroſque etiam honos, innocen-
tiam atque virtutem vix uſquam ſine periculo aperte colueris. CHRI-
STIANO tertio Regi Daniæ a puero charus, neque id immerito. Nam
et ipſi RANZOVIO una illa poſt Deum cura, habere clementißimum
Regem eumque florentißimum videre. Erat ille familiâ inter Holſatos
nobili natus, ſed poſtea ob egregias virtutes, eruditionem haud vulga-
rem, trium Regum Daniæ, CHRISTIANI III, FRIDERICI II et CHRI-
STIANI IV in Ducatibus Sleſwigæ, Holſatiæ et Ditmarſiæ, ſummâ cum
dignitate Vicarius perpetuus. Primos annos bonis artibus, cæteram
ætatem Reipubl. dedit, ubi maturior illa et rebus gerendis ſimulac re-
gendis

283 gendis ætas acceßit, tum Legationibus || obire, laborare, vigilare, negotijs publicijs intentus ſua negligere, bonos omnes paßim ad communem pacem adhortari, prudentibus animum addere, imprudentibus mala imminentia exponere. Tu autem felix, RANZOVI, confecto innocenter curſu tuo, iam hac ſervitute liber vivis et vivis cum Deo, beatus [in] æternum. Sed ad laudes D. RANZOVIJ non addam plura.

Quod vero, nobilißime vir, tu quoque in extrema epiſtolæ tuæ parte mortem RANZOVIJ non fictis lamentis proſequeris, facis tu quidem, quod non te ſolum, ſed omnes literatos facere decet. Quod autem et eius ſapientiam, doctrinam, virtutem et humanitatem pleno ore prædicas, in eo animi tui candorem et agnoſco et magnopere laudo, cumque te laudum eius tam ſtudioſum eße animadvertißem, non dubitavi, quin grata tibi lectio futura eßet eorum, quibus tumulum eius ornavi, epigrammatum; quare adſcribenda ea cenſui, tua vicißim, ſi qua ſcripſeris, expectans. Tu, nobilißime vir, hanc confidentiam compellationis meæ, et, quæ tanquam garriens commiſeratione maligni huius ſeculi motus ad te perſcripſi, in bonam partem accipies, beneque valebis.

† Luneburg, 28. Ianuarij Anno [1599].

† [Ex apographo in *Epistolis ad Ioannem Kepplerum scriptis* ed. Hansch (1718) p. 106 sqq.]

IOANNES KEPLER AD TYCHONEM BRAHE.

106 CUM intellexißem ex MÆSTLINI literis, quas ad me dedit ſuperiori Auguſto, reſpondiße te ad epiſtolium meum, eiuſque reſponſionis exemplar apud MÆSTLINUM eße, proxima occaſione apud illum inſtiti, ut id exemplar ad me mitteret, quando literæ tuæ mihi non redderentur. Sic caſu et diligentia tua factum, ut quamvis pereuntibus tuis literis, tamen quod me ſcire velles, poſt decimum menſem intellexerim. Hæc initio te certiorem reddidi, quia in illa querela tua, me Chriſte, quam iuſtißima! poſtulas, ut primo quoque tempore meam tibi ſententiam aperiam, ne ex hac decimeſtri mora maior tibi de me ſuſpicio culpæ ſuboriretur. Quantum igitur attinet meas ad URSUM literas, ex ijs, quæ excerpſiſti verbis, pleraque mea agnoſco. Ex eo fit, ut quamvis ad aliqua, de quibus dubito, pene cohorreſcam, nullum tamen negare poßim. In hac itaque parte nullum adhuc URSI crimen eſt, quod liqueat. Utrum autem integram epiſtolam publicaverit, maior apud me dubitatio: quæ facile diſcuteretur, ſi mihi exemplar typi eßet. Nam in ijſdem literis deſiderium meum tuorum operum legendorum expreßi, eaque in re operam URSI expetij.

Quantam

Quantam autem per Deum immortalem! et quam multiplicem mihi facit iniuriam ferus homo! Ambiebam eius amicitiam mißa epiſtola. Si petitionem meam admiſit, fidem eius deſidero: ſin ſprevit, tamen inhumanus eſt. Sermones amicorum, literæ magis, privatæ eße debent; has ille publicavit, nec me conſuluit, nec facturum, nec factum nunciavit, nec exemplar miſit. Quibus eſt curæ æquitas, nec in hoſtem quidem tale quid audent. Remiſißet mihi, quod veteres aiebant, nuncium, aut abolevißet ſchedam, ſi non placuit amicus. Quamquam ſi literis eius ad me altero tandem anno ſcriptis, ſi iudicio eius de me, fides haberi poteſt, et placuit conditio, et amicitiam colere inſtituerat. Sed hæc levia ſunt: ‖ illa maior improbitas, iure utique vindicanda, ſi 107
cui in foro aut ſpes aut oblectatio: quod id quod γεωμετροῦντι dictum ego volebam, ipſe ſibi maledicenti, quod ſcribis, applicat. Acerbißimum omnium, quod quem intelligebat ex meis literis a me maximi fieri, illis ipſis meis literis, quantum potuit, dehoneſtavit. Sic nimirum ipſi me de laudato inimico ſuo placuit ulciſci. Sed neque ſatis mirari poßum conſilium hominis, dum conſilium meum illius hyperbolicæ laudationis ventilo. Quid? Tantine facit iſta mea præconia? At cuius hominis? Si vir eßet, contemneret, ſi prudens, non ventilaret. Quærebam obſcurus ego laudatorem clarum vixdum nati inventi, mendicabam ab ipſo ſtipem, ecce ſtipem ipſe mendico extorſit. Præceptorem dixi: næ parvam laudi acceßionem facit ex adulatione diſcipuli. Quærat eorum præconia, qui ſe præceptores ipſius ferunt. Quod ſi mihi partes iudicis tradit (nec apertius id potuißet, quam ſic oſtentata mea epiſtola) ſciat iam mihi alios quam diſcipulo mores competere. Toleratur in diſcipulo utcunque adulatio, ſi ex opinione præceptoris et amore profecta ad finem diſcendi dirigatur: in iudice adulatio flagitium eſt. Quæ ſic ſcribenda duxi, ut quamvis præſtat ſecuritatis cauſa honoratißimum quemque virum iraſci minime, tamen, ſi non aliter honori tuo conſuli poßet, haberes arbitrium publicatæ calumniæ publice obviam eundi. Sed mißum tandem ipſum faciamus. Nec enim, quam ipſe male, ſed quam ego bene fecerim, quæritur. Et ſunt quidem in illa mea epiſtola pleraque, quæ defendi, aliqua, quæ excuſari, aliqua quæ peßima ſuſpicione liberari debent.

Ordiamur ab eo quod gravißimum eſt: quod nempe crimini mihi das, contra quam ſenſerim, in os ipſi locutum. Quod dum agis, ita loqueris, ut mihi abſolutißimum de alijs iudicium tribuere videaris. Quam ego ſuſpicionem, ſi a me, quod perquam facile eſt, removero, magna parte purgationis me defunctum eße putabo. Etenim qui vir ſit URSUS, iam non diſputare placet, certe quo tempore epiſtolam illam ſcripſi, et imbecilliori eram iudicio et non parum ipſi iam diu tribueram. Venit Grætium Doctor quiſpiam ex Italia reverſus Librum eius mihi

† mihi exhibens, quem triduo conceßo raptim percurrerem. In eo ſalutatos ſchematiſmis reperio præcipuos huius temporis Mathematicos, reperio magnificam in præfatione provocationem ad ſimile quid audendum, ad Aſtronomiam e fundamentis extruendam, reperio compendia quædam aurea, quæ Tubingæ a MÆSTLINO celebrari memineram, reperio doctrinam ſinuum, doctrinam triangulorum, vulgaria quidem, ſed nova mihi omnia, ut videat, quo remige famam verberet. Nam pleraque poſtea in EUCLIDE et REGIOMONTANO reperi, quæ tum ipſi tribuebam. Neque metuas, ut quæ iam dixi, bene cum invento meo ſtare queant. Dicat ipſe pro me MÆSTLINUS, quam tenuibus principijs inſtiterim initio, qui profecto, ſi tam ieiunum me ſecundo dimiſißet, quam primo dimiſerat, nunquam tam exquiſitam mihi commendationem (qua tamen, dum vixero, inferior ero) impertivißet. Itaque hac ego ſpecie doctrinæ de URSO in præclaram opinionem erectus, incidi poſtea in quoſdam ex nobilitate Styriaca Mathematum amantes, quibus, quod eßet neceßaria ſubinde mora in aula Cæſaris, URSI notitia erat. Illi hominis prædicare ingenium, inventa, hortari me, ut anniterer in eius familiaritatem pervenire, polliceri ſuam operam. Sed DIOGENEM quempiam mihi deſcribebant aliqui, cui niſi aut lubeat, aut cum improbitate aliqua extorqueri nihil
108 poßit. His ego de cauſis inventa paulo poſt ſpeculatio-||ne mea, cum non eßet mihi vicinior Mathematicus, ad quem commodius ſcriberem, ad ſcribendum impulſus, formam ipſam partim ad hominis naturam, quæ ferebatur, partim ad eas, quas tum forte fortuito legebam, efficacißimæ brevitatis epiſtolas dißoluto in pompam animo ex recenti inventionis meæ amore accommodavi ſecurus de hoc eventu. Quomodo ſi quid mihi excidit paulo maius, quam de ipſo ſenſeram, in gratiam laudatorum ipſius et mei ipſius amore, totum id iuvenilis temeritatis eſt, nec aliter excuſo, dummodo ſceleris ſuſpicionem aboleam. Ex ijs, quæ dixi, vides primum me bona conſcientia *Gloriam* ipſi tribuiße, qua videbatur regnare in aula Cæſaris et apud Mathematicos, quos in libello ſuo alloquebatur. *Illuſtrißimam* autem cur dixerim, cauſam non reperio, niſi quod *Illuſtres* noſtri eam prædicant, et *Illuſtrißimus* prædicare videtur, dum eum in Aula habet, et quod pompoſum ingenium facile muſcam conſpicatur, ex qua faciat Elephantum. Eodem refero et id, quod, cum conſtaret de aliquibus, dixi (ſi modo dixi) ab omnibus doctis ipſum magnifieri. Certe enim MÆSTLINUM et TYCHONEM inter doctos habebam, quos ſciebam non admodum præclare de ipſo ſentire. Quod autem etiam plura in hunc modum declamaturus fuißem, ſi tempus tulißet, id non memini me polliceri. Imo illa de garrulitate aliena a Mathematicis proteſtatio non facta eſt ad excuſanda etiam plura huiuſmodi, ſed potius ad corrigenda priora. Quod ſi vero mea ſunt omnia

et

et ſingula iſta verba, quod Mathematicos huius ævi tantum præcedat unus quantum Phœbeius orbis minuta ſidera: me Chriſte magnam iniuriam multis præclariſsimis viris, atque adeo meæ ipſius conſcientiæ imprudens feci. Illud veriſsime dicere poſsum, nunquam me ullo modo ſerio, per luſum, publice, privatim, in os, aurem, ex animo volentem et prudentem hoc dixiſse, quod REGIOMONTANO, COPERNICO, RHETICO, REINHOLDO, TYCHONI, MÆSTLINO, cæteris unus URSUS præferendus ſit. Nunquam ſenſi, nunquam præſenti animo ſcripſi, nunquam tam flagitioſam adulationem probavi. Quod ſi verba mea genuina tale quid ſonant, quod neſcio, caſus in culpa eſt, meaque feſtinatio, et quod quid ſcripſerim, non relegi. Poëticum, ut vides, totum id eſt, et ex Poëta deſumptum, et poëtico ſpiritu dictum: quod non tantum iam nolo, ſed et tum, cum ſcripſi, nolebam, aliorſum rapi volebam, aliam repræſentari, quod antecellat vulgus, vulgus, inquam, Mathematicorum, quod et credebam, et citra præcipuam gloriam fieri poteſt. Non proteſtarer tanta aſseveratione contra manifeſta verba (ſi modo talia ſunt) niſi in ipſa illa epiſtola documentum maximum extaret meæ innocentiæ, quo de ſupra. Nam etſi quibus verbis TYCHONIS mentionem fecerim, neſcio, feciſse tamen ſcio: et eiuſmodi mentionem quidem, atque ex eiuſmodi opinione profectam, quæ merito URSUM pungat, ſi eum tam feliciter titillant hæc ſui ipſius elogia. Sed caute, ut video, poſthac ſcribendum erit. Adeo nunquam non ſalutare quippiam URSI in aurem inſuſurrando præcipiunt. Cætera, quæ allegas, levia ſunt. Præceptorem dixi, quia ex eius libro aliqua hauſeram utilia; Nobiliſsimum vero, quia in his provincijs Auſtriacorum nobilitati datur Eruditio et Munus aulicum; Hypotheſes vero eius feci, in quibus aliquid mutavit; nam ſi bene memini, Terram et ipſe voluit, et in Martis circulo diſcrepat, ſive, ut dicis, errat. Nam etſi ex MÆSTLINO de hac te inter et ipſum controverſia olim inaudiveram, tamen cum et MAGINUS in Italia et RŒSLINUS in Alſatia ſinguli pro ſe ſimile quippiam || ex hypotheſibus COPERNICI derivaſsent, exiſtimavi 109 idem et URSO excogitatu proclive fuiſse. Denique quod finis principio reſpondet, nihil mirum, nec ulla in voto improbitas, ut *valeat ſideribus et ſcientiæ*. Id equidem ſtudeat, maledictis omiſsis et vana oſtentatione. Decus autem Germaniæ mihi quilibet eſt, cui tantum tribuo, quantum illi tribuebam, quia nempe *Mathemata verum decus ſunt unius Germaniæ*. Hæc adeo prolixe, cum ut dolorem meum teſtarer iuſta querela, tum ut appareret, arbitrari me non omnino nihil ad meam exiſtimationem pertinere, quid tu de me ſentias. †

[Ex

[Ex apographo in codice Pragensi Archiv. Univ. 62 B 6]

25ᵛ CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO DOMINO DOCTORI THADDÆO HAGGECIO AB HAYCK, INCLYTI REGNI BOIEMIÆ ARCHIATRO ORDINARIO, AMICO SUO VETERI ET HONORANDO.

24ʳ S. D.



XOPTATE accidit, excellentißime et amantißime Domine Doctor THADDÆE, amice honorande, quod heri magnifici et amplißimi Domini CORADUCIJ, Procancellarij Imperialis, literas humaniß. Pragam ex mandato Sæ Imperatoriæ Maieſtatis, Domini noſtri clementißimi, me evocantes accepi. Et parerem ſane actutum huic auguſtæ et clementißimæ evocationi abſque ulla mora, ſtatimque iter ingrederer, ſi viarum tranſitus ubique ferme nivibus altis repletus id pateretur et equi idonei in promptu eßent; nam meos, uti ultimis indicavi, nuper Lipſiæ diſtrahi feci. Omnem tamen curam impendam, ut intra paucos dies pro uno vel altero curru alij coëmantur, aut ſi id commode fieri nequeat, conducantur, reſque meas ita diſponam, ut poſt 14 ab hinc dies iter, favente divino Numine, ad vos ſuſcipere queam. Spero enim itinerum nimias nunc difficultates tum minus obfuturas; et interea expecto nuncium, quem, ſtatim ac huc veni, in Daniam miſi, ut inde mihi novum adferret viaticum, conſumpto priore in itinere
24ᵛ Dreſdenſi atque hîc, quemadmodum me prius || tibi per literas ſignificaße memini. Sin vero is ob hyemis duritiem et perſeverantiam mariumque congelationem iſtic moram traxerit, ut ante dictum tempus adeße nequeat, dabo nihilominus operam, ut aliunde viaticum acquiram, ne ea de cauſa iter ulterius procraſtinetur, ſed aßumptis mecum paucis comitibus et miniſtris, reliquos unâ cum familia mea muliebri hîc relinquam, donec ad vos excurrens de Cæſaris clementißima voluntate certior factus fuero. Et, ſi intellexero vias per partem aliquam Sleſiæ commodiores, quam per Miſniam (ut multi exiſtimant) futuras, illac curſum dirigam, quanquam nonnihil longiore ambagine, ut ſperem, me intra quatuor abhinc hebdomadas vel circiter, conatibus noſtris favente divina ope, Pragæ vobis adfuturum. Cuperem autem quam maxime te ibi præſentem tunc reperire, ut tuo frui poßim alloquio, et abs te conſilium, ſicubi opus fuerit captare, cum ego tanquam peregrinus locorum et hominum ignarus ſim. Vellem etiam me in aliqua civitate, quam tranſire oporteat, tuis literis obvijs præmoneri, in quodnam Pragæ hoſpitium, quod a lue tutum ſit et mihi commodum, me conferre poßim. Mallem id publicum non eße, ut tranquillus degam et

propria etiam quadra, ſi id magis expediat, vivam. Per Sleſiam autem, uti opinor, tranſituro, quoniam (veluti intelligo) primum Branduſium Pragæ proximum occurrit, optarim me iſtac tuas, quæ me de hoſpitio et alijs neceßarijs inſtruant, invenire literas. Oportune vero accidit, ut hodie ſeſe offerret quidam auriga Olomucenſis, VALENTINUS MULLER nomine, alias vacuo curru Pragam, unde hiſce diebus venit, rediturus. Qui ciſtam quandam cum meis grandiuſculis unâ cum alijs thecis ſecum advehit, in quibus eſt inſtrumentum quoddam cocleis diſiungi et componi || aptum atque tam diſtantijs quam altitudinibus ſiderum 25r
accurate rimandis ſerviens, et præterea nonnulla alia huic exercitio deputata facile portatilia. Pepigi cum dicto auriga pro decem Ioachimicis, dimidium illi hîc ſolvi, reliquos 5 taleros eum a te accepturum promiſi. Rogo itaque, ut recepta in tuas ædes hac ciſta, velis fidem meam redimere et pecuniam hanc aurigæ meo nomine numerare, quam primum volente Numine advenero, tibi cum alijs mea de cauſa forte alias expoſitis nummis reſtituendam. Cuperem illo inſtrumento non ſaltem elevationem poli, interea dum ibi ſum, accurate denotare, ſed et obſervationi Planetarum, ♄ni præſertim tunc acronychij, diligenter attendere, cum ſit iuxta limites maximæ latitudinis boreæ, quo in loco ante 29 annos me eundem Auguſtæ Vindelicorum obſervaße memini, licet inſtrumentis tum non adeo exquiſitis inſtructus, ut nunc †
integra eius peracta ſit revolutio, quam in alijs quoque ipſius, quotquot interea habere licuit, acronychijs ſitibus diligenter examinavi, uti et in reliquis duobus ſuperioribus Planetis, quo Apogæa et Eccentricitates eorundem exactius, quam hactenus præſtitum eſt, præfiniri poßint, quod et ſatis præciſe me aßecutum nihil dubito. Sed de his et ſimilibus plurimiſque alijs coram Deo dante plenius agemus. Scripſi etiam magnifico et amplißimo D. CORADUCIO de occaſionibus, cur meus acceßus aliquantulum differatur, ut morulam hanc pro ſuo candore eo promptius excuſatam habeat, cui etiam tanquam fautori et promotori apud Cæſaream Maieſtatem benignißimo et habeo et perpetuo me debere agnoſco gratias relaturus, ſi vires meæ ulla ratione id unquam ſuſtinuerint. Vale mi charißime THADDÆE, utque te ſanum et proſperum Pragæ inveniam, tuaque deſideratißima frui poßim conſuetudine, faxit Deus. Dabantur Vitembergæ die 26. Feb. ſtylo novo †
Anno etc. 99.

Tui amantißimus
TYCHO BRAHE.

Saluta meo nomine quam officioſißime Dominum BARVICIUM. ||

POST

25v

POSTSCRIPTA.

INDICARAM tibi antea me quædam hîc Witebergæ typis complere in meis operibus decreviße, præſertim ea, quæ in Progymnaſmatum tomo primo tecum communicato deſiderantur. Cumque papyrus idonea ac priori ſimilis hîc vel Lipſiæ non præſtaret, egi cum Chartopæis in vicinia habitantibus, ut eiuſcemodi chartam in copia mihi pararent, at illi negligentiores negotium nimium procraſtinarunt, ut ob id eam, quam Wandeſburgi reſiduam habui in Dania propria mea moletrina confectam, nuper huc advehi curârim. Sed quoniam mihi nunc Pragam ex clementißima Cæſareæ Maieſtatis voluntate eundum eſt et iter maturandum, cogor iſta omnia infecta relinquere, donec inchoatam telam pertexendi commodior detur occaſio. Appoſui quædam carmina partim ab inſigni huius Academiæ Poëta et Profeßore TAUBMANO mihi, cum Dreſdæ eßem, mißa, partim a BRASCHIO eximio pariter Academiæ Roſtochienſis Poëta, interea dum hîc ſum, mihi impertita, ſi forte tibi ea legere vacarit; videntur in eo genere Horatianæ odæ arguta et erudita. Addidi etiam Domini Doctoris DAVIDIS CHYTRÆI literas, quæ etiam Dreſdæ mihi redditæ ſunt, ſi quidem in ijs tui faciat mentionem; poteris illas uſque in meum adventum reſervare.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

1v

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
VIRO DOMINO VITO WINSHEMIO, I. V. DOCTORI EXIMIO, ET DECANO HAMBURGENSI, AMICO SUO HONORANDO.
HAMBURGK.

1r

S. P.



LARISSIME et Præſtantißime Vir, Amice honorande. Accepi binas a T. Ex. literas, poſtquam huc Wittebergam veni, quibus iam antea reſpondißem, ſi per negotia licuißet, et tabellarius oportune in promptu fuißet, quo nunc ſe offerente, non intermittendum duxi, quin aliqua ſaltem, utut et nunc occupatißimus, ad te darem. Ago autem T. Ex. gratias, quod amicitiæ noſtræ memor, me ſuis inviſere non ſit degravata, et peto, ut tarditatem in reſcribendo prorſus candore excuſatam habere velit. Exiſtimo Ex. Tuam ex filio meo TYCHONE, cum iſtic eßet, adducturus huc Matrem cum ſororibus, intellexiße, in quo ſtatu res meæ eßent, et qua de cauſa huc Wittebergam me recepißem, monſtrato Magnifici Domini CORADUCIJ Procancellarij Imperialis reſcripto, quod, dum Dreſdæ eßem, nactus ſum. Præterita vero

ſeptimana mihi denuo allatæ ſunt Amplißimi illius CORADUCIJ literæ, me ex clementißima Imperatoriæ Maieſtatis Voluntate hinc Pragam benignißime evocantes, quarum exemplum addidi. Accingo itaque me nunc itineri, ut, quam primum fieri poßit, me iſtic Cæſareæ Maieſtati ſubiectißime ſiſtam, relicturus interea hîc Gynæceum meum, donec, quomodo Cæſarea Maieſtas erga me meaque ſtudia animata ſit, coram intellexero. Deus Opt. Max. faxit, ut omnia proſperos habeant ſucceßus. Cæterum Dominum OLIGERUM ROSENKRANTZIUM noſtrum de hac Auguſta (ut et CORADUCIUS eam in literis appellat) || † evocatione, certiorem per Tuam Ex. reddi, mißo illi hoc exemplo, aut 1v eius deſcripto averem, idque ut quam primum certus in illas oras datur nuncius expediat, peramanter rogo. Plura nunc non vacat. Te itaque protectioni Divinæ commendatum habeo. Datæ Wittebergæ die 2. Martij Anni 99.

Tuæ Excell. ſtudioſiß.
TYCHO BRAHE.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

OLIGERUS ROSENKRANTZ AD
TYCHONEM BRAHE.



IGNES ſpirant, noctesque dieſque meditantur,] ſed in proprias fauces regurgitandos.

[Si meo non certe affectu ullo temerato,] ſed gravißimis quam plurimis argumentis confirmato, et meditationibus, mihi crede, ſatis multis et conſtantibus maturo [conſilio parere volueris], quod ſpero, [ſuaſerim primum omnium, litteris regi deſtinatis inſulam Huennam quaſi gratias pro regia liberalitate] (prudenter et placide ſubmonitis ſubmonendis) [agens rurſum deferas], ut tamen quo [tua tibi cadant inſtrumenta], prudenter ɔ: Politice ſubmoneas. Alterum vero eſt, ne [expenſarum inviſam et odioſam reſtitutionem] vel ſaltem velle [exigere videaris], nedum vel [exigas vel exagites]. Vis, ſufficientes dicam rationes et mearum meditationem momenta. [Dicam, ſed ne quæſo mihi ſuccenſeas, bono] tibique optime [cupienti animo hæc dico]. Primum, ſi feceris, ante omnia, [magnanimitatem tuam] oſtenderis. Dein [te omnimodo liberum ab omni iuriſdictione Regis vindicaris], quod vel unicum quantum ſiet, ipſe perpende, quod tamen niſi hoc modo fieri nequit. Adhæc [ſi retineas, videas ne te tanquam *en Lenſmand,* ut bona tibi a Rege concredita inhabites, iure quodam ſuo cogere præſumat]. Et ut omnia uno: [quamdiu inſulam eam retinueris, tanquam ſubditus cuivis vocationi parere,] quibus certe magnas [tibi parare poßunt]

poßunt] incommoditates et difficultates, inſuper [citatus, ipſe, ſeu præ- 1v ſens comparere], quod ‖ tibi valde foret difficile et prorſus impoßibile, [aut quod ais pronunciatum perferre cogereris]. Et vero quid non [ipſe] magna tua cum laude et præter multorum exiſtimationem [eam deferre malles], cum [poßint ipſi, ubi velint, etiam quodam iure eam præcipere, pretendentes] quippe [litteras tibi a Rege conceßas] (quæ quidem [ad vitam eam] tibi [appropriat inſulam]) ſub [conditione] Aſtronomiæ [hîc in Dania excolendæ conceptas] eße. Tu ipſe [ingenia eorum noſti]; nihil certe intermiſerint, ut interim [immenſum iſtud diſcrimen inter alium aliquem nobilem Regis ſubditum et te] (in quo non poſtrema [bonitatis cauſæ tuæ] ratio vertitur) vel alto ſilentio [dißimulent] vel [malitioſe elevent]. Ad alterum cogites velim, quam nec natura nec eius imitatores quid fruſtra committant, [iure vero quidpiam tentare] fruſtraneum ſimul ac periculoſum, ubi et quod me tacente ipſe ſatis intelligis, [quam inconſtantes ſint principum animi,] ſimul ac [quam non corvus unus alteri, quod dicitur, oculos eruat], tecum attentißime pro tua prudentia perpendas velim. Bono hæc animo dico, fidem teſtor et candorem; nec dicerem niſi bono. Nec quidpiam video, licet videre nunquam non laborem, quod [rebus tuis ulla ratione adverſari queat et inſtitutum tuum tandem turbare queat], † præter [hæc duo]. Sed hæc Deo et tuæ prudentiæ.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD CHRISTIANUM
LONGOMONTANUM.

1r S.



CRIPSI tibi eruditißime et mihi plurimum dilecte M. CHRISTIANE bis, poſtquam huc Wittebergam veni, et ſemel a te literas accepi ſub initium huius anni Ripis datas, ubi et priores meas tibi redditas ex tuis percepi, alteras poſtmodum Roſtochium miſi, quas te, quamprimum per hyemis aſperitatem eo navigare licuit, ibi reperiße exiſtimo. Ad tuas vero nunc brevibus, cum antea non ſit oblata occaſio, reſpondebo. Gratißimam rem præſtas, quod in refutatione Capnuraniæ Scoticæ diligentem operam loces. Sunt ſaltem ſpecioſa et pompoſa eius omnia, ac veritati fucum faciunt. Invenies in libro noſtro ſecundo de Cometa anni 77. ſuo loco, præſertim ubi in NOLTIJ placita diſquiro, quantum in devia ab obſervatis detrudatur Cometes, ſi 5 proxime graduum parallaxin admiſißet. Subſidium, quod expetis ab alijs Cometis, evidentius rem oſtendentibus, ſatis firmum ſuppetit

Cometa

Cometa anni 80, qui et in meridiano || et in 90 gradu iuxta horizontem 1v non aliam declinationem mutavit, quam poſtulavit eius alteratio diurna, ex meridianis altitudinibus ſucceßive explorata, habita tamen refractionis in decliviori ſitu inſinuatione, ut de alijs nunc nihil addam. Verum has confirmationes a pluribus Cometis petitas poſtea ſubiungere licebit, indicatione aliqua prius facta in Antapologia tua, qua introſpecta, ulterius quid ſentiam ſcies, quod mallem præſenti oretenus, quam abſenti per literas indicare. De bruto Dithmarſico non ob id ſcripſi, quod a te redargutionem calumniarum eius expeterem, neque enim dignus eſt; ſed ſaltem ut denotares obiter in charta aliqua, quæ a noſtris domeſticis de plagio eius inaudiviſti, quemadmodum fecit M. CHRISTIANUS IOHANNIS Ripenſis, alterum expediet D. D. IOHANNES ROTHMANNUS, uti manes fratris defuncti poſtulant. Conſtitueram hîc edere ſex illos quaterniones, qui in ☾ deſiderantur, atque ſic Tomum primum Progymnaſmatum abſolvere, ut in hiſce Francofurdianis nundinis venalis extare poßit, et iam inchoatus erat labor ille Typographicus, poſtquam papyrum meam impreßoriam Wandeſburgo acceperam. Verum dum Eclipſi ☾ die ultimo Ianuarij diligenter hîc per mea inſtrumenta attendo, deprehendi eius || initium 2r per $\frac{2}{5}$ unius horæ quam proxime calculum prævertere, ideoque a propoſito deſtiti, donec huic deviationi proviſum fuerit. Scis enim me exactam requirere concordantiam, quoad fieri poßit. Nec ſatis mirari poßum, quî fiat, quod Eclipſis anni 81, in Ianuario etiam facta et prope Apogæum, tam belle noſtris numeris conveniat, hæc autem pariter iuxta Apogæum et eodem anni tempore ita diſcrepet. Suſpicor igitur aliquam adhuc inæqualitatem Anomaliæ Lunæ ſubeße, quæ poſt ali- † quot annos peracta Eclipſium ad ſimilia ferme loca reſtitutione præſertim iuxta Apogæum et Perigæum evidentius pateat, qua de re tecum, qui omnes noſtras Eclipſes diligenter examinaſti, atque ipſarum varietates perſpectas habes, conferre averem, ut eo citius huic obſtaculo ſuccurratur, quod facile fieri poße exiſtimo. Sum in alijs rebus occupatißimus, ut ſatis huic diſquiſitioni vacare nequeam. Si igitur me acceßeris cum auriga Wittebergenſi, ubi iſthuc reverſus fuerit, rem mihi apprime gratam nec tibi inutilem præſtiteris.

Sum denuo evocatus Pragam ex Clementißimo Cæſaris mandato, per literas amplißimi Domini Procancellarij CORADUCIJ, ut ex adiuncto exemplari vides; || et paro nunc omnia ad iter, quod tamen ante 2v Paſcha ingredi non licebit ob aquarum nimiam copiam, poſtquam nives ſubito dißolutæ ſunt, vias difficillimas et periculoſas reddentem. Si adfueris et me comitari libuerit, dabo operam, ut tuis rebus rectius conſulatur, quam uſpiam alibi, ſin vero hîc manere aut redire iſthuc mavis, erit et hoc tibi liberum. Ego tuis commodis quocunque modo,

quantumque

quantumque in me eſt, ſedulo ſtudebo. Non patiar, ullum erga te officium deſiderari. Vale et literas has nemini oſtende. Dabantur Wittebergæ die 21. Martij 1599.

[Ex apographo in codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°; cf. apographa Hauniensia inter Excerpt. Langebek. 179 et in fine exempli P. J. Resenii *Inscriptionum Haffniensium* (Hauniæ 1668)]

TYCHO BRAHE AD IOSEPHUM
SCALIGERUM.

141r S. P.



LLUSTRIS et Magnifice Vir, Amice inprimis honorande. Redditæ mihi ſunt tuæ literæ unâ cum libris mihi dono mißis ſerius quam expectaßemus, et ego, quod multis diſtentus fuerim negotijs atque alias varie præpeditus, nec in promptu eßet, qui meas certo referret, tardius etiam quam decuißet, quamque ipſe maluißem, reſcribo, quod mihi a tua ingenua humanitate condonari cupio. Pro utroque autem libro mihi tam benigne conceßo proque tuo non modico labore in excerpendis ijs, quæ apud HIPPARCHUM, et nonnunquam etiam PTOLOMÆUM in hoc negotio de Fixis Sideribus præcipua erant, ijsdemque propria manu in mei gratiam tanta diligentia conſcriptis, non poßum tibi promeritas ſatiſque dignas agere gratias, nedum referre, neque enim video qua ratione hoc tuum tam eximium in me beneficium compenſare valeam, animum tamen gratum, et tui honoris ſtudioſißimum ſemper me ſervaturum tibi perſuadeas, et ſi quæ ex mea tenuitate in hiſce, quibus utrinque afficimur, ſtudijs proficiſci poterint, ea non invite tecum vicißim communicabo. Fateris ipſemet, Vir Excellentißime, multa eße in his, quæ circa Fixas tam ab HIPPARCHO quam PTOLOMÆO conſignata ſunt, quæ ſuis numeris rite non conſtent, nec ſibi ipſis conſentiant, et ſane res ita ſe habet; ego enim paucißima in ijs reperio, quæ convenienter ad Cœli normam digeſta ſint, deviatione ſatis manifeſta prorſuſque intolerabili plurimis in locis ſeſe prodente, ſive id Obſervationum incuria (quas tamen ſic nimis craßas fuiße oportuißet) ſive tranſcriptorum negligentia aut quacunque alia de cauſa id commißum fuiße exiſtimemus. Si loca Fixarum a me ſumma diligentia præteritis aliquot annis explorata, pro quibus ipſum Cœlum etiamnum teſtatur, retro ad tempora PTOLOMÆI et HIPPARCHI, per motum interea ijs competentem, numeraverimus, atque hinc Declinationes, Culminationes, Ortus et Occaſus quoſcunque ad eadem quibus illi uſi ſunt Climata deduxerimus, certe rarißime cum eorum annotatis conſentire depræhendentur: Et licet nonnunquam concordantia aliqua inveniatur, tamen ea ἐν πλάτει tantum et nimis lato modo

ſumta

ſumta eſt; nullatenus enim admitti poterit ſtellas irregulariter et diverſimode interea motas fuiße, cum omnes uniformem et regularem in uno eodemque Orbe obſervent progreßionem, quod invariata earundem ad invicem diſtantia et diſpoſitio indubitate oſtendit, quæ vel hinc liquet, quod omnes Fixæ, quæ ab HIPPARCHO et PTOLOMÆO in uno lineæ rectæ ductu exiſtere proditæ ſunt, etiamnum eundem prorſus tramitem conſervent, prout a nobis ſedulo diſquiſitum eſt. Miror † itaque a tam Excel-||lentibus Artificibus non ſatis accuratam in his 141v præſtitam eße diligentiam, cum res ſit magni momenti, nec Planetarum motiones certo explorari queant, niſi prius ad amußim præfinita ſint Fixarum loca, quod etiam me in ijs, quæ PTOLOMÆUS circa Erraticarum apparentias tradidit, non parum reddit ancipitem quoad exactam illam, quam deſidero, rationem. Attamen loca inerrantium ſtellarum, quæ ex Abaco HIPPARCHI is ſuo Almageſto inſeruit, non videntur tantam enormitatem præ ſe ferre, atque hæc eſt, quam liber tranſmißus in pleriſque exhibet.

Verum his nunc omißis, quæ limitare, atque quatenus fieri poteſt in concinniorem rationem redigere, ſuo forte tempore elaborabimus, aliud eſt quod nunc potius deſiderarem, de quo etiam, ſi recte memini, prius te rogavi, ut nimirum Æquinoctiorum omnium ab HIPPARCHO obſervatorum rationes deſignatas obtineam, ita ut Annis Iulianis retro ſubactis rite applicentur, et ſimul quomodo Annus ille reſpectu bißexti ſe habuerit, indicetur: Cuperem vero ipſa HIPPARCHI verba, quatenus illa eiuſcemodi obſervationes concernunt, nihil enim horum in libris mihi impertitis invenire licuit; tum quoque ſi quas alias in his vetuſtißimas in promptu habes cœlitus deductas animadverſiones. Auſtrales Aſteriſmos nobis Europæis hactenus incognitos convenienti diligentia obſervatos necdum vidi, repræſentarunt quidem circa Polum Auſtrinum ſtellas quaſdam nobis incompertas Globorum in veſtra Batavia confectores; ſed nimis ieiuna et parca eſt iſta deſignatio, crediderim multo plures iſthic apparere. Si plenior et accuratior earundem deſcriptio penes te eſt, eamque mecum communicare non degravatus fueris, rem admodum acceptam præſtiteris. ALBATEGNIUM quoque fidelius quam antea caſtigatum, ſi tua opera aliquando obtinuerimus, non parum commodi hiſce ſtudijs inde accedet. Utinam Arabicum Exemplum obtinere poßes; neque enim dubito quin, cum linguæ illius, uti et plurimarum aliarum uſque ad miraculum, apprime gnarus ſis, hac in parte plurimum ſis huic ſtudio profuturus.

Porro ut rerum mearum ſtatum aliquatenus perſpectum habeas, ſcias me, poſtquam e loco prioris meæ habitationis diſceßeram, in Bohemiam ex Cæſareæ Maieſtatis clementißima voluntate cogitans, Dreſdam Miſniæ ubi pervenißem, omniaque in Bohemia ob luem Epidemicam

Epidemicam iſthic paßim graßantem conturbata eße cognovißem, ſubſtitiße ibi pauliſper, donec mihi ex Aula Cæſarea præſcriptum erat, ipſius Maieſtatem clementißime cupere, ut alicubi in vicinia me con-
142r tinerem, || donec malum illud Epidemicum remitteret. Ideoque huc Wittebergam propter Academiæ celebritatem me aliquantiſper recepi. Evocatus autem ſum nuper denuo Pragam, ex clementißimo Cæſaris mandato, per literas Amplißimi Domini RUDOLPHI CORADUCIJ Procancellarij Imperialis. Et quamprimum quædam in libris nonnullis, quos Cæſareæ Maieſtati humilime offerre decrevi, plane abſolvero (quod brevi me effecturum ſpero) denuo iter Pragenſe ingredi, atque Cæſareæ Maieſtatis benignißimæ voluntati debita ſubiectione morem gerere in animum induxi. Deus Optimus Maximus ſucceßus proſperos et exoptatos largiri dignetur. Ubi vero portum aliquem quietum pro meis ſtudijs, ſive iſthic ſive alibi invenero, plenius te de rebus noſtris edocebo, atque de ijs, quæ ſtudia hæc, quibus iucunde utrinque afficimur, concernunt, uberius tecum conferre non intermittam. Interim hæc, ob plurimas occupationes pro præſenti mittendi ad vos literas occaſione deproperata, boni conſule, inque cœpto erga me favore et amore perſiſte. Vale Vir Illuſtris et Excellentißime, ſeculi noſtri decus. Dabantur ſubito Wittebergæ die 17 Aprilis Anni 99, ſt. vet.

Illuſtri Magnif. tuæ addictiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria.

† [E codice Bernensi B 149 n. 407]

IACOBUS BONGARSIUS AD TYCHONEM BRAHE.

NOBILISSIME ET AMPLISSIME DOMINE.

TRES iam ſeptimanæ abierunt, ex quo redditæ mihi ſunt illæ, quas ad me dediſti IX Martij. Sed neque eas accepi, quas memoras datas ſub finem ſuperioris anni, neque FRANCISCUM TENGNAGLIUM vidi, quem a te, tanto viro, commendatum omnibus fuiße officijs proferebas. Non gravaberis itaque repetere et quæ illis litteris erant explicata, et quæ huius fidei commiſeras. Me certe, magno tuo merito, habebis ad omnia, quæ quidem ſunt meæ poteſtatis, ſemper paratißimum. Nec addo plura; ſed mandata tua exſpecto cupide. Tuas vero tute poteris committere bibliopolæ, qui CLAUDIJ MARINI WECHELIANI officinæ præeſt Pragæ. Francofurti 1. Maij 1599.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

VIRTUTE, ERUDITIONE ET GENERE VIRO 2v INPRIMIS CLARO, DOMINO OLIGERO ROSÆKRANTZIO A ROSENHOLMIO, AMICO INTEGERRIMO, CONSANGVINEO FIDELISSIMO, AFFINI AMANTISSIMO, AD PROPRIAS MANUS.

S. P. 1r



QUAS circa æquinoctium vernum huius anni ad me e Roſenholmiano tuo dediſti literas, OLIGERE deſideratißime, ante paucos dies hîc accepi. Excuſas ab initio tarditatem in reſcribendo, et quod meæ præpoſtere ac ſero ad te perlatæ ſint; alterum hoc ferendum eſt ob viarum intercapedinem et Tabellariorum incuriam, prius amicitia noſtra facile in meliorem partem interpretatur. Percipio ex hiſce, quod deſcriptum verborum Domini CORADUCIJ, Procancellarij Imperialis, quibus me, cum Dreſdæ eßem, de clementißima Cæſaris voluntate certiorem reddidit, legeris, idque tibi placuiße. Scripſit vero idem CORADUCIUS circa finem Ianuarij huius anni alteras ad me, quibus ex Clementißimo ipſius Cæſareæ Maieſtatis mandato me Pragam benigne evocat, quarum exemplar miſi ad D. D. VITUM WINSHEMIUM, communem noſtrum amicum, oblata nimirum occaſione per Tabellarium Hamburgum ſubito euntem, quo is illud ad te dirigeret, quod et ſe, nacta confeſtim oportunitate, feciße; paulo poſt mihi reſcripſit, ut te illud nunc accepiße exiſtimem, vel ſaltem dum in Scania eßes, ſimile extractum apud ſororem SOPHIAM vidiße, ut ob id reiteratione non ſit opus. Coactus autem ſum iter hoc Pragenſe diutius procraſtinare, quam vellem, partim ob itinerum impedimenta, per aquarum illuviem || poſt nivem ſubito reſolutam præter ſolitum inci- 1v dentia, partim quod Libri Cæſari deſtinati tam cito ac cuperem plane abſolvi nequierint, ſuperveniente etiam Filiæ natu maioris gravi invalitudine, alijſque nonnullis obſtaculis concurrentibus, quæ volens prætereo. Fuit interim Pragæ D. D. THOMAS FRANTZIUS, WINSHEMIJ Gener, quem noſti; is huc reverſus, multa de Clementißima Cæſareæ Maieſtatis erga me voluntate, et quam benigne quamque honorifico loco me habere conſtituerit, prout a Domino Procancellario CORADUCIO ſibi, ut ea mihi indicaret, iniunctum aiebat, retulit: quæ tamen hîc ſigillatim attingere nolo, verum ubi ipſemet illic præſens expertus fuero, quo in ſtatu res meæ futuræ ſint, te plenius de ſingulis edocebo. Profectus eſt dictus FRANTZIUS ante paucas hebdomadas hinc Hamburgum, ut inde ad comites in Orientali Friſia, quorum cauſas in aula Cæſaris agit, ſe conferret, cumque ante abitum eius

eius ſemel atque iterum familiarius invicem converſaremur, tuique ſubinde honorifica facta eßet mentio, aiebat ſe te quoque inviſurum, prout ab illo petieras, ſi modo res eius id ullatenus tolerarent. Ego vero, ut id faceret, ipſum adhortabar. Quod ſi præſtiterit, plura ab illo percipies, quam calamus nunc ſuſtinet.

Cæterum quæ de Inſulula iſta, quæ tanti mihi conſtitit, ſcribis et mones, tanquam ex candido et mihi bene cupienti animo profecta, candide et ſincere accipio. Argumenta, quæ adducis, ſatis probabilia ſunt, et licet apud me irrefragabilem Geometricamque demonſtrandi
2r vim non mereantur, ſiquidem || tam hæc quam plura eiuſmodi replicare et validiora ijſdem opponere non ſit difficile, tamen tuis et aliorum hac in parte conſilijs non prorſus reſiſtendum cenſeo; aliquantulum ſaltem temporis ad deliberandum, quid hac in re faciendum vel omittendum ſit, mihi concedi cupio, ne nimis præcipitanter quid agat. Neque enim certi quid mecum ſtatuere potero, antequam Pragæ Cæſaris Clementißimam de meis rebus voluntatem omnimode perſpectam habuero; tunc demum ſatis erit temporis de his atque alijs quidpiam concludere, nec ſane conſultum videtur prius ſponte Inſulam reſtituere: imo ſi retinerem, donec illi, prout in cæteris (quæ plus emolumenti attulerunt) factum eſt, quocunque tandem prætextu mihi eam adimant, forte plus commodi quam incommodi hinc ſum habiturus. Quid ſi aliquando mihi obijcerent, quod non fuißent eam recepturi, niſi ſponte reſtituißem, volenti nullam fieri iniuriam, et pleraque alia, quibus lubens ſuperſedeo? Minas certe eorum, quantæcunque ſint, non reformido, fretus cauſæ bonitate; viderint ipſi; ſpero quod Deus me aliquando a tantis iniurijs vindicabit, cuius præſidio dum nitor, fortuna omnis ſuperanda ferendo eſt. Plura et particulariora nunc nec vacat nec lubet. Accingo me, quantum poßum, ad iter Pragenſe, relicturus Dreſdæ Gynæceum, donec in Bohemiam excurrero. Tu vero, mi exoptatißime OLIGERE, unâ cum Coniuge tua et Nepte mea, reſalutata a me peramanter tam matre tua quam illa, felicißime vale.
2v Salutem ex te dixi Viris hîc Eruditis, quorum familiari notitia || prius uſus es, quod et antea feci, ſæpe enim tuam memoriam iucunde recolimus, illi vero te vicißim reſalutant, et optima quæque tibi et tuis precantur. Iterum vale. Dabantur Wittebergæ die 7. Maij Anni 1599. †

Tuus abſens ut præſens
TYCHO BRAHE,
manu propria.

Libros, quos expetis, per hunc Tabellarium mittere nec commodum nec conſultum viſum eſt; habebis eos alias; vel da operam, ut exemplaria Regi oblata, quæ ille ſine dubio reſpuebat, a RAMELIO accipias,

pias, qua de re ad ſororem SOPHIAM antea perſcripſi. Nunc ſaltem adiungo quædam Carmina Poëtarum duorum, quos noſti, et quorum venam probare ſolitus es.

[E codice Florentino Archivi publici Medicei vol. 65]

FERDINANDUS MAGNUS ETRURIÆ DUX
AD TYCHONEM BRAHE.



IR Ill^{ris}. Gratißimæ fuerunt mihi literæ Dominationis 167^{r}
Tuæ, tum quod præcipuum erga me præſeferant amo-
rem atque benevolentiam, tum etiam quod per eas oc-
caſionem oblatam video mutuæ voluntatis meæ aliquo
erga eius D^{m} officij genere declarandæ. Nam licet ipſa
mihi de facie, ut eius quoque teſtantur literæ, ignota fu-
erit, ea tamen, quæ de ipſius nomine ac virtute circunferuntur, D^{m} T^{m}
non minus mihi claram quam notam reddere potuerunt. Sed quando
ipſa fama ad id non ſufficeret, hanc tamen ex ijs duobus voluminibus
quæ ad me miſit, et in quibus vera hominis ſpecies innoteſcit, abunde
conſequi potuißem. Cuius quidem muneris pro eo ac debeo D^{i} T^{æ} gra-
tias ago. Illud enim propter ſubiectæ rei et novi operis rationem cha-
rißimum mihi fuit, ‖ et ſi quid otij dabitur aliquando, utar etiam ad il- 167^{v}
lud opus viſendum, alicuius in ea re verſato legentis opera. ‖ Et ſi illud 168^{r}
commode fieri poterit, ut reliqua D^{is} T. opera, qualiacunque hactenus
in lucem prodierunt aut in poſterum prodibunt, ad me tranſmittantur,
pro certo habeat in loco me non exigui muneris habiturum. ‖ Quod 168^{v}
vero ad illum adoleſcentem attinet, quem mihi maxime commendavit,
dabo operam, quemadmodum etiam hactenus factum eſt, ut et ipſe in-
telligat, quanti ponderis apud me fuerit D^{is} T^{æ} commendatio, et ipſa
quoque cognoſcat poße ſe ac debere non in hac ſolummodo re, ſed in
quacunque alia, quæ videri poßit ad eius D^{is} exiſtimationem et com-
modum pertinere, omnia a me ſemper officia polliceri. Quod reliquum
eſt, Deum opt. max. præcor ut D^{m} T^{m} diutius ſervet incolumem, quo
de præclarißimis artibus ac literarum ſtudijs benemereri longius poßit.

Datum .....

[Ex

[Ex adumbratione in codice Monacensi lat. 1607; cf. apographum manu scriptum in fine exempli Hauniensis P. J. Resenii *Inscriptionum Haffniensium* (Hauniæ 1668)]

180r NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO DOMINO TYCHONI BRAHE, DOMINO A KNUDSTRUP, MATHEMATICORUM OMNIUM FACILE PRINCIPI, DOMINO ET AMICO SUO SINGULARI OBSERVANTIA COLENDO.



UM hac ipſa hora, Vir nobilißime et Mathematicorum omnium facile Princeps, ex urbe Imperatoris literas acceperim, quibus certior factus ſum te eo veniße a Cæſarea Maieſtate vocatum, et plane confidam Maieſtatem ſuam pro ſingulari favore, quo Matheſeos artem proſequitur, ut inde aliorſum te conferas, ægre laturam et vix atque adeo ne vix quidem eße paßuram, omnino decrevi his literis de adventu iſto tuo tibi et mihi gratulari. Quod ſi aliqua in re ſtudia tua pro exilibus viribus meis iuvare poßem, haberes me paratißimum. Mallem equidem hoc ſaltem primo alloquio, animi mei propenſam in te voluntatem aliqua ratione potius declarare, quam quidquam a te petere, ſed cum inpræſentiarum nihil iſtiuſmodi occurrat, hoc tibi ſignificandum duxi. Ex traditione antiquißimi Authoris Poëtæ Romani, qui eo ipſo tempore vixit et floruit, accepi anno ante CHRISTUM quarto inchoante, ſummi miraculi inſtar habitum fuiße paßim ab omnibus, quod ſtella Veneris ſeu Lucifer, cum pro ratione motus ſui, ipſißimo illo tempore, ante Solis ortum lucere debuißet, nuſpiam in cœlo viſa fuerit, atque non apparente Lucifero dies illuxerit. Rationem eße ego conijcio, quod iam dicta Veneris ſtella tum temporis a ſtella Mercurij Eclipſin fuerit paßa, nec enim video, quanam alia de caußa hæc res prodigij loco poſteritati tradita fuißet, Romæ præſertim, ubi tum temporis quales quales ſaltem aſtronomi non defuerunt. Adhibui itaque calculum Prutenicum, et reperi, quod currente anno ante CHRISTUM quarto, die ſeptima Ianuarij circa Solis ortum ſtella Mercurij ſubierit ſtellam Veneris, ſed ex eodem calculo reperi quoque ſimul unâ, quod eadem Mercurij ſtella 2° 44′ latitudine tum Borealior Venere fuerit. Quare deſpondißem animum niſi ex Epiſtolis tuis Aſtronomicis, et quæ de Cometis ſcripſiſti, animadvertißem, te latitudines
180v præſertim ♀ et ☿ longe aliter obſervaße, quam calculus exhibeat. || Rem itaque hanc omnino ad te deferendam eße duxi, cuius de ea iudicium audire percuperem, ut quod merito cuiuſvis alterius ſit præferendum. Ad hanc meam petitionem accedit etiam alia. Soleo identidem Eclipſes luminarium, quæ ante CHRISTUM retro vel circa tempora CHRISTI, iuxta traditiones Authorum, contigerunt, ex tabulis Prutenicis ſupputare,

tare, et ea quoque, quæ PTOLEMÆUS in magna Syntaxi hac de re tradit, conferre (quæ quidem utplurimum calculo Prutenico conſentire videntur). Attamen calculus iſte non videtur ſatis exacte Eclipſes exhibere. Intellexi quidem ex præfatis Epiſtolis tuis Aſtronomicis te ex nova reſtauratione curſus ☉ et ☾ Eclipſes luminarium huius noſtri ſeculi, longe aliter et exactius deprehendere, quam ullæ tabulæ hactenus exhibuerint. Utrum vero accuratiſsimæ iſtæ tuæ obſervationes recentes eo rem deducant, ut etiam tempus et quantitatem illarum Eclipſium, quæ circa tempora CHRISTI et ante illam ætatem retro contigerunt, exactius definire queas, id inquam, ſpero quidem, neſcio tamen et non ſine ratione addubitare mihi videor, cum veteres utique obſervationes deſideres. Ideoque etiam atque etiam te rogo, ut hac quoque in re iudicium et prudentiam tuam mihi impertiri non dedigneris; ſumme enim deſiderarem defectus luminarium vetuſtiſsimos quoſque calculo (quoad eius fieri poteſt) præciſius aſsequi, et quanam ratione id fieri queat, reſcire. Quodſi ullo genere officiorum ſtudiorumque meorum hoc beneficium tuum in me collatum exæquare potero, ſemper ero promptiſsimus. Vale feliciter et has literas meas boni conſule. Datæ Monachij 23. Iulij Anno 1599.

Dom^is Tuæ Nobill^mæ ſtudioſiſsimus
IOAN. GEORGIUS HERUART ab Hohenburg,
Sereniſsimo utriuſque Bavariæ Duci a conſilijs intimis,
Præſes Schuabæ et Statuum provincialium
Cancellarius, manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD CHRISTIANUM LONGOMONTANUM.



INVENI peculiari Dei providentia et dono Cæſarem hunc RUDOLPHUM Secundum mei et eorum, quæ tracto, ſtudiorum clementi favore amantiſsimum, qui ſatis liberaliter mihi et meis hanc ob rem proſpicere non eſt tergiverſatus, veluti alias, Deo volente, ipſius Cæſareæ Maieſtatis erga me benigniſsimam voluntatem, ubi adfueris, intelliges. Introductus quidem ſum, ſtatim ac Pragam veneram, etiam antequam audientiam apud Cæſaream Maieſtatem habueram, in ædes Curtianas ſplendide et magnifice extructas. Verum cum præviderem, me iſthic in urbe, ob aulam tam amplam et hominum omnis generis maximam copiam, otio philoſophico vix perfrui poſse, exoptavi potius extra illam ſeorſim habitare. Quo intellecto [1r]

ipſius

ipſius Cæſarea Maieſtas poſtmodum tres eximias arces, unius vel etiam
1v dimidij diei itinere Praga diſtantes, ‖ per quendam nobilem virum,
mihi ut eo deduceret adiunctum, monſtrari curavit, ut ex ijs eam, quæ
meæ intentioni commodior videretur, eligerem. Quarum una eſt Bran-
diſium (ubi hæc ſcribo) verum quia cæteris nonnihil declivior, et pro-
priæ Cæſaris delectationi, præſertim ubi venationibus indulget, deſti-
nata, hîc habitare non viſum opportunum. Reliquæ duæ appellantur
Lyßa et Benachia, ambæ etiam ſplendidißimæ et iucundißimæ arces.
Inter quas Benachiam (quæ Venetiæ Bohemorum ob amœnitatem
interpretatur) prætuli, quo unâ cum omnibus meis hodie vel cras,
quod Deus fortunatum velit, introducturus eſt hic Capitaneus Bran-
deiſenſis, ex Cæſaris mandato ea de cauſa heri Pragam ad me evoca-
tus. Eſt locus editus, ut undique libere pateat Horizon, Ædificia ſplen-
dida et commoda; prope eſt parva civitas ad fluviolum Eiſer in Albim
2r excurrentem ſita, ipſique Arci quaſi contigua. ‖ Diſtat Praga 5 milliari-
bus, via exiſtente plana, ut iter ſaltem ſit 6 horarum. Hîc favente divina
clementia, cum meis habitare conſtitui, donec de feudo, quod Cæſarea
Maieſtas mihi pro me et mea familia poſteriſque clementißime addixit,
alicubi per occaſionem proſpectum fuerit. Interim domum etiam op-
portunam Pragæ ipſius Cæſarea Maieſtas mihi clementer concedere
vult, quam, quoties eo excurrero, cum meis inhabitem, ut commodius
degere et propria quadra vivere poßimus, etc. Datæ feſtinanter in
tranſcurſu Brandiſio, dum Benachiam petimus, die 20. Aug. ſtylo novo
An. 1599.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo Hauniensi excerpt. Langebek. 179; cf. apographum manu scriptum in fine exempli Hauniensis P. J. Resenii *Inscriptionum Haffniensium* (Hauniæ 1668)]

TYCHO BRAHE AD IOH. G. HERWARTUM AB HOHENBURG.

1r S.



IC eſt, Vir Nobilis et magnifice Amice, licet de facie
mihi ignote, plurimi tamen ob præclaras ingenij tui
dotes ſemper faciende, quod a Sacra Cæſarea Maieſtate
Pragam clementißime vocatus ab ipſius Cæſarea Maie-
ſtate, in ipſius Cæſareæ Maieſtatis clientem clementißi-
me ſim acceptus et liberaliter prout ferunt hæc tempora
mihi et meis ſtudijs ab ipſius Cæſarea Maieſtate proviſum. Conceßus
etiam eſt benignißime habitationi meæ locus hic in arce Benachia 5
miliaribus Pragâ diſtante, ubi commodius et tranquillius quam in urbe,
conſuetis

conſuetis meis exercitijs Aſtronomicis et Spagyricis vacare licebit, et opus Aſtronomicum, quod diu multumque molior, favente Cœleſtium Opifice in ipſius Cæſareæ Maieſtatis et Imperij honorem (ſiquidem ob quorundam inſcitiam et invidiam in patria mea id fieri nequiverit) abſolvere et conſecrare, qua etiam de caußa totum meum apparatum Aſtronomicum et ſupellectilem omnem, quam Magdeburgi reliqui, huc tranſferri curo.

Cæterum ut ad M. T. eruditas quæſtiones pro virili reſpondeam, ſic habeat. Veneris ſtellam anno ante CHRISTUM 4 inchoante cœlitus non conſpectam, magni miraculi loco ducerem, ſi res ea indubie conſtaret: ſit fides apud Autorem, qui cum Poëta fuerit, Privilegio forſitan Poëtico uſus eſt, cum ne quidem Hiſtorici, qui magis veraces haberi volunt, et certe eße debebant, in cœleſtibus oſtentis recte indicandis, experientiæ conſona ſemper proferant, adeo ut interdum Chaſmata quædam et ignitas aëris inflammationes, varias formas ſæpe exhibentes, pro Cometis habeant, quos tamen ipſo in Cœlo locum obtinere, illicque curſum ſuum abſolvere, e ſeptem, quos intra 22 Annos conſpexi, ratis obſervationibus demonſtrative comprobavi. Concedatur vero ♀^{ris} ſtellam tunc miraculoſe delituiße: ☿^{ij} tamen interventu id fieri potuiße, ut ſic Eclipſin paßa ſit, veriſimile non videtur, neque enim ☿^{ij} ſtella in cœlo tantæ apparet magnitudinis, ut ♀^{ris} ſtellam, quæ multo maior conſpicitur, abſcondere poßit. Adde quod ☿^{ij} ſtella luminoſa ſit, nec opaco corpore prædita ut ☾, ideoque ſi quando †
centraliter ♀^{ri} et viſui noſtro interponeretur, lumen ſuum illius lumini potius coniungeret, ſicque illud augeret magis quam imminueret. Taceo quod ob motus celeritatem diu ſub ♀^{ris} ſtella ☿ conſiſtere nequeat, niſi in eaſdem partes æquarentur ambarum motus, quod rarißime evenit. Præterea cum ipſemet ex calculo Prutenico adinveneris, ſtellam ☿^{ij} tunc fuiße $2\frac{3}{4}$ G. ♀^{re} borealiorem, ſatis partiliter et exacte pro Eclipſatione non iungebatur. Licet enim in latitudine non ſaltem horum duorum Planetarum, quos inferiores vocant, ſed et cæterorum magna diverſitas in cœlo ab utriſque tabulis deprehendatur, tamen adeo enormiter ☿^{ij} ſtellam quoad latitudinem exorbitare non animadverti. Obſervavi quidem ♀^{rem}, cum eßet circa medietatem ♓^{ium} iuxta Perigæum Epicycli (ut communiter loquuntur) latitudinem Boream aßequi poße partium 9 Min. 50, tribus gradibus plus quam fert Alphonſinorum calculus, licet is Coperniceum unico circiter excedat, ita ut in 10um G. completum excreſcere poßit eius ab Ecliptica in Boream digreßio; idque bis denotavi, utpote anno 1587 et 1595 interiecto (uti requiritur) octen-‖nio, quibus etiam temporibus ♀^{rem} intra triduum 1ᵛ
et quatriduum tam veſpertinam quam eoam meis inſtrumentis obſervavi et commutationem illius (uti vocat COPERNICUS) hinc promptius

tius reſtitui. Sic etiam in ☿^{io} et tribus ſuperioribus Planetis non modicam adinveni in eorum latitudinibus (veluti innui) a cœleſti norma exorbitationem, adeo ut ne quidem in tribus illis, ubi ſimplicior ratio eſt, limites maximarum latitudinum rite prædefiniti ſint a PTOLEMÆO, cuius placitis nimis ſecure acquievit COPERNICUS, nec nodi interſectionum circuituum Planetarum cum Ecliptica ita ſe habent, reſpectu Apogæorum, uti ex PTOLEMÆO aßumpſit idem COPER- † NICUS. Et ſi ea quæ de his tradidit PTOLEMÆUS, ipſius ævo cœlo conſona erant, oportebit nodos hoſce ſimulque limites maximæ latitudinis longe alium ſenſibiliter per ſe habere motum, quam is eſt, qui ab Apogæorum mutatione procedit, differentia nunc intercedente multorum graduum. Quin et [in] ipſa ☾ non minima conſpicitur in latitudine varietas atque a traditione anteceßorum diverſitas. In novilunijs ſiquidem et plenilunijs latitudinem maximam obtinere poteſt 4 partium et 58′, quæ Ptolemaicum limitem intra 2′ attingit. At in □^{tis} eandem tertia gradus parte iuxta limitem boreum et auſtrinum adauget, et quod magis mirum eſt, nodorum inſuper motum exhibet inæqualem ſingulis menſibus hinc inde reciprocantem, idque ſenſibili in- † tervallo, quod gradum 1 35′ attingit. Ex modo dictis itaque (de quibus tamen alias latius et particularius volente Deo agam) ſatis liquet, quod M. T. latitudinis Planetarum calculum e tabulis conſuetis erutum, non citra rem ſuſpectum habeat; nihilominus circa ea tempora, quando in ☿^{ij} latitudine e tabulis Prutenicis ſupputatio eſt inſtituta, uſque adeo magnum inſinuari potuiße errorem vix crediderim, quod PTOLEMÆI temporibus, quibus ille aſtrorum obſervationibus invigilavit, decies magis quam nunc ſumus propiora fuerint. Et canones Prutenici illo ævo Ptolemaicis quam proxime ſubſcribunt. At ſi in obſervatis PTOLEMÆI error aliquis ſubrepſit, quod non raro factum haud ſine cauſa ſuſpicor, fruſtra ſuper hoc fundamentum ædificamus; quare circumſpecte admodum, nec niſi limitatione competenti adhibita eius placitis utendum.

De Eclipſibus, quæ ſcribis, ita ſe habent quod Prutenicæ tabulæ ijs, quæ PTOLEMÆI ætate contigerunt, quam proxime conſentiant, nec tamen ſingulis ſatis præciſe adaptatæ ſint; conſtat enim COPERNICUM ad Ptolemaicas Eclipſes, quatenus in nonnullis fieri potuit, tanquam Epochas ſuos numeros applicuiße. In omnibus tamen accuratam amußim invenire non ſuſtinuit, ob aliam quandam inæqualitatis lunaris nec a PTOLEMÆO nec ipſo animadverſam implicationem. Neque enim tres Eclipſes prout illi factitarunt, ſufficiunt ad primam inæqualitatem ☾^{æ} enucleandam, ut de altera adhuc intricatiore hîc nihil dicam; ſed pluribus in diverſis Eccentrici ſeu maioris Epicycli locis opus eſt ijſdemque accuratißime denotatis. Ut vero hæc aliquatenus

tenus in uno ſaltem exemplo diſpicias, mitto deliquij ☾[æ] in principio huius anni pragmatiam, tam in triangulari demonſtratione ex hypotheſi noſtra, quam numeris correſpondentibus ab eximio Mathematico Wittebergenſi M. IOSTELIO, dum ibi aliquamdiu ob luem in Bohemia graßantem et alijs de cauſis ſubſiſterem, me concedente factitatam et typis excuſam. Ubi vero meæ tabulæ, favente divina ope, de motu luminarium (quas cæteris Planetis præmittere animus eſt) ſub auſpicijs Romani Imperatoris RUDOLPHI Secundi in lucem prodierint, teſtabitur experientia, eas non ſaltem noſtro ſeculo adamußim quadrare, ſed et vetuſtißimis illis Eclipſibus ſufficienter congruere, quatenus veterum obſervata ipſißimis Cœli apparentijs præciſe conſona fuêre. Et quid quæſo vel in ☾[a] vel cæteris Planetis ab omni vitio immune præſtare poterant, cum ſtellas fixas minus fideliter correctas adhibuerint, quemadmodum mille affixarum ſtella-||rum accuratißima 2r
reſtitutio in ipſo minuto adeoque nonnunquam eius ſemiße a me præteritis aliquot annis exantlata et nuper Cæſareæ Maieſtati in membrana manuſcripta ſubiectißime exhibita, abunde teſtari poterit, collatione cum conſuetis abacis inſtituta. Obtuli etiam eidem Cæſareæ Maieſtati in alio libro manuſcripto Solis et Lunæ reſtitutionem ad ſingulos dies duorum proximorum annorum, appoſita ſimul diſcrepantia utriuſque calculi Alphonſini et Copernicei, quæ ſubinde non exigua eſt. Quin et in tertio quodam eiuſdem formæ et magnitudinis libro †
Mechanicam Aſtronomiæ partem Inſtrumenta mea, quæ hactenus elaboravi repræſentantem, eumque typis, poſtquam Dania exceßi, impreßum, ipſius Cæſaris Maieſtati pariter humillime dedicavi. De hoc ultimo mißßem nunc tria exemplaria, duo pro illuſtrißimis Ducibus Bavariæ GUILHELMO ſeniore ac patre et MAXIMILIANO filio regente, tertium pro te ipſo, ſed nullum iam ad manus habeo quod coloribus rite illuminatum (uti vocant) exiſtit. Verum id Pragæ modo fieri procuro, quo peracto, quod modo dixi præſtabo: et forte plura etiam mittam, quæcunque tam cito deſcribi curare potero. Interim pauculis verbis indicare non degraveris, an dicti Illuſtrißimi Principes veſtri talibus afficiantur. Valeat T. M. quam felicißime et diutißime, meque literis ſuis, uti benevole incepit, eruditis ſæpius inviſere, atque amicitiam ſemel ijs, cum aliter vix liceat, inchoatam ijſdem continuare et conſervare pergat; inveniet me ad idem præſtandum quam paratißimum, ut nunquam ſic ſe certaße priorem pœniteat, omniaque ei ſtudia mea et quæcunque a me proficiſci poßunt officia, lubens polliceor atque offero. Cæterum quod non prius reſcripſerim, varijs occupationibus, quibus Pragæ præpediebar, et migrationi in hanc arcem nuperæ imputet, et candide excuſatum habeat. Volui iſtam tarditatem in reſcribendo ea, quam vides, prolixitate compenſare, quæ ut accepta

ſit

ſit rogo. Iamque iterum et ſæpius T. M. quam optime valeat. Dabantur ex arce Cæſareana Benachia die 31. Auguſti Anno 1599.

M. T. ſtudioſißimus
TYCHO BRAHE.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD OLIGERUM ROSENCRANTZIUM.

2ʳ S. P.



D eas, quas antequam Witeberga diſcederem, pauculis interiectis ſeptimanis, a te accepi literas, Exoptatißime mi OLIGERE, tunc reſponſum miſi, ſperoque id tibi iam pridem redditum. Abij autem inde cum meis omnibus circa Solſtitium Æſtivum, neque enim diutius iſthic hærere auſus fui, utut viatico, quod e Dania expectabam, non ſatis inſtructus. Scripſit enim aliquoties ad me THADDÆUS noſter, Cæſarem pene ſingulis diebus de me, an adveniſsem, percontatum eße. Nec tamen prius licuit profectionem inſtituere, partim quod tertius ille liber, qui luminarium reſtitutos motus exhibet, Imperatori deſtinatus, antea abſolvi nequiverit, partim quod filia mea natu maior, quæ periculoſe ibi decubuit, paulo ante id temporis primum convaluerit. In itinere autem Dreſdam a nobili et Magnifico viro Domino IOHANNE [LŒ]SERO, quem procul dubio noſti, Bretziæ in Arce eius humaniter invitati et laute tractati ſumus. Cumque biduo poſt Dreſdam venißemus, relicto illic apud civem quendam primarium mihi notum, Virum integrum et officioſum, Gynæceo meo, ipſemet Pragam, cum filijs et reliquo comitatu me contuli. Ubi ſtatim ac advenißem, a multis præcipuis Viris perhumaniter et honorifice exceptus ſum, inprimis vero a Magnifico Domino IOHANNE BARVICIO Imperij ſupremo Secretario, Cæſareæ Maieſtati a Conſilijs intimis, qui unus pene omnia agit apud Cæſarem. Is in horto quodam, non multum ab Arce remoto (ſiquidem non longe a Cæſare abeße audet) tam nomine Imperatoriæ Mai^{tis} quam Conſiliariorum et proprio, de ad-
2ᵛ ventu meo humanißimis ‖ verbis mihi congratulatus eſt, admodumque acceptum eße Cæſari meum acceßum referebat, eiuſque erga me etiam, necdum viſum, clementem animum deprædicabat. Cumque libros tres, Cæſari humillime offerendos, unâque Literas Electoris Colonienſis et Ducis Magnopolitani commendatitias monſtraßem, ſe de ijs Cæſarem percontaturum aiebat, ignorare enim, e cuius manu illa accipere velit; reſponſumque dedit ſequenti die, Cæſaream Maieſtatem a nemine alio quam me ipſo ea velle ſuſcipere, brevique in Arcem ad ſe me vocaturum.

 rum.

rum. Oſtendi etiam Domino BARVICIO quaſdam literas, ab Illuſtrißimo Duce OTTONE, Harburgi prope Hamburgum habitante, ad Illuſtrem et Generoſum Dominum RUMPHIUM Curiæ Cæſareæ Magiſtrum, præcipuæque poſt Cæſarem iſthic authoritatis virum, mea de caußa ſcriptas. Suaſit Dominus BARVICIUS, ut ipſemet eas illi intra diem unum vel alterum (quod alias per filium TYCHONEM fieri volebam) offerrem. Captata itaque commoditate, in Arcem curru vectus, ad eundem D^{num} RUMPHIUM mox introductus ſum, qui etiam benignißime me excepit, et perhumaniter affatus eſt. Inter alia vero aiebat, ſe multa relatione Præſtantium virorum prius de me inaudivißе; gaudere autem, quod nunc præſentem videat; ſed non poße ſe et alios ſatis mirari, quod Rex me e Dania dimittere voluerit, idque eius iuvenili ætati, quod Marti potius quam Arti operam daret, tribuendum cenſuit; at ego e contra Regem excuſavi, quamque virtute et ingenio polleat, extuli. Mox ille ſubiunxit: oportet igitur eos, qui ab illo ſecundi, et autoritate iſthic prævalent, aut bonarum Ar-||tium rudes, aut 3^{r} malevolos et invidos eße, cum Regis et Patriæ honori non rectius conſulant; ad quæ verba ego non multa reſpondi, id ſaltem ſubijciens, me non dubitare, ſi Regi omnia de me rite propoſita fuißent, ac ab ijs, quos intime habet, illi commendata, ipſum non minus, quam Pater antea, Laudatißimæ memoriæ FRIDERICUS, Aſtronomica mea excercitia in ſuo Regno conſervaturum; ſed forte peculiari Dei providentia ſic factum eße, ut ea, quæ in Aſtronomicis diu multumque molitus ſum, nunc alio, atque ad ipſum Imperatorem, Imperij caput, tranſferenda ſint. Hæc et ſimilia cum dicto Domino RUMPHIO (qui elegantißime Latine loquitur) verba commutans, literas prænominati Principis illi tradidi, iſque, diſcedentem aliquantulum deducens, meas res ſibi curæ futuras, ſeque eas apud Cæſarem promoturum, pollicitus eſt. Inſinuavit autem quidam ex Amicis poſtea, id quod Dominus BARVICIUS adeo urſit, ut in Arcem aſcendens ipſemet literas Domino RUMPHIO inſcriptas ei in manus exhiberem, id propterea factum, quod Cæſar e conclavi ſuo, quod e regione eſt, me hac occaſione antea videre vellet, quam ad ſe vocaret. Quamprimum vero ex Arce deſcenderem, mox obviam factus D^{nus} BARVICIUS in ædes quaſdam ſplendidas et magnificas (quas prior Imperij Cancellarius, Dominus IACOBUS CURTIUS laudatæ memoriæ Italica architectura exſtruxerat, et horto pulcherrimo cinxerat expenſis maioribus quam 20 Ioachymicorum) iußu Cæſaris introduxit ſingulaque in ijs monſtravit, ſubiungens, Cæſaream Maieſtatem eas mihi a vidua procurare velle, ſi placerent, in ijs a Domino CURTIO turriculam, quam cerne-||rem, ob id exſtructam, ut ob- 3^{v} ſervationibus cœleſtibus inſerviret, et eße eas ædes Arci atque habitationi Cæſaris vicinas, ut promptior ſit acceßus. Verum cum is ex

taciturnitate

taciturnitate mea, et quod dicerem, turriculam eam vix uni ex meis inſtrumentis ſufficere, nedum pluribus, colligeret animum meum non admodum eo inclinari, ulterius inferebat: Si forte Pragæ habitare mihi non luberet, conceßurum facile Imperatorem Arcem quampiam ex ſuis, unius vel dimidij diei itinere ab urbe diſtantem, ubi pacatius agerem, extra invidiam aliorum poſitus. Id cum magis mihi arridere animadverteret, præſertim cum dicerem, me, ut otio fruerer Philoſophico, non nimium ab alijs interpellatus, ob id maluiße in Dania inſulam eam inhabitare, ſubiunxit, ſe Cæſari id relaturum, et iam intellexiße, eius animum in has alteras partes inclinare; Cæſarem etiam de ſalario annuo mihi clementer impertiendo conſtituiße; de quo ubi audientiam, uti vocant (quod intra duos vel tres dies futurum exiſtimavit) nactus eßem, plenius mecum agendum. Elapſis mox pauculis diebus, Cæſar me in Arcem ad ſe accerſi iubet: conſtitutum vero fuit antea in Senatu, ut aulæ magiſter D^{ns} RUMPHIUS me ad Cæſarem ſolemniter introduceret, quod hoc eßet magis honorificum; at Cæſar id tunc temporis renuit, ſive quod quidam ex miniſtris RUMPHIJ ijs diebus peſte infectus et in civitatem delatus obijßet, ſive quod ipſius Maieſtas cum me ſolo, nemine præſente, loqui maluerit, quod et factum eſt; nam cum ad ianuam conclavis, in quo Cæſar eßet, me duxißet D^{ns} BAR-
4r VICIUS, ſe non ingredi, niſi a || Cæſare vocatum, inſinuans, extra remanſit. Ingreßusque ſolus ego ad Cæſar. Ma^{tem}, quam ſolam etiam menſæ cuidam in ſuperiori conclavis parte dorſo innitentem conſpexi, nemine alias in toto conclavi præſente, et ne quidem puero famulante, exhibitaque debita reverentia, Cæſar me ſtatim nutu capitis propius ad ſe vocavit; cum acceßißem, clementer manum mihi porrigebat; moxque paululum recedens, oratiunculam habui Latino ſermone, qua, ex ipſius Cæſar. Ma^{tis} clementißimo mandato, per literas ſui Cancellarij CORADUCIJ me vocatum nunc comparere, quod et prius, ſi res meæ id ullo modo ferre potuißent, fecißem, dixi, utque hanc moram clementißime excuſatam habere dignaretur, et me atque ea, quæ diu multumque tractavi, ſtudia Cæſareo favore proſequi ac ſibi commendata eße velit. Quo etiam nomine literas a Serenißimo Colonienſi Electore et Illuſtrißimo Duce Megapolitano ſcriptas, ipſi humillime porrigerem, moxque literas illas eius Maieſtati in manus tradidi, quas et clementer accepit meque præſente aperuit. Verum ijs in menſam repoſitis, et nondum lectis, ſtatim ipſius Cæſarea Maieſtas copioſiore etiam ſermone, quam ego eam alloquebar, mihi clementißime reſpondit; et inter alia gratum ſibi eße meum acceßum, atque me cum meis ſtudijs ſibi curæ futurum promiſit, ac inter loquendum blanditer quaſi arriſit, ut favorem eximium ipſo vultu oſtenderet. Verum omnia, quæ referebat, verba capere non potui, tam ſubmiße ipſa natura loquitur. Deinde ego,

ego, pro hac clementißima animi ſui indicatione humillime gra-‖tias 4v agens, de libris tribus, quos ipſius Maieſtati ſubiectißime dedicatos in promptu haberem, mentionem feci; quos cum ſe lubenter a me accepturam clementißime reſponderet, ego mox eos a filio TYCHONE, qui in exteriori conclavi expectans ſecum habuit, ad me recipiens, denuoque ingreßus, Cæſareæ Ma^{ti}, quæ adhuc menſæ aſtabat, in manus exhibui; quæ poſtquam eos clementißime accepißet, atque prope ſe in menſa repoſuißet, ego rurſus brevi narratione, quid ſinguli eorum continerent, ſummatim indicavi; rurſuſque ipſius Cæſarea Maieſtas ſermone ſatis luculento excepit, atque eos gratos ſibi futuros benignißime indicavit. Sicque præſtito honore diſceßi; et BARVICIUM ante ianuam adhuc præſtolantem reperi, qui ſtatim audito ſigno ad Cæſarem introvocatus, me, ut, antequam rediret, non deſcenderem, rogavit, ſtatimque reverſus dixit, Cæſarem automatum illud, quod in curru haberem (hoc enim, cum in Arcem curru veherer, per feneſtram conſpexerat) ſibi monſtrari cupere, illud itaque per filium e curru mox allatum, BARVICIO tradidi, atque eius uſum Cæſari oſtendendum monſtravi. Quod cum fecißet, atque ad me reverſus eßet, aiebat, Cæſarem dixiße, ſe unum vel alterum eiuſcemodi habere, quorum tamen nullum tam magnum eßet, neque penitus ea ratione factum, poße aliquem e ſuis Aſtronomis ſibi ad huius imitationem quoddam conficere, ſed nolle me eo privari; et addebat inſuper BARVICIUS, Cæſarem ſingulari Clementia et gratia erga me affectum eße, brevique negotio ad conſiliarios relato, velle mecum de ſalario ‖ annuatim numerando 5r atque habitatione idonea tranſigi curare. Interim iuberent, Gynæceum meum, quod Dreſdæ me reliquiße intellexerat, Pragam ad me advehi faciam, ipſius Cæſaream Maieſtatem nobis omnibus ita proſpecturam, ut ad commode vivendum nihil ſit defuturum. Quare ſequenti mox die filium TYCHONEM unâ cum CLAUDIO MULÆO, pro adducendo Gynæceo Dreſdam miſi, quod poſt octiduum Pragam advenit. Intera de ſalario mecum per eundem Dominum BARVICIUM et ſequentibus etiam aliquot diebus, per intervalla, actum eſt, ſiquidem is ſit occupatißimus, et nonnulli e Senatoribus Imperatoriæ voluntati non ſatis cito, uti fit, auſcultent, lenteque omnia in illa aula ob negotiorum magnitudinem et copiam procedant. Cupiente vero BARVICIO ex Cæſaris mandato, ut familiam meam, quanta ſit, et eorum, qui ad Artis ſuſtentationem requirerentur, ſummam conſignarem, atque magnitudinem horum omnium in taxa, uti aiunt, deducerem, primum quidem lubens feci; at alterum Cæſareæ Ma^{tis} Clementißimæ voluntati et libero arbitrio humillime commiſi. Quæ paucis poſt diebus 3000 aureorum in certa quadam pecunia mihi benignißime deputavit, et inſuper quædam alia accidentaria ...... pro œconomia et alijs rebus, quæ

quæ 1000, ſi computentur, excedunt. Hæc Senatus conſulto peracta ſunt, quibuſdam id facile approbantibus, at pluribus, uti fieri ſolet, nonnihil reluctantibus, quod nemo ex illis, qui pluribus annis Cæſari inſervijßent, tantum haberent ſalarium. Vicit tamen Cæſaris ......
5v ..... ci ut ſic fieret urſit, || cumque per prædictum Dominum BARVICIUM mihi hoc ſignificari curaßet, iußit inſuper dici, ſi hæc mihi non ſufficerent, et in poſterum quidpiam deſiderarem, nec ſibi eße accurtatam manum, nec mihi obturatum os, quod his ipſis verbis ad me idem retulit BARVICIUS. Quin et feudum ſecundum conſtitutionem Imperij hæreditarium, ut liberis et familiæ meæ poſt me conſuleretur, Clementißime nec invite addixit, quam primum aliquod in ſuis ditionibus vel Imperio vacarit, quod mihi et meis commodum eßet. Qua etiam de re literas, quas vocant promißivas, brevi accepturus. Et quoniam me Pragæ ædes Curtianas non admodum cupere (habui enim meas rationes, cum quod viduam, quæ eas adhuc inhabitat, mea de caußa emigrare nolim, tum quod nimijs viſitationibus, in tanta præſertim civitate, prope Arcem obnoxius eßem) intellexit Cæſar, promiſit nihilominus clementißime aliam in urbe habitationem mihi oportunam, quam, ubi eo accederem, ſive vocatus, ſive ſponte, cum meis commode incolere poßem, et propria quadra vivere minoreque ſumptu; forte tamen Curtianam illam ſuo tempore accipiam, ubi vidua ſponte emigrarit, quæ nunc, uti audio, novas affectat nuptias, more iuvencularum viduarum. Iußit inſuper Cæſar, præterquam quod Salarium meum ab eo tempore, quo ab ipſius Cæſarea Ma[te] vocatus ſum Pragam, etiamſi multo interiecto tempore non advenerim, incipere deberet, ut mihi 2000 florenorum ſtatim honorarij loco pro introitu darentur, quos
6r et accepi. Dixit quoque inter alia aliquando ad me BAR-||VICIUS [ſi] foret, ut ante decennium huc ad Cæſarem advenißem, [cum] omnia erant meliora et promptiora, nec ita difficultatibus obnoxia, uti nunc ob bellum in Hungaria, tunc Cæſarem potuiße multo faciliorem et liberaliorem ſe erga me præbere; cumque hoc ſemel atque iterum inſinuaret, ego quidem reſpondi, nihil adhuc periculi eße: Cæſarem Turca fere ſemper ſuperiorem fuiße, et Deum in poſterum ſuum Chriſtianiſmum protecturum. Verum tacite mecum cogitavi, neminem me ipſo magis dolere, quod non ante decennium ſtatim ab obitu laudatißimæ memoriæ FRIDERICI Regis Patria exceßerim, atque huc me contulerim, quod et tunc fecißem, niſi literæ a toto Senatu .... magno meo incommodo, maximoque rei familiaris diſpendio, me ... . de his alias agemus, non iuſtum ſit, ut aliqua mihi fiat pro tantis expenſis compenſatio. Quibus tranſactis, per Capitaneum quendam Cæſareum, eius Ma[te] ſic iubente, in Arces prope Pragam diſpoſitas deductus ſum, ut ex ijs eligerem aliquam, quæ mihi et meis ſtudijs commodior

commodior foret. Nomi .... et aliæ; ſed quoniam ut ex ijs una
cum civitatibus propinquis p .... arat, et tertiam in edito poſi-
tam, Cæſar .... enter accederet, qui quondam Bohemici Aulæ Ma-
giſtri fuerat, et Cæſar ſecundum iuris ten .... ata, dißuaſit Domi-
nus BARVICIUS earum perluſtrationem. Eæ vero, quas v .... um
unius vel etiam dimidij diei profectione Praga abſunt, quarum prima
dicitur Brandeiß, eſtque potißima Cæſaris Arx in vicinia ſita, utpote
tribus ſaltem milia-‖ribus Praga diſtans, in quam ſe delectationis gratia 6v
interdum ſe ..... venationes habet circumquaque præcipuas. Altera
Lyßa dicta eſt, etiam .... da, 4 milliaribus ab urbe remota. Tertia
Benachia appellatur, qua .... ſub initium huius anni a ...... ru-
vij cuiuſdam ſenio confecti et defuncti .... nis, producentis quin-
decim .... int, illi enim, non ſatis concordes, hæredita-
tem alias inter ſe dividere nequiverunt, ſed ſponte Cæſari hæc bona
vendiderunt. Perluſtratis itaque his tribus, deducente Capitaneo, Arci-
bus, et in ſingulis benigne et honorifice exceptus, prætuli Benachiam,
6 horarum itinere (eſt enim via plana) Praga ſemotam, quæ ob loci
amœnitatem et fluviolum Iſaram circumlabentem atque in Albim
poſtea ſe exonerantem, Bohemorum vernacula lingua ſonat, ac ſi di-
ceres Venetiæ Bohemorum, eſtque in edito et aprico loco ſita, iucun-
dißimo proſpectu, adiacente parva quadam civitate, in qua religio,
quam Evangelicam vocant, prævalet, plurimis tamen ex Picardis, qui
Calviniſticæ (quam Sectatores orthodoxam nuncupant) appropin-
quant, in eadem degentibus. Cum Cæſar intellexißet, me hanc Arcem
præ ceteris eligere, mox per prædictum Capitaneum, qui Brandußijs
præeſt, me huc introduci curavit, ubi nunc cum familia, commode et
pacate, quod Deo acceptum fero, ſolus habito, nemine obſtrepente aut
interturbante, ſed dicto Capitaneo ex voluntate Cæſaris omnia officia
mihi lubenter exhibente. Qua etiam de caußa ‖ intra unam vel aliam 7r
ſeptimanam Brandußio huc accurrit, ut mihi in ijs, quæ requiruntur,
præſto ſit. Mandavit etiam Cæſar eidem Capitaneo, ut omnia neceßaria
pro obſervatorio, meis inſtrumentis omnibus rite diſponendis idoneo,
actutum procuret, quo iuxta meam ordinationem omnia ante hyemem
appoſite exædificentur, tum quoque ut laboratorium, ea qua voluero
ratione, mihi oportuno loco confici curet, et omnia, quæ alias a Me-
chanicis fieri velim, ſolvat. Si hæc mihi in Patria evenißent, quantis
ſumptibus pepercißem, pro quibus nunc mihi nulla reſtat gratia, ſed
potius ingrata omnia [nihil feci]ße benigne. Obtulit inſuper Cæſarea †
Maieſtas ſponte ſua, ſe novum Uraniburgum Arcem in ſuo territorio
ſuiſque ſumptibus ædificaturam, quod Danico illi non cederet, ſed
multis paraſangis excederet. Delectatur enim ipſius Cæſarea Ma^{tas}
ſummopere non ſaltem Divina illa Aſtronomia Mathematiciſque ſtu-
dijs,

dijs, ſed et architectonicis ſtructuris, quæ e Geometria et Perſpectiva fluunt. Cumque ipſius Maieſtas Libros ſibi a me humillime oblatos (de quibus antea memini) diligenter perlegißet, adeo ut in multam noctem primis diebus, referente id BARVICIO, ijs occuparetur (neque enim tam abiecti apud ipſum erant, quemadmodum in veſtris oris) a me multa de eorum contentis per eundem BARVICIUM ſciſcitatus eſt, et placuit illi valde ſtructura Uraniburgi in primo tomo deſignata. Sed cum laboratorium in ea tam cito reperire non poßet, id ſibi indicari voluit. Placuerunt cætera omnia, ita ut Dominus BARVICIUS
7^{v} eos Cæſari ac-‖ceptißimos eße mihi retulerit.

Ex iam recenſitis, Amantißime OLIGERE, rerum mearum ſtatum, qualis nunc ſit, intellexiſti. Agoque Deo propitio gratias, quod ſic mihi et meis proſpexerit, ut ex adverſitatibus illis, quas in Patria diu multumque paßus ſum, eluctari potuerim, et mihi et meis rectius conſulere. Speroque in poſterum, eodem Divino Numine favente, adhuc proſperiora. Cæterum de honoribus et dignitatibus Politicis mihi oblatis, imo antequam Pragam venirem, cum adhuc Witebergæ eßem, deputatis (prout forte ex Domino Doctore FRANTZIO, Domini Doctoris VITI WINSHEMIJ genero, aut oretenus; aiebat enim te, in Orientalem Friſiam abiturus, inviſere velle; aut per literas intellexiſti, quemadmodum is ex Domino CORRADUCIO Procancellario hæc, cum Pragæ eßet, ſe accepiße aiebat, ut mihi referret, quo promptius accederem) nihil nunc addere volo. Suaſerunt Pragæ amici quidam, ut talia ſuſciperem, quæ tamen ſemper ex alto deſpexi. At ſi facturus ſum, propter veſtrates, qui me tam inſolenter contemptui habuerunt, facturus ſum; quod et THADDÆO noſtro urgenti dixi; verum is ſic ſubiunxit: *Non tantum propter tuos Danos id admittes, ſed etiam propter noſtros Bohemos, adeoque in ipſa aula aliqui tam obtuſo et ruſtico ingenio, et non minus quam veſtrates ignorent diſcernere inter aurum et orichalcum, attamen aliqui inveniuntur, qui rectius iudicent, quique, licet æque atque tu honores Politicos, reſpectu virtutis et doctrinæ eximiæ, parvi ducant, ob vulgarium*
8^{r} *tamen iudiciorum captum, quo commodius in mun-‖do vivatur, ita faciendum exiſtimant. Qui, quamvis pauci reperiantur, tamen præ cæteris iudicio valent, tuique ſunt amantißimi, quos partim hactenus pro primo hoc congreßu noſti, partim in poſterum plenius tibi innoteſcent.* In hunc modum ille. Verum de his poſtmodum diſpiciam, ſi non ea prorſus deſpiciam; neque enim in ijs quid conſulto et diſcrete fieri poteſt ante Mag^{ci} Domini CORRADUCIJ Procancellarij reditum e Roma, ubi Legatum Cæſaris nomine apud P. M. agit, qui circa Michaëlis feſtum expectatur. Neque etiam volo, ut prius quid in talibus concludatur; eſt is mihi admodum favens, licet de facie ignoti

adhuc ſimus, Mathematicarum quoque rerum, ut dicitur, amantißimus, hac in re anteceßoris CURTIJ æmulus.

Habes nunc, charißime mi OLIGERE, hiſtoriolam mearum rerum, ex quo e Germania in Bohemiam cum meis migravi; de ijs, quæ antea facta ſunt, meoque e Dania diſceßu probe omnia noſti, ut ea repetere non ſit opus, quæ meminiße animus horrens iterare refugit. Et certe † videor hiſtoriolam potius quam literas conſcripſiße, dum calamo lapſo teque fuſius alloquor, quo [de] rebus meis plenius edoceare. Quam tamen prolixitatem tibi non ingratam fore, cum alias literas humaniores, adeoque ingentia librorum volumina, non, ut alij, qui Nobiles haberi volunt, faſtidias, mihi perſuadeo. De libris vero tibi promißis (ut tandem aliquid ſubiungam) ſic habe. Non immemor ſum pacti, nec difficilis ad ſervandum; ſed cum exemplaria omnia de Mechanica Aſtronomia, quotquot coloribus exornata, ſive uti vocant illuminata, ... ‖ Pragæ ſuis coloribus imbui, quod 8^{v} ubi factum fuerit, obtinebis non ſaltem hunc primum tomum, ſed et alterum de affixarum reſtitutione, tum quoque tertium de luminarium a me correcto motu, quem tamen ultimum denuo e prima conceptione deſcribi curare oportet, cum nullum mihi ad manus mundum ſit exemplar, poſtquam illud, quod Witebergæ exaratum eſt, Cæſ. Ma^{ti} unâ cum reliquis obtulerim. Ne ſis itaque huius moræ impatiens, mi OLIGERE, habebis et hæc et alia ex meis, favente Numine, quam primum fieri poterit, nec ſine fœnore. Interim relinque ſorori noſtræ SOPHIÆ eos, quos Regi deſtinaram (hos enim repudiatos et RAMELIO donatos ipſam conſequi poße intellexi) quod etiam non diſplicet, malo etenim ſic fieri, quam ut in invidorum et in oſorum manus pervenirent.

Supereſt, ut calamum ſiſtam, niſi hoc unicum ſuperaddere luberet. Inſulæ Huennæ, quam iſtic inhabitavi, reſignationem voluntariam, quam ſuaſiſti (de qua etiam me, cum huc venirem, plenius reſcripturum . . . ui) nullatenus approbare animus eſt, dißuadentibus etiam ijs, qui Politicis non perfunctorie imbuti ſunt, imo quibuſdam id mihi vitio datum iri, tanquam præ contumaci inſolentia, poſtquam ad Cæſareas partes tranſivi, hoc facerem, quaſi Danos meos, et quæ iſthic haberem, præfracto animo negligerem. Si vero inſulam ij, qui .... præſunt, mihi auferre voluerint, ob id quod ad Cæſarem me contulerim, ipſius Cæſaream Mai^{tem} aut operam daturam, ut Rex Daniæ nihil damni mihi ſua de caußa inferre patiatur, aut id, quicquid erit, alia ratio-‖ne 9^{r} compenſaturam. Obijcient veſtrates, quicquid velint, facilis erit reſponſio, ſi modo iuſtitiæ et veritati ſit locus; ſin minus, tranſeat id cum cæteris, et iuſtus iudex omnia decernat. Iamque cum coniuge tua, Nepte mea dilecta, quam felicißime vale, integerrime OLIGERE, ſalutata

tata unâ cum hac Matre tua Nobilißima et honeſtißima ac ſimul alijs amicis, ſi qui in Cimbria veſtra mei memores adhuc ſuperſint, quos aliquos ſaltem adhuc reſtare crediderim. Iterumque et ſæpius quam optime vale, meque de tuis rebus luculenter etiam prima quaque occaſione certiorem effice. Dabantur ex Arce Cæſarea Benachia die 9. Septembris Stylo novo, Anni Domini 1599.

Totus Tuus
TYCHO BRAHE,
manu propria.

Non vacat relegere, ipſemet diſpicias.

Cum hæc vix exarata eßent, vocabatur Capitaneus Brandeiſenſis, qui hîc mecum convivabatur, Pragam ad Cæſarem, ubi poſtquam per decem dies adfuißet, reverſus ad me, ſe ſolummodo mea de caußa iſtuc accerſitum referebat, uti in abſentia Cæſaris, qui indies abitum Praga, ob peſtem et dyſenteriam iſthic invaleſcentes, verſus Lynzam moliebatur, mihi quævis officia præſtaret, atque, quæ deſiderarem, ſive ad ſtructuras, ſive alia, procuraret, et inſuper innueret, quæ in meis rebus tam cito ob feſtinum Cæſaris abitum expediri non poßent, ea poſtea, cum Cæſar ad quietiorem locum pervenerit, complenda. Interim vero dum ibi eſt, Cæſar, intellecto, quod anthidotum aliquod contra morbos hoſce Epidemicos a me dono accepißet, per Dominum BARVICIUM id ab ipſo poſcens, ſibi reſervavit, mihique ſcribi mandavit,
9v ut præparationem eius ipſum ſcripto || docerem. In continenti itaque ad ipſius Cæſaream Ma^{tem} datis Latine literis (quarum hîc tenorem habes) humillime expoſui, quæ eius Maieſtas Clementißime expetierat. Sic et tu habes deſcriptionem medicamenti a me excogitati, et in uſu habiti contra luem Epidemicam præſentis. Aliud exemplar Sorori SOPHIÆ communicavi, per te ſolum illi exponendum, quod et in literis ad ipſam datis monui, alias ſecretum utrinque habete. Vides inſuper hinc, quam confidenter, imo quaſi familiariter ipſi Cæſareæ Ma^{ti}, et quidem obſignatis literis, ut nemo Conſiliariorum aperiat, ſcribere auſus ſim .... Maieſtate Clementißime .... agit .... quam me meave in Patriam .... tias dici, et pro literis meis et meo .... in copia aliqua, quales in montibus .... eliciam arte Spagyrica non tan .... Praga cum Conſiliarijs, totaque Aula .... tranſlatus dicitur. Quidam ſe .... nirent, Pragæ primum examin .... iecti ſunt. Aiunt nihilominus .... pacis quærat; ſed videtur id m .... figere

puppibus arma et bella .... Præſertim Principibus German .... Valachiæ heros conſtans et fortis .... Cardinali; cui SIGISMUNDUS Ba- .... ſtituit quod felix et conſtans .... Interea dum hæc et alia ſcribo .... CRAMERUM tuum meumque perſtrin .... iunсto exemplo vides .... atque non ſaltem tui ob diutinam .... bus latius ſcriberem, cum doc .... theſibus meis quomodo DUNCAN .... bus literis hac de re ad me ſcrip .... nonnulla quæ rectius ſcit dißim .... *Hand kand faa mere en anden* .... *bort.* Interim cogitet, quod am .... ‖ 10r nec fecit unquam, ſed per te a .... tamque diutina familiaritate .... reticet. Iamque iterum et quam ....

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHONI BRAHE IOAN. GEORG HERWART AB HOHENBURG. 1r



LITERAS tuas, vir nobiliß. atque mathematicorum omnium facile princeps, Benachiæ ultima menſis novißime elapſi ad me datas, unâ cum adiuncto deliquij lunaris calculo et ſyſtemate probe accepi, et in primis magnopere ſum lætatus, ſacram Cæſ. Maieſt. id quod fore animus mihi iam antea præſagiebat, tibi tuiſque ſtudijs pro dignitate et meritis proſpexiße, atque eius nomine mihi quoque ſubinde gratulor, quod hac ratione et amicitia tua, uti plane confido, frui et forte aliquando te quoque convenire et coram aliqua tecum conferre queam. De patria vero tua quod te ſic amiſerit, non miror. Quis enim unquam vel Propheta acceptus in patria?

Quæ ſcribis de Veneris ſtella, quæ aliquando præter ſolitum non comparuiße traditur, perplacuere, et gratias ago tibi magnas, quod magno ‖ 1v me dubio liberaveris. Cum enim mihi perſuaderem, poße Veneris ſtellam, ſubeunte ſtella Mercurij, Eclipſin pati, atque etiam ex calculo Prutenico eo ipſo tempore ☌ ♀ et ☿ matutinam, paulo ante ortum Solis talem, in qua ☿ infra ♀ eßet, animadvertißem, incertus animi eram, quid hac de re foret ſtatuendum. Cæterum rationibus tuis prægnantibus omne mihi dubium ex animo exemiſti.

Illa porro, quæ de motibus luminarium et eorundem defectibus ſubiunxiſti, fuerunt mihi lectu iucundißima. Immenſum vero quantum gaviſus fuerim, cum ex hypotheſi tua Lunæ, adeoque tota illius theoria

et

et ſyſtemate animadverterem duplicem illam variationem, tam ſemimenſtruam ex duplici motu ☾ a ⊙, quam annuam illam ex diſtantia ⊙ aut ☊ dependentem atque nodorum quam innuis reciprocationem tandem aliquando tuo Marte innotuiße, quæ ſimul unâ pariterque et 2r veteribus et re-‖centioribus, imo vero vetuſtißimis etiam et novißimis quibuſdam authoribus de ipſa Lunâ, ſidere infimo et cuius obſervatio omnium facillima videri queat, incognita fuerant. Neque iam dubito, quin ex his tuis fundamentis, non modo recentiora, verum etiam vetuſtißima quæque φαινόμενα exactius haberi queant. Eandem enim utique, vel ſaltem mutatis mutandis conſimilem olim habuit rationem motus Lunæ, quam qualemque tu modo accuratißimis tuis rectificatißimorum, quoad eius fieri poteſt, inſtrumentorum obſervationibus eruiſti.

Nec me movent obſervationes illæ a PTOLOMÆO et veteribus habitæ, cum plus ſatis conſtet, quam craßa Minerva veteres illi artifices aſtronomicas obſervationes tractarint, deſtituti non modo idoneis inſtrumentis, verum etiam ut plurimum calculi quoque præciſa ratione, id quod ARISTARCHI Samij, AUTOLYCI et HIPPARCHI Bithynij libelli, qui ad nos pervenere, cuivis facile fidem facient, plerum- 2v que enim ἐν πλάτει proportionem ali-‖quam forte harmonicam, vel numerum aliquem rotundum, qui non multum a vero diſcrepare videbatur, quæſiverunt, eoque contenti pauca quædam minuta nihili æſtimarunt, imo vel unius gradus quadrantem non magni fecerunt. Ipſe quoque PTOLOMÆUS quoad latitudinem Lunæ, de qua ſcribis, cum acquieverit ERATOSTHENIS invento, quo is ſolſtitialium punctorum diſtantiam ad integrum circulum ſe habere (ἔγγιστα) ut 11 ad 83 ſtatuerat, conſequenter neceßario obſervationis ea ratione, qua uſus eſt, ob aßumptam a ſe nimiam iſtam Zodiaci obliquitatem, minorem iuſto latitudinem Lunæ inferre debuit. Quodſi, ut credi par eſt, PTOLOMÆI temporis obliquitas Zodiaci tanta non omnino fuerat, quantam ex præfata ERATOSTHENIS opinione et HIPPARCHUS et PTOLOMÆUS eam admiſerunt, ex ipſißima PTOLOMÆI obſervatione in- 3r ferri poteſt, maiorem etiam tum fuiße ☾ ‖ in quadraturis latitudinem, quam eam quæ numero rotundo quinque graduum a PTOLOMÆO proditur.

Inaudivi quoque libenter, te tabulas tuas de motu luminarium, ſeorſim typis excuſas, cæteris Planetis præmittere ſtatuiße. Spero enim hac ratione futurum, ut tanto citius ad nos perveniant. Et forte longe omnium circumſpectißime ageres, vel ſaltem deſiderijs plurimorum affatim ſatiſfaceres, ſitimque noſtram aliqua ex parte reſtingueres, ſi ſolas, nudas, puras, putas tabulas de motibus luminarium, inſtar Prutenicarum, ſine omni demonſtratione, præmitteres atque maturares.

Muſæ

Muſæ profecto meæ te ſupplices orant, obſecrant, obteſtantur, ut quanto
citius tuo beneficio Eclipſes luminarium exactius ſupputari poßint, id
quod ex nudis tabulis fieret quam commodißime, atque interea tem-
poris exemplo diſcipulorum magni illius PYTHAGORÆ merito at-
que iure optimo, τὸ αὐτὸς || ἔφα rationis loco allegaremus, donec ap- 3v
paratum iſtum obſervationum atque demonſtrationum tuarum con-
cinnares.

Communicaſti iam mihi, quod cum maxima gratiarum actione re-
fero, totam rationem Syſtematis tui Lunaris, adeo ut præter epochas
mediorum motuum atque diurnum cuiuſvis medium motum quoad
Lunam vix aliquid in reſiduo eße videatur. Quod ſi tantundem in Sole,
æquatione temporis etc. fieret, poßet iam quis per multiplicationes et
reſolutiones triangulorum abſque tabulis ulterioribus calculum Eclip-
ſium abſolvere. Id propterea refero, quia multiplicationes et triangulo-
rum reſolutiones, quæ vicem tabularum mediorum motuum et æqua-
tionum ſupplere poßunt, ego parum moror. Soleo enim ſine multipli-
cationis ambagibus, ſolius additionis ope, numerum ex multiplicatione
producendum facillimo tramite invenire, et conſimiliter ſine omni di-
viſionis labore atque tædio ſola ſubtractionis ope quotientem in quovis
genere calculi, tam vulgari, quam ſexagenario, reperi-||re, atque ob id 4r
ſine faſtidio et temporis tractu triangula quæque, etſi radius inſtar
VALENTINI OTHONIS ſit maximus, facile reſolvere. Hoc autem †
unicum unice exopto, ut Eclipſes aliquas luminarium vetuſtas ex datis
et placitis magni illius TYCHONIS BRAHE ſupputare queam. Quod
ſi ulla ratione vel lege vel conditione hoc ipſum impetrare potero, ut
Eclipſes aliquas veteres, quas ab alijs hactenus nec animadverſas nec
ſupputatas collegi, calculo tuo exactißimo ſubijcere, et ad te Matheſeos
ARISTARCHUM deferre valeam, per Deum ſummum Opt. Max. in
omnem eventum, hoc chyrographo meo teſte καρτερὸν ὅρκον ſanctißi- †
me iuro, nemini me unquam quicquam de ijs communicaturum, quæ
ad huiuſmodi calculum inſtituendum requiruntur. Atque utinam ali-
quo genere officiorum beneficium huiuſmodi in me collatum rurſus
exæquare poßem, pro viribus certe gratias referre conarer. Sed ignoſce
quæſo, ſi flagrans deſiderij ardor, quo hæc exopto, importuniora vota
volenti nolenti exprimat. Quod ſi epidemica iſta lues, quæ loca inter
nos intermedia et hoſpitia præſertim publica invaſiße traditur, non me
abſterreret, ipſe ad te iter inſtituerem, anne forte hoc pacto voti compos
fieri poßem. ||

Principes mei clementißimi, id enim ſcire deſideras, ſtudijs quidem 4v
hiſce non admodum afficiuntur, attamen literas et literatos amant, ita
ut ſperem, munus illud tuum, de quo ſcribis, futurum illis eße gratum
atque acceptum, mihi certe erit quam gratißimum. Habet ſerenißimus
Princeps

Princeps meus Bibliothecam inſtructißimam, Regijs ſumptibus comparatam, et libris manuſcriptis Hebraicis, Græcis etc. refertam. Mitto his iunctum indicem librorum mathematicorum, quem velim apud te retineas, ut ſi forte occurrat liber aliquis, quem ex ijs deſideres, eius me certiorem reddere poßis. Hæc raptim, urgente tabellario. Vale feliciter, et me favore tuo proſequi perge. Quod ſi ulla in re tibi commodo vel uſui eße queam, vel in his partibus, vel in ijs rebus, quæ per has regiones ad te devehi poßunt, iube et impera. Data Monachij die 17. Septembris Anno 99.

Nobilißimæ D^{is} Tuæ ſtudioſißimus
IOAN. GEORG. HERWART ab Hohenburg etc.
manu propria.

[Ex apographo in codice Hauniensi excerpt. Langebek. 179; cf. *Tychonis Brahei Relatio de statu suo* ed. G. B. Casseburg (Jenæ 1730) et *Dänische Bibliothec* III (Hauniæ 1739) p. 177 sqq.]

1r

ERUDITISSIME ET PRÆSTANTISSIME DOMINE M. ANDREA WELLEIE, AMICE DIU MULTUMQUE DILECTE.

S. P.



CCEPI quidem antequam Witeberga abirem, tuas literas, ad quas etiam luculenter reſpondi. Sed cum ea, quæ filio hac de re dictavi, inter componendas res meas ita diſtracta ſint, atque inter alia forte, quæ nunc inquirere non vacat, diſpoſita, ut reperiri nunc nequiverint, nec etiam tuæ literæ nunc ad manus ſint, deſcribam ea, quæ memoria dictitat, quæque de rebus meis te ſcire velim. Atque ut hiſtoriolam habeas eorum, quæ mihi partim in Patria occaſionem diſceßus dederunt, partim poſtea in exteris regionibus evenerunt (lubet enim paulo altius ordiri, etiamſi quædam ex illis tibi antea forte perſpecta ſint) ſic habe.

Cum prævidißem Uraniæ iſtic noſtræ, cui tam ſerio tamque impenſe tot annos litavimus, ruinam inſtare, præmonui diſcrete per literas Cancellarium Regis, ut rectius provideret atque ne id fieret præcaveret. Reſponſum eſt, Regi Inſtrumenta iſta Aſtronomica ſuis impenſis conſervare non eße integrum, quod et eventus teſtabatur. Nam præter beneficium illud Norvagicum, quo, ſtatim ac coronatio peracta eſt, privatus ſum, etiam cætera, quæ a Rege habui, adempta ſunt, relicta ſola Inſula, et 11 vel 12 in ea parte Scaniæ, quæ Culda vocatur, ruſticis, quæ ducentos tantum quotannis Ioachimicos in certa pecunia non pendent, et conceßa adhuc aliquantiſper Præbenda iſta Roeſchildenſi, quæ pro

pro quarta parte meis expenſis annuis non ſufficiebat, quam tamen,
cum vix adhuc littus patrium ‖ reliquißem, Cancellarius a Rege pro 1v
ſe impetravit atque in privatos ſuos uſus tranſtulit, adeo ut multi vero-
ſimiliter inde collegerint quod huc curſus fuit. Nam præterquam [quod]
reditus pene omnes neceßarij denegati, multis alijs gravibus ... et non
paucis moleſtijs præter exſpectationem et meritum pene abſque inter-
mißione conquaßatus ſum, forte quo promptius et citius abirem, adeo
ut ne in proprijs quidem et a me exſtructis ædibus Hafnienſibus, quo
inſtrumenta mea pro maiore parte contuleram atque unâ cum typo-
graphia depoſueram, ſtudia mea, quæ tamdiu in honorem Patriæ mo-
litus ſum, privatis ſumptibus pertexere et quædam in ijs ad colopho-
nem deducere permißum ſit, tranquillitate prærepta Philoſophica et
diſpoſitione inſtrumentorum in turri vicina, mihi integerrime a Pro-
regibus et inſuper a Magiſtratu urbis ea de cauſa conceßa, nomine
Regis, licet abſentis, a Curiæ Magiſtro per urbis Præfectum interdicta,
utut is tum, unus e Quatruumviris, literas, quibus Magiſtratui Haf-
niaco mandabatur, ut turrim illam in eos uſus mihi relinqueret, ſub-
ſcripſerit. Videns itaque, mihi in Patria omnia eße adverſa, et adver-
ſum eorum animum, qui hæc ſtudia, quæ in laudem Patriæ perpetuam
moliebar, promovere debebant, lubens et alacri fortique animo inde
cum omnibus meis diſceßi, idque iuxta ſolſtitium æſtivum, ante bien-
nium a ſuperiore huius anni numeratum. Ne tamen viderer nimis
propere nimiſque remote patriam deſerere, ſubſtiti primum Roſtochij
per anni quadrantem. Dedit ibi illuſtrißimus Dux Megapolitanus, avus
Regis noſtri maternus, literas ad nepotem diligenter ſcriptas, quibus
quatuor adductis non minimis rationibus, eum de reſtitutione Urani-
burgi rogabat et admonebat; quin et ego, ſcriptis ‖ inde ad Regem meum 2r
ſerenißimum literis, meam etiamnum ipſi et Patriæ præ alijs Principi-
bus et nationibus operam ſubiectißime obtuli, modo tolerabilibus con-
ditionibus id fieri poßet atque indemnitati meæ conſuleretur. Verum
omnia incaßum, nihil reſpondente Rege avo, et meas inclementius,
quam ſperaßem et quam forte meritæ erant, accipiente. Poſtea incre-
breſcente peſte Roſtochij in Holſatiam a laudatæ memoriæ viro Do-
mino HENRICO RANTZOVIO, affine meo et amico honorando, per
literas evocatus, eo me cum tota familia recepi, atque arcem quandam
eius, ſemiße ſaltem milliaris Hamburgo diſtantem, in quam etiam in-
ſtrumenta, quotquot Hafniæ habui, et ſuppellectilem iſtic relictam
tranſtuli, ipſo benigne concedente, per integrum annum inhabitavi,
volens ſic non ſine magno rei familiaris diſpendio Patriæ ſtudere, at-
que noſtratibus rem rectius diſpiciendi ſatis ſuperque multum relin-
quere temporis, ut in poſterum eo magis eßem excuſabilis, ſi relicta
Dania aliam quærerem Patriam aliumque laborum meorum Mecæ-
natem.

natem. Interea dum ibi ſum, relatum eſt de me meoque e Patria abitu ad auguſtißimum Imperatorem RUDOLPHUM Secundum, qui me mox iuxta Paſcha præteriti anni accerſiri voluit, ſed ante Michaëlis feſtum iter inde verſus Bohemiam non ſuſcepi, quod annuum tempus, prout in animum induxeram, iſtic complere vellem. Circa initia itaque Octobris Pragam verſus profectionem inſtituebam, relicta Wandeſburgi familia mea muliebri, donec de Cæſaris clementißima voluntate edoctus eßem. Dreſdam cum advenißem, audivi in Bohemia omnia turbata eße ob peſtem et dyſenteriam iſtic graßantes, Imperatorem
2v Pragæ non eße, ſed in arcem quandam ſeceßiße, ut tutior || ſit, nec dari cuipiam audientiam (uti vocant) quare, ſcriptis in aulam literis, quid mihi faciendum reſtaret, percunctatus ſum. Reſcriptum eſt manu magnifici Domini CORADUCIJ Imperij Procancellarij in hunc modum: Cæſaream Maieſtatem de meo Dreſdam adventu perlibenter intellexiße, utque iſtic aut in vicinia, ſi Pragam accedere non luberet, me continerem, cupere, donec, ſedatis morbis epidemicis, aula diſperſa recolligeretur, interea, ubi commode collocandus ſim, benigne cogitare. Quo accepto reſponſo, Witebergam pedem retuli, atque iſtic dimidio anno moratus ſum, Philippæas ædes inhabitans. Licet enim ſtatim in fine Ianuarij ex clementißimo Cæſaris mandato per dictum magnificum Dominum CORADUCIUM Procancellarium Pragam rurſus auguſte et honorifice (habes hîc literarum exemplar) accerſitus ſim, tamen ante ſolſtitium æſtivum huius anni iter eo ſuſcipere non concedebatur, tum quod nonnullos libros Cæſari deſtinatos prius abſolvere nequiverim, tum quod ob filiæ natu grandioris invaletudinem ibi ultra voluntatem detinerer, ſed circa dictum tempus itineri me accingens, et in tranſitu Dreſdæ relicto Gynæceo meo (quod Witebergam circa brumam antecedentem e Wandeſburgo ad me venire feceram) Pragam circa Iohannis feſtum, veteri numeratione, intravi. Quæ vero mihi poſtea iſtic et alias in Bohemia evenerunt, nunc brevibus commemorabo.

Ab ipſius Cæſarea Maieſtate clementißimo favore acceptus ſum, ſoluſque auditus, nemine alio præſente, et reſpondente ipſo Cæſare benignißimis verbis, idque Latine. Tres libros, quos ipſius Cæſareæ Maieſtati in proprias manus humillime porrexi (ſic enim fieri voluit)
3r lubentißime accepit et ſequentibus mox diebus, || interdumque uſque in multam noctem (referente magnifico Domino BARVICIO) perlegit. Iußus ſum mox Gynæceum meum Dreſdæ relictum advehi curare. Actum deinde eſt mecum de annuo ſalario, quod cum Cæſaris clementiæ et benignitati liberum relinquerem, deputatum mihi eſt ab ipſius Maieſtate trium millium florenorum in certa pecunia, et in accidentarijs quibuſdam alios millenos attingens, reluctantibus quidem

 nonnullis

nonnullis ex Conſiliarijs, quod nemo in aula, etiam ex Comitibus et Baronibus, qui diu inſervierunt, tantum quotannis obtineret, ſed urgente Cæſare ut ſic fieret, nec dißuadente illuſtri Domino RUMPHIO, Curiæ Magiſtro, aut Domino TRAUTSONIO, aulæ Mareſchallo, aut ullis ex præcipuis, ita deciſum eſt, numeratique mox bis mille floreni honorarij loco pro introitu. Quin et ut ſtipendium meum ab eo tempore, quo primum vocatus ſum, inchoaretur, clementißime Cæſar indulſit, utut non citius advenerim, ſiquidem interea nullum alium Dominum agnoſcere et acceptare voluerim. Promiſitque inſuper benignißime et perlibenter feudum aliquod pro me et meis, ſecundum Imperij conſuetudinem, hæreditarium, quam primum aliquod in ſuis ditionibus vacarit, ut familiæ meæ poſt me in peregrinis oris conſuleretur. Introductus quidem ſum in ædes Curtianas magnifice exſtructas, impenſis maioribus viginti millibus Ioachimicis, arcique vicinas, etiam antequam audientiam (uti loquuntur) habueram, idque per prænominatum magnificum Dominum BARVICIUM, Imperij ſupremum Secretarium Cæſariſque intimum, qui pene omnia ſolus apud ipſum efficit. Verum cum is animadverteret, me eas non admodum affectare (nolebam enim, ut vidua, quæ eas etiamnum inhabitabat, mea de cauſa emigraret, quodque nimijs viſitationibus obnoxiæ eßent) ſubiecit, Cæſarem facile aliquam ex ſuis arcibus mihi inhabitandam conceßurum, unius vel dimidij || diei itinere ab urbe diſtantem 3v (ſi ſic vellem) et iudicavit pro me hoc eße commodius, quodque ſeorſim degens invidiæ aliorum minus forem obnoxius. Id cum magis arridere intelligeret, ad Cæſarem rem detulit. Advocatus mox Capitaneus Brandeiſenſis, qui in tres Cæſarianas arces me deduceret. Prima Brandeiſia, diſtans ab urbe 3 milliaribus, altera Lißa, 4 remota, tertia Benachia, quæ 5 milliaribus ſive 6 horarum itinere (eſt enim via plana) inde abeſt. Quibus perluſtratis prætuli hanc Benachiam, in quam paucis poſt diebus per eundem Capitaneum ſolenniter introductus ſum. Obtulit etiam Cæſarea Maieſtas ſponte ſua, ſe novum Uraniburgum pro me ædificari curaturum, quod Danico illi, in libro quem obtuleram repræſentato, non cederet, iußitque Cæſar mihi per BARVICIUM hæc verba concluſionis loco dici: ſi ea, quæ iam deputarat, mihi non ſufficerent, et pluribus in poſterum opus haberem, nec ſibi eße accurtatam manum, nec mihi obturatum os. At ego ſubiectißime gratias agens, ijs pro tempore acquievi. Extruximus nunc hîc Benachiæ novum obſervatorium pro omnibus meis inſtrumentis rite et ſeorſim diſponendis, ſimulque opportunum laboratorium pro exercitijs Spagyricis, tum quoque alijs, quæcumque voluero, ipſo Cæſare ſumptus benignißime præbente, et quotquot deſideraro artifices mechanicos ſuſtentante, quod in Patria proprijs impenſis faciendum erat, nulla tamen

reſidua

reſidua manente gratia pro ijs aut etiam pro longe maioribus. Omnia erant ingrata, nihil feciße benigne; ideoque ei vale dixi.

Ago vero Deo opt. ter max. ex toto pectore gratias, qui me tam benigne ex iſtis, quas iſtic diu multumque fortiter, licet indigne, ſuſtinui, difficultatibus et adverſitatibus liberarit imo vindicarit, et mihi meiſque rectius in alienis oris proſpexerit, ut ſtudia hæc, quæ tanto conamine molior, pacate et commode tractare atque, Deo benedicente, ad exoptatum finem deducere poßem in Cæſaris atque Imperij honorem, ſi- 4r quidem Dania, Patria mea, hac gloria ſe ipſam || tam inconſiderate privarit. Sunt hîc egregij et politi homines, virtute et dignitate valentes, qui me favore et amore officioſe proſequuntur, egoque vicißim illos, exoptantque, ut diu ante advenißem, quod et ego optarim. Sed obſtabant Senatuſconſulti literæ in Dania mihi ſtatim ab obitu laudatißimæ memoriæ Regis FRIDERICI conceßæ et aliter, quam evenit, promittentes, paucorum tamen culpa, indolentibus cæteris viris integris et Patriæ honoris ſtudioſis, meique amantibus. Agaſque Deo propitio et ter maximo mecum devote gratias, agantque omnes pij et integri bonarumque ſcientiarum amantes, quod in hoc auguſtißimo et laudatißimo Cæſare tam benignum Mecænatem mihi et meis proſpexerit, cui æviterno Deo ſit laus, honor et gloria in ſecula.

Mitto iam filium meum TYCHONEM cum MULÆO domeſtico meo in Daniam, ut inſtrumenta, iſtic ob magnitudinem relicta, aliaſque res meas ante hyemem per Albim aſportari faciant, quo etiam nomine Imperatoria Maieſtas ad Magiſtratum tam Magdeburgenſem quam Hamburgenſem clementer ſcripſit et Dominus BARVICIUS iußu Cæſaris in Daniam ad Dominum HENRICUM RAMELIUM, Senatorem Regni, quo negotium iſtud promptius procuret. Dedit etiam ipſius Cæſarea Maieſtas ad illuſtrißimum Electorem Brandeburgicum literas, quibus eum ut MULLERUM Mathematicum ſuum per unum aut alterum annum mihi concedat laborum ſocium (ſic enim inter MULLERUM et me, cum Witebergæ me inviſeret, convenit) rogat. Quin et alias Cæſarea Maieſtas, quæcunque in rebus mechanicis vel alijs, ad opus quod molior conducentia, clementißime mihi ſubminiſtrari iußit, eſtque præterea benignißimo et Cæſareo favore erga me et meos affecta.

Habes nunc, charißime Domine M. ANDREA, rerum mearum hiſtoriolam, poſtquam e Dania concedens primum me in Germaniam, deinde in Bohemiam receperim, ubi etiam benignißime a Cæſare et perhumaniter ab optimis quibuſque receptus ſum. Cumque Hiſtoricis 4v natura || ipſa ſemper delectatus ſis, exiſtimo et hanc narratiunculam tibi non ingratam fore. Scribitur ob eam, quæ nobis intercedit, notitiam et rerum quoque Aſtronomicarum communem amorem. Res vero,

 uti

uti geſta, narrata eſt; utinam quævis Hiſtoria æque certo ſibi conſtaret. Tu hîc compendiolum et ſummam quandam excerpe, et in annales ſive faſtos tuos infer memoriæ cauſa ad poſteros, ut et multi alij in Germania et alibi viri faciunt clari. Et multi inſuper, præter literas hac de re mecum agentes, me carminibus onerant, quorum, ſi tam cito deſcribere licuerit, exempla adiungam, ſi forte aliqua ex ijs antea per M. CHRISTIERNUM vel aliunde non accepiſti. Et ſi auſus fueris et ſi vena tua adhuc valeat, uti valere exiſtimem, non ſaltem carminibus accine, et cumulum aliorum adauge, ſed et ea, quæ proſa oratione conſignanda in memoriam rei bene geſtæ ſuo tempore non neglige. Dixit ad me, cum in Dania adhuc eßem, is qui tibi in Hiſtorico officio ſucceßit, ſe libenter quidem inſulæ Hvenæ Epithalamium Hiſtoricis proditurum, at Epitaphium non. Scis, quorſum alluditur, et noſti horum † verborum primum authorem, ſed ſuo forte damno, non meo. *Der giør tit en den anden got, alligevell hand mener det ont, och falsk ſlaar ſin egen Herre paa Halß.* Aiebat inſuper alter ille Hiſtoricus, † ſe excuſatum haberi poße, ſi ſaltem Epithalamij mentionem faceret, Epicedium præteriret, ſiquidem prius illud tempore FRIDERICI Regis laudatißimæ memoriæ invenerit, ad cuius uſque obitum ſuas relationes pertexere ſolummodo ſibi iniunctum ſit, reliqua non item, uti nec moris eſt. At tu, cum ab hoc Hiſtorico officio, ſic volentibus Politicis quibuſdam, ex inopinato abruptus ſis, licebit tibi privatim, ſi non publice, utriuſque temporis commemorationem pertexere, et tam de Epithalamio, quam de Epitaphio ea, quæ ſcis et vera eße cognoviſti, innuere, modo || non aperte, ſaltem tacite, et quamvis illa publicare 5ʳ forſan non dabitur, reſerventur ad eos, qui veritatem ſcire cupiant, ſive noſtris temporibus ſive poſtea. *Det tærer intet.* Et res forte eſt maioris momenti quam apud nos æſtimatur, rumorque eius iam orbem implevit, mirantibus omnibus cordatis et integris, quod Patriæ honor apud nos neglectus ſit. Quare plura non addam, ne me ipſum et ſtudia mea efferre videar. Intelligis ex præmemoratis, charißime M. ANDREA, pleraque reſponſionis loco ad tuas Witebergæ acceptas ſcribenda, et quare nec Vraſtiſlaviam, uti ſuaſiſti, eundum foret nec Colonias, utrumque a Cæſare nimis diſtans mihique incommodum.

Cæterum quæ de Bruto iſto Dithmarſico addidiſti, recte a te prolata ſunt, carmenque eius putidum, quod miſiſti, libenter accepi, et certum eſt, ERICUM LANGIUM per incuriam et imprudentiam, quibus etiam in proprijs negotijs obnoxius eſt, anſam dediße, ut tantis calumnijs a tam impura Beſtia præter meritum aſpergerer, ſiquidem eum, me inconſulto et invito, in meam ſecum adduxit inſulam. Sed coactus eſt propterea Magdeburgi ſub publico Notario teſtari id quod verum ſciret, contra famoſum illud ſcriptum, licet hoc ipſum etiam ægre faceret,

ceret, relataque ſunt omnia in inſtrumenta, uti vocant, publica, membrana, partim Latine partim Germanice conſcripta, ut haberem in promptu, quibus eum Pragæ convincerem, quando mihi luberet accuſationem inſtituere, non quidem per meipſum, ſiquidem illum indignum iudico, ſed per alium quendam Procuratorem, mea pecunia conductum; quod et antea facere conſtitui. Agitur enim de honore et exiſtimatione mea, quam tueri oportet, etiamſi Pragam non venißem. Verum iſte male ſibi conſcius paulo poſt meum acceßum ſe ſubduxit, 5v deſerta etiam ibi uxore, quam nuper du-||xerat, infami et adultera (dignum patella operculum). Verum, cum opportunitas datur, inveſtiganda erit per opportunitatem, ubi a gravioribus negotijs aliquantulum reſpiraro, iſta Beſtia atque in ius, ubicunque latitarit, protrahenda. Quod etiam mihi non erit difficile, ſive Pragæ ſive alibi id exequendum fuerit. Conſului hac de re tacite Archiepiſcopum Pragenſem, virum illuſtrem et claro genere oriundum, an ſe conſcio famoſum hoc ſcriptum Pragæ excuſum ſit, cum eius officij ſit in talia animadvertere. At ille ſe excuſabat, ſeque inſcio factum proteſtabatur authoremque in ius vocari voluit et ſecundum leges puniri, quod et ſe promoturum addixit. Videbunt aliquando Anteſignani Machiavelliſtici in Dania Coriphæi, quam incaßum ſeipſos in gratiam magiſtri ſui titillarint, quod tale ſcriptum ex IOHANNE AALBURGENSE congratulationis cauſa acceperint, atque in ſuis conviviolis magno applauſu, ſi non potius maiore ſtultitia, legerint, tanquam eſcæ et vini condimenta, utque ſic probare poßent per unum ſcurrile alterum, cauſas mei diſceßus e Dania, quarum quidam ex ijs conſcij erant, ſi non autores et promotores, non incompetenter adminiſtratas eße. Sed viderint et iſti et iſte. Sequitur ſua pœna nocentem, et, Deo proſpiciente ac protegente, tandem bona cauſa triumphat.

Plura nunc non adiungo, ne te nimium moleſtem. Tuum eſt etiam mihi luculenter reſcribere, et amicitiam inveteratam literis ſaltem, ſiquidem vix aliter in poſterum fieri queat, continuare et conſervare. Vale. Saluta ex me diligenter Ripenſes omnes, quos noſti mei amantes, tum quoque alios in veſtra Cimbria, et de rebus meis, modo ſcire cu-
6r piverint, inſtrue, ut omnes Deo propitio et omni-||potenti mecum gratias agatis, quod ex tot difficultatibus et adverſitatibus, quas in patria immerito ſuſtinui, tam provide et benigne eripuerit et vindicarit, cui ſoli honor et laus in ſæcula. Iamque, mi amantißime Domine M. ANDREA cum tota tua domo, ſalutata a me coniuge et liberis, quibus prodeße, quantum potero, ſemper ſatagam, iterum vale.

Dabantur Benachiæ properanti calamo in arce Cæſariana in Bohemia die 18. Septembr. Anno 1599.

Tui amantißimus TYCHO BRAHE,
manu propria.

Non vacabat relegere. Ipſemet diſpicias.

[Ex

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD CHRISTIANUM
LONGOMONTANUM.

S. 1r



ILIUS TYCHO, quem nunc cum MULÆO in Daniam pro adferendis reſiduis inſtrumentis (ſic volente Cæſare) mitto .... te ſocium tertium ijs adiungere, atque in expediendis pro me rebus adiutor eße poteris, eos in Daniam, inque inſulam iſthic deſertam comitari et cum ijs, Deo volente, revertentibus me eodem curru accedere, nam et ſic rem gratam præſtiteris, utpote cum ſciam te in inſtrumentis maioribus componendis et conſervandis, atque in ijs, quæ huc mechanice efficienda ſunt, ſolertem eße, eaque rite præordinare poße, tum quoque urgere, ut ſine temporis iactura omnia mature et recte conficiantur. Scripſit iußu Cæſaris magnif. Dominus BARVICIUS ſupremus Imperij Secretarius, Cæſaris intimus, imo apud ipſum factotum, uti loquuntur, ad Dominum HENRICUM RAMELIUM, ut Aſtronomicarum rerum, quaſcunque ibi reſiduas habuero, evectionem promoveat, et ego pariter || ad aulæ Magiſtrum hac de re literas 1v
dedi etc......

IOHANNEM MULLERUM Mathematicum Electoris Brandeburgici brevi huc venturum expecto, nam cum ſponte mihi ſuam operam, Wittebergam ante meum diſceßum iſthinc tranſiens, obtulerit, ſi modo cum Principis ſui bona venia id fieri poßit, impetravi, ut Cæſarea Maieſtas hoc nomine ad Electorem Brandeburgicum ſcriberet (ſic enim inter MULLERUM et me convenit) quarum etiam literarum exemplar inter alia apud filium videbis. Eſt is, præter ingenium diſciplinarum Mathematicarum capax, in Mechanicis huc facientibus non infeliciter verſatus. Aderit etiam forte mihi Landgravianus olim Mathematicus CHRISTOPHORUS ROTHMANNUS, quem obijße exiſtimavimus, ſed ex nuperis eius ad ROLLENHAGIUM literis ipſius manum cognovi, et adhuc in vivis eße perlubenter intellexi, ut ſic dupliciter mentita ſit ſine omni pudore Urſina iſta et Dithmarſica Beſtia in ſuo famoſo ſcripto, cum de me, quod ob facinus aliquod non leve, abſque omni dubio perpetratum, e Dania eruptionem fecerim, vanißimo et impudentißimo
ore fingat, ſic illum neſcio quibus || morbis (pudet enim referre) infectum 2r
et confectum, qui tamen adhuc vivit et mediocriter bene habet, futiliter blaterat. Scripſi hiſce diebus eidem ROTHMANNO, atque eum ad me, ſi per valetudinem liceret, invitavi. Quin et M. DAVID FABRICIUS Œſt-Friſius, qui apprime his diſciplinis delectatur, quem etiam tu, cum Wandeſburgi apud me eßet, noviſti, tam ut mihi a privatis

concionibus

concionibus ſit, quam ut ſe collaboratorem, prout a me inſtructus fuit, horum ſtudiorum præbeat, ut exiſtimo, adveniet. Duos quoque ſtudioſos in triangulis et calculo verſatos, ſic per IOSTELIUM noſtrum expetentes, Witteberga acciri curo, habiturus poſtmodum plures, prout opus fuerit. Accedent forte ultro et alij. Nam ſcholam Aſtronomicam, multorumque in eadem operas, favente cœleſtium Opifice, Cæſare clementißime ſubſidia largiente, de novo erigere conſtitui; cuius uſusfructus ad poſteritatem omnem, uti ſpero, perſeverabit, in Dei fabricæ cœleſtis authoris gloriam, et Cæſaris nunquam intermorituram memoriam et laudabilem famam; atque ne nos etiam fruſtra extitiße talentumque divinitus conceßum abſcondidiße ac tempus precioſißimum inutiliter, ut nimis multi, quod dolendum eſt, faciunt, contriviße videa-
2v mur. Exop-||tarem primo quoque tempore quaterniones pauculos, qui in Tomo Progymnaſmatum noſtrorum primo deſiderantur, labore typographico compleri, ſiquidem ea, quæ incuria Hamburgenſis typographi perdidit, uſui, ſcis, eße nequeunt, nec Wittebergæ ea recudere ob cauſam tibi notam placuerit. Inveniemus facile rationem, ubi ſimul fuerimus, qua obſtaculis, quoad nunc fieri poteſt, ſuccurratur, ut liber is brevi in lucem prodire poßit. Cogita enim quanto non ſolum meo damno tot exemplaria tam diu mecum reſervo, ſed et quam aliorum deſiderio minus, dum publicatio differtur, ſatiſfacio. Poterit etiam mox ſubſequi prima pars ſecundi Tomi, quæ de Cometa Anni 77 nunc cum Apologijs huc pertinentibus luculenter agit, donec altera pars reliquorum Cometarum a nobis obſervatorum deſcriptiones complectens (quarum fundamenta in promptu ſunt) ſubiungatur. Eclipſis Solis in Iulio huius Anni circa ortum viſa meis inſtrumentis, Pragæ quoque in turricula veteris Collegij obſervata eſt per IOHANNEM meum Hamburgenſem, adſtantibus alijs, deprehenſuſque eſt Sol, cum elevaretur 2 gradibus, deficientibus ſaltem totidem minutis, quaſi unum di-
3r gitum de limbo verſus Septentrionem inclina-||to, interventu ☾ amiſiße, et poſtea ſucceßive rotunditatem acquiſiviße conſuetam. Elevatur autem Pragæ polus, ut ipſemet, dum ibi morarer, tam ex Sole quam ſtellis obſervavi, partibus quinquaginta m. 4½, ſed hîc Benachiæ eſt partium 5 m. 16, in tantum ſumus hîc Praga ſeptentrionaliores, nonnihil tamen ad ortum verſus Sileſiam, ita ut Gorlicium duorum ſaltem dierum itinere hinc removeatur, diſpoſiti, et axis cœleſtium revolutionum 6 pene gradibus hîc minus elevata, pauloque rectiorem præbens ſphæram, quam in Danico noſtro Uraniburgo, ad obſervationes cœleſtes aliquanto magis conducit.

Cæterum de fera iſta Dithmarſica nimis effera et bruta, ut aliqua ſubiungam, licet indigna ſit, cuius recordetur, ſcias, iſtam ante aliquot ſeptimanas, prout nuper reſcivi, Praga ſe ſubduxiße, ſive male ſibi conſcia,

ſcia, et quod iuſtas pœnas per leges formidaret, ſive quod aliud ſinu ſuo latenter, more ſuo, ruminans. Sed inveſtiganda tamen ſuo tempore per otium atque in ius protrahenda et punienda, quod etiam optimi quique Pragæ ſuadent. Verum de iſto calumniatore et vitiatore impuden-||tißimo hîc ſatis. Cætera ipſemet apud iudicem experietur. Reſtat, 3v ut ſcribendi finem faciam, cum plura non vacet, ſum enim ſcribendis non ſaltem in Daniam ſed et hinc inde ad notos et amicos plurimis literis (cumuli partem reſiduam filius oſtendet) quam occupatißimus, ideoque et hæc feſtinanti calamo ad te exarata boni conſulas atque deſiderijs noſtris tuoque commodo morem gere. Videbis hîc locum amœnißimum, in edito et ſaluberrimo aëre ſitum. Vale. Dabantur Venetijs Bohemorum, ſic enim arcis huius nomen vernacula gentis lingua interpretatur, ipſo die Æquinoctij autumnalis 99.

Tui amantiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD DANIELEM CRAMERUM.

S. 1r



RESCRIPSI tibi, clarißime et eruditißime Domine Doctor CRAMERE, paulo antequam Witeberga diſcederem, quas te accepiße reor. De meis autem rebus, poſtquam inde abiens in Bohemiam ex clementißimo mandato et evocatione auguſtißimi Imperatoris me contulerim, quia nimis longum foret hîc ſigillatim omnia enarrare, iußi deſcribi exemplum nuperarum ad OLIGERUM ROSÆKRANTZIUM noſtrum a me datarum, quæ hiſtoriolam quandam eorum, quæ mihi hîc evenerunt, continent, cuius te facio participem. Inde per circumſtantias omnia hauries; cum enim tam arcta ſit inter OLIGERUM et te amicitia, is, quod deſcriptum ſuarum literarum tibi communicem (ſecretum tamen habendum, nec niſi ſecretis amicis oſtendendum) minime ægre laturus eſt. Quare de meis negotijs nihil hîc addo, ſolummodo Deo immortali gratias ago. Agaſque tu et omnes pij probique mecum, quod omnia bene et ex voto ſucceßerint.

Cæterum eſt aliud te non minima ex parte concernens, quod te non cælandum duxi. Cum Witebergæ eßem, acceßerat eo Danus quidam ſtudioſus mihi familiariter notus, BARTOLDUS IVARI MULÆUS dictus, qui cum Barone quodam Svetico STENONE BIELCHE meo conſanguineo acceßerat, cumque per aliquot dies ibi mecum converſarentur,

ſarentur, accidit, ut STENO ille DUNCANI Scoti mentionem faceret,
ambo enim illi Helmſtadij ſtudiorum caußa, unde etiam venerant, ali-
† quamdiu fuere. Ego mox ſubijciens plagium eius in me eidem Baroni, ‖
1v præſente BARTHOLDO illo, aperui, cumque miraretur et quaſi ſub-
hæſitaret, produxi tuas litteras ad OLIGERUM ROSÆKRANTZIUM
prolixe ea de re ſcriptas ijſque legendas dedi. Neſcio vero quî factum
ſit, quod, dum in alterum diem eas ſecum ſervaret Danicus ille ſtudio-
ſus, ſibiipſi exemplum inde tacite exaravit, quod, cum Helmſtadium
venißet, Scotulo iſti monſtravit. Quomodo autem is acceperit, ex ipſius
BARTOLDI literis, quas ante paucos dies nactus ſum, verbotenus re-
feram. »*Deinde quoad Doctoris CRAMERI literas, eas DUNCANO
exhibui, reticens tamen unde perceperim. Ibi homo cœpit impieta-
tem miſelli aſini (ſic enim criminabatur) adeo culpare, ut eundem
ingratißimum erga præceptorem cuculum vocitaret, ſimulque ſe
Magnif. tuæ excuſans, meque ad ordinem lectionum, quem hiſce
adiunxi, remittens, ubi honeſtißimam veſtri mentionem feciße glo-
riabatur*«. Hæc ille. Quæ vero inſinuat de ordine prælectionum im-
preßo unâque tranſmißo, e quibus iſthic verbis DUNCANUS ſe pur-
gare præſumit, ea ſub titulo Philoſophicarum prælectionum ſic habent:
»*DUNCANUS LIDDELIUS Scotus D. publice proponit doctrinam
ſinuum et triangulorum, qua abſoluta, aggredietur theorias Plane-
tarum, ſecundum hypotheſin PTOLEMÆI et COPERNICI et illam
mundani ſyſtematis hypotheſin, quam deſcribit TYCHO BRAHE
lib. 2 de æthereis Phænomenis.*« Iſta iſte, egregia ſane et honeſtißima
de me mentio, imo vulpeculæ potius dolus; cum enim ſibi conſcius ſit,
2r ſe meas hypothe-‖ſes ſibi apud alios clam venditaße, et ſic plagium com-
miſiße, cum publice non audeat idem facere, neque meas eße fateri
vult, ne contradicat ijs, quæ prius commentus eſt, ideoque generaliter
et aſtute loquendo, dicit ſaltem eas hypotheſes, quas ego libro illo ſe-
cundo deſcribo; poteſt enim aliquis etiam ab alio inventa deſcribere,
nec ob id ſua eße. Eadem vafritie uſus eſt in thematibus quibuſdam
anno 95 Helmſtadij editis, ubi inter Parerga Mathematica (ſic enim
vocat et recte, nam vere Parerga tractat, et de re inperſpecta nugatur)
propoſitione ſecunda ſic habet: »*Cum tres diſcrepantes hypotheſes
ſint, quibus apparentiæ cœleſtes ſolvuntur et explicantur, quarum
una eſt PTOLEMÆI, altera COPERNICI, tertia eſt illa, cuius me-
minit TYCHO BRAHE lib. de Cometa anni 77, dubitatur, an ali-
qua ex his omnibus diverſa dari poßit, deinde quænam harum ap-
parentijs magis congruat.*« Vide quam ſibi ſimilis et hîc et iſtic, idque
ob eandem, quam dixi, caußam; o! aſtutule et naſutule Scotule. At non
† ſatis recordatur, uti oportebat mendacem memorem eße. In intima-
tione, quam Decanus Facultatis Medicæ in Academia Iulia FRAN-

CISCUS PARCOVIUS, ſub quo LIDDELIUS in Doctorem promovit, ... hæc verba, ſe conſcio et forte etiam præſcribente, inſerta eße, publiceque edita et affixa, quæ poſtquam LIDDELIJ mentionem, utinam tam veram quam pompoſam, fecißet, ſic proloquitur: »*Quod enim ad Matheſin attinet, non ſolum in veterum hypotheſi bene verſatus eſt, ſed et recentiorem laborioſam et operoſam COPERNICI hypotheſin* || *optime novit*«, in qua quicquid conſecutus ſum, ipſi debere 2v me ingenue fateor. Quin et aliam novam hypotheſin, quam publice et privatim docuit, licet alterius nomine uſurpetur, adinvenit, cuius rei multi eius diſcipuli clarißimum ei dant teſtimonium. Sed addo deſcriptum totius intimationis; miſißem impreßum exemplar, ſed cum unicum ſaltem habeam, eo carere nequeo. Annon ibi ſatis aperte proditur DUNCANUM mea inventa ſibi arrogare? Neque enim excuſare ſe poteſt, quod ſe inſcio hæc a ſuo promotore aſcripta ſint; vel ſi ſic, cur non inficiatus eſt atque ſe invito factum proteſtatus? cur ſe ſic alienis plumis ornari cornicula iſta paßa eſt? Sed diſpiciemus ſuo tempore Deo volente de his latius. Interea huius puſilli Scoti arrogantiam et inſolentiam ex alto deſpiciemus. Si in viros cordatos et eruditos atque ipſo longe meliores ſcurriliter debacchari et mea de caußa eos miſellos aſinos ingratißimoſque cuculos vocitare, quod veritatem quæſiti non ſubticeant, perrexerit, efficiam ut publice plagij accuſatus et convictus ſecundum ius luat, id eſt infamis fiat, nec amplius irritet crabrones. Tu interim pro te, quæ vera et iuſta noſti, meditare atque conſigna, et ſi lubuerit, in uno vel altero quaternione in publicum ede, tui meique defenſionis gratia, ut habeat iſte bilioſus Scotulus, quod ipſum mordeat atque remordeat, ſi poßit, donec illi occludatur os. Si Doctor NICOLAUS CRAGIUS, in Dania Hiſtoricus, quem noſti, velit aperte fateri, quæ hac de re novit, quod eum etiam libenter facturum ſpero, non longa erit diſputatio, || an LIDDELIUS iſtas hypotheſes a me didicerit, 3r an vero ego ab illo. Aßidebat enim menſæ in arce olim Uraniburgica idem Doctor, cum haſce hypotheſes LIDDELIO, cui nunquam tale quid antea, ne per ſomnium quidem, in mentem venerat, aperui. Quin et ipſi Doctori NICOLAO, ob ſinceram inter nos amicitiam, iam diu antea deſignationem earundem hypotheſium in patenti charta, prout a me ſedulo expetierat, conceßeram, uti ipſemet non invite fatebitur, et quod omnium maxime rem arguit, ipſæ Liddelianæ ad me datæ literæ ipſiuſque manu ſcriptæ, fraudem et plagium eius teſtabuntur. Verum de iſtulo nunc ſatis. Tu quid tui ſit officij, facile abſque me monitore noſti.

Carmina quædam in mei gratiam a varijs conſcripta addam, ſi ea denuo exarare tempus permiſerit, ſin minus, habebis alias. Interea tu etiam aliqua ulterius pro tua arguta vena meditare, et Cæſaris in me atque

atque ea quæ tracto ſtudia clementißimam benignitatem collauda. Vale atque brevi reſcribe. Dabantur ex arce Cæſarea Benachia ſive Venetijs Bohemorum Anno 99 die 26. Septembris ſtylo renovato.

Alter plagiarius et Maſtiges meus impurißima fera Ditmarſica ante paucas hebdomadas Praga ſe [ſubduxit], deſerta uxore, quam nuper duxerat, uti perhibent meretricula, ſive quod male ſibi conſcius eßet, et pœnas ſecundum leges metueret, quas etiam vix effugiet, ſive quod alibi latitando nova ruminetur mendacia novaſque calumnias, pro ſta-
3ᵛ biliendis prioribus, || uti fieri ſolet, ſicque decuplo pluribus opus erit, ſed obſtruetur et illi, Deo volente, os, ita ut mallet facta infecta eße.

[Ex apographo in codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

TYCHO BRAHE AD IOSEPHUM SCALIGERUM.

143ʳ S.



ROMISERAM Illuſtris et Excellentißime vir, amice honorandißime, in ultimis, quas ad te dedi, antequam Witteberga abirem, me, ubi in Bohemiam venißem et Cæſareæ Maieſtatis, Domini noſtri Clementißimi, voluntatem humilime cognovißem, te de ſtatu mearum rerum certiorem redditurum, quod et ipſemet pro benevola tua erga me affectione fieri expetiviſti, ut eo promptius invicem literas commutare, atque de arduis illis et cœleſtibus rebus iucunde ulterius conferre poßimus. Licet vero hactenus tuæ expectationi meæque pollicitationi ſatiſfactum non ſit, hac migratione in oras prius ignotas et ob res meas diſponendas atque de novo quaſi conſtituendas irrequietudine, ocij commoditatem interturbante, nulla tamen tui, meique in te officij oblivione id factum eße, perſuaſum habeas velim, imo iam antea te perſuaſum habere confido. Exponam igitur nunc brevibus ea, quæ me relaturum addixeram.

Witteberga diſceßi ſtatim poſt Solſtitium æſtivum huius anni, neque enim antea licuit, partim ob libros quoſdam denuo iſthic deſcribendos, quos Cæſareæ Maieſtati deſtinaram, partim ob filiæ natu maioris invaletudinem. Ubi vero Pragam circa initia Iulij venißem, a Cæſarea Maieſtate clementißime accitus et auditus, moxque in ipſius Maieſtatis Clientem benignißime receptus ſum, ſalario annuo mihi deputato 3000 hîc uſitatorum florenorum, unâ cum quibuſdam accidentarijs, quæ alios millenos attingunt, et ſimul ab ipſius Maieſt. clementißime indultum, ut ſalarium hoc ab eo tempore, quo ex Holſatia huc iturus digreßus ſum, mihi numeretur. Feudum quoque, ut familiæ meæ rectius

in hiſce peregrinis oris poſt me conſulatur, clementißime addictum. Arx Cæſareana 5 miliaribus Praga remota, et in edito atque amœno loco ſita, ad inhabitandum conceßa, cum in Urbe ſemper degere minus commodum foret. Attamen et ibi promißæ ædes, quas ab ipſius Maieſtate clementißime vocatus, aut ſponte accedens, incolere atque poßidere queam. Quin et ipſius Maieſtas obtulit, ſe aliquando, data loci et temporis oportunitate, novum Uraniburgum, quod Danico illi non cedat, pro me meiſque Inſtrumentis ædificari curaturam. Interim in hac arce, quæ Benachia ſive Venetiæ Bohemorum appellatur, quam ipſemet inter tres alias elegi, ſtructuræ non incommodæ pro ijſdem apparantur, unâ cum Laboratorio Spagyrico, ſumtibus Cæſareanis. In hunc modum et hac eximia clementia ab ipſius Maieſtate hoc primo ingreßu acceptatus ſum; uberiora evenißent, ſi horum temporum difficultates non obſtitißent. Interea tamen ipſius Maieſt. ſic mihi concluſionis loco per intimum Conſiliarium ſuum et ſupremum || Secretarium, 143v Magnificum Dominum BARVITIUM, amicum meum honorandum, dici voluit, ſi hæc non ſufficerent atque ulterius quid deſiderarem, nec ſibi eße accurtatam manum, nec mihi obturatum os. Huic igitur Cæſareæ Maieſtatis benignißimæ voluntati ſubiectißime acquieſccns, et in poſterum meliora ſperans, meam operam in hiſce ſtudijs excolendis et illuſtrandis in ipſius Maieſtatis atque Imperij honorem per unum atque alterum annum addixi, interea experturus, quid res meæ ferre poßint, ut earum etiam indemnitati conſulatur, atque liberis meis decenter proſpiciatur, utque ſimul ipſius Maieſtas probet, quid in hac parte Dei beneficio in ipſius Maieſtatis gratiam præſtare queam, re ipſa pro ſe loquente et aliorum minus forte candide ſentientium murmura atque invidiam, quibus virtus ſemper obnoxia fuit, nullatenus extimeſcente. Fuere quidem nonnulli, et forte etiam in poſterum (ut fieri ſolet) ex Conſiliarijs erunt, qui Cæſaris erga me novitium et peregrinum (uti cenſebant) liberalitatem invite tulerunt, attamen eius Maieſtatis et aliorum inter eoſdem benignius ſentientium iudicio acquieſcendum erat et acquieſcunt, uti ſpero etiam in poſterum. Quod ſi aliqui ulterius quid moverint, et Cæſaris animum, quem hactenus benignißimum ſenſi, a me et meis ſtudijs abalienarint (terrent enim et circumſpectiorem reddunt, quæ in Patria mea præter omne meum meritum et aliorum expectationem contigerunt) quod tamen facile futurum ob conſtantem eius et Heroicam naturam non crediderim, hinc re ſic urgente alio rurſus tranſire minus grave erit, quam Patriam Daniam, totque in ea amicos et conſangvineos, unâ cum ſumptuoſo noſtro Uraniburgo deſerere. Nec tamen hinc facile abibo, ſed apud hunc optimum Imperatorem, qui horum ſtudiorum, uti et multorum alias liberalium, laudabiliter et intelligens et amans eſt, potius perdurabo,

durabo, eique ſubiectißime pro virili inſerviam atque obtemperabo, quamdiu id abſque meo et meorum damno fieri poteſt, et ea quæ addicta ſunt, non denegata aut ab alijs impedita fuerint; præſertim vero, ſi feudo mihi clementißime promißo mature proviſum fuerit, quemadmodum erga ipſius Cæſaream Maieſtatem tam hac in parte, quam alijs, quod me benignißime fovere, et Cæſareo ſuo favore clementißime complecti dignabitur, ſpem haud indubiam concepi. Deus Optimus Maximus faxit, ut omnia exoptatos eventus ſortiantur.

Iamque de rebus meis te ſatis edoctum eße opinor. Expecto itaque per primam quamque occaſionem a te literas de ijs, quæ prius inter nos mota ſunt, ulterius dißerentes. Ne vero hæ ipſæ nihil Aſtronomici 144r ſapiant, ſubiungam, ‖ inſolitum quid de ♀ ſtella a Nobili et Magnifico Domino IOHANNE GEORGIO HERUUARTO ab Hohenburg, Serenißimis Bavariæ Ducibus a conſilijs et Statuum iſtinc Provincialium Cancellario, viro eximio et rerum Mathematicarum excellenter perito, mihi, cum primum Pragam venißem, per literas propoſitum. Scripſit is, ſe apud veterem quendam Poëtam Romanum legiße, ♀^{ris} ſtellam circa initium 4^{ti} anni ante CHRISTUM natum, cum Eöa eßet, cœlitus non apparuiße. Quod equidem ſummi miraculi loco ducerem, ſi res prorſus indubia eßet. Exiſtimavit quidem optimus ille vir, interventu ſtellæ ☿^{ij}, per eclipſationem quandam id evenire potuiße. Verum ego reſcribendo rationes inſinuavi, quibus id non concedendum oſtendi, is vero ijſdem acquievit. Si quid eiuſcemodi apud veteres authores, quorum ſedulus es ſcrutator, perſpexiſti, de eo me commonefacias quæſo. Aſtra ulla mundo coæva unquam revera abolita fuiße et poſtea redijße, non cre- † diderim. Nam quæ de Electra in excidio Troiæ occultata Poëtæ referunt, prorſus fabuloſa ſunt, uti et hoc, quod ſtellam polarem ab expugnata Conſtantinopoli diſparuiße, quidam inverecunde nugatus eſt. At nova aliquando in ipſo cœlo prodire corpora, quæ poſtea ſucceßive dißolvantur, recens illa ſtella circa finem anni 1572 Dionyſiaci, prope Caßiopeiam exorta, quæ per integrum annum et trientem, antequam plane conſumeretur, duravit, et in octava, quam vocant ſphæra, veluti luculenter a nobis, peculiari de hac volumine, demonſtratum eſt, indubitate conſtitit, evidens noſtro ævo præbuit teſtimonium, cui etiam Cometæ adſtipulantur, quos ego 7 inde a dicta nova diligentißime meis inſtrumentis obſervavi, quos omnes in ætherea regione verſatos eße, atque iſthic curriculum ſuum abſolviße, citra hæſitationem ullam depræhendi et apodictice demonſtravi, ut ob id omnino perſuaſum habeam, omnes omnium temporum Cometas plane cœleſtes fuiße, et in poſterum etiam futuros, nihil obſtante, quod Peripatetica Philoſophia hîc, uti et in multis alijs, tot ſeculorum decurſu, aliter docuerit, ſicque credulis ingenijs impoſuerit. Sed Epiſtolæ limites non ferunt, ut prolixius

lixius nunc de his aut præſtantioribus ad rem Aſtronomicam facientibus tecum agam. Fiet id, favente cœleſti Numine, ſuo tempore (præſertim ſi præveneris atque iterum occaſionem præbueris) oportunius et copioſius. Vale quam diutißime et felicißime. Dabantur Benachiæ die 24. Octobris ſtylo novo Anni 1599.

[E codice Bononiensi Archivi *Malvezzi dei Medici;* cf. Io. Ant. Magini *Tabulæ Primi Mobilis* (Venetiis 1604) foll. 85—86] †

IOHANNES ANTONIUS MAGINUS AD
TYCHONEM BRAHE.



LTIMA Bacanalium die fuit ad me Dominus FRANCISCUS TENGNALIUS, nobilis iuvenis, omnique virtute ornatißimus, et talis qualis a te mihi deſcriptus fuit, qui deferendo ad me tuas literas unâ cum munere tui libelli de machinis Aſtronomicis et de reſtitutione ſtellarum fixarum adeo mentem meam gaudio affecit, ut neſcirem quo me continerem, ſed hæc mea lætitia aliquantum remißa fuit, quando intellexi, ipſum diſceßurum eße ſequenti mane Florentiam verſus, nec poße mihi hîc referre ea quæ ipſi ſecreto, ut mecum communicaret, impoſuiſti, qui tamen mihi promiſit ſe hoc facturum poſt ſuum reditum Bononiæ circiter dimidium Quadrageſimæ, ſed fruſtra per totam Quadrageſimam a me expectatus fuit, imo et totam æſtatem, cum toto hoc tempore Florentiæ et Romæ commoratus ſit. Quin et ego quoque die 15ª Maij me Mantuam traduxi vocatus a Serenißimo Duce Mantuæ, ut Principes eius filios in Mathematicis erudirem; ubi permanſi tota æſtate, nec Bononiæ redire potui ante primum Novembris, tempore ſcilicet novi ſtudij. In hoc autem meo reditu inveni literas Domini FRANCISCI tui, quibus me commonefecit ſe quam primum velle Bononiæ redire, ut mihi exponere poßet tuum deſiderium, quod poſt duos dies fecit, relinquens mihi ſimul quædam ſcripta pro inſtructione dicti negocij. Valde profecto mihi grata fuit hæc occaſio tibi gratificandi, et plus quam credi poßit, quod eventus rei ipſius Deo volente tibi clare declarabit, neque enim nunc verbis hoc tibi indicare ſtudebo, ſed effectibus ipſis me facturum reſervo; habeo enim qui hanc provinciam libentißime ſuſcipiet, qui mihi inprimis devotißimus eſt, et habeo etiam plures literatos amicos per totam Italiam, qui et mihi et huic ‖ omne auxilium præſtabunt. 1ᵛ

Plura ad te ſcribere deberem, niſi improviſus reditus Domini FRANCISCI et maturus diſceßus eius obſtarent; præſertim cum multis curis et moleſtijs familiaribus nunc afficiar. Nolo tamen prætermittere, quin te

te ſubnixe et inſtantißime rogem, ut mihi gratißime communices Tabulas motuum luminarium a te editas et forſan publicatas unâ cum eius uſu pro his temporibus; cupio enim primus omnium Ephemerides condere novas ſecundum tuas obſervationes et interim, dum alias tabulas abſolves, potero ego ſupputare motus luminarium in eclipſibus et inſuper figuras ingreßus Solis in puncta cardinalia erigere et lunationes omnes perpendere, et ex his iudicia annua contexere; nam pro hoc negocio ſufficiet calculus reliquorum planetarum iuxta uſitatam rationem COPERNICI.

De meo ſtatu certior fies a Domino FRANCISCO tuo, ſcilicet me eße perturbationibus onuſtum, qua de cauſa finem huic epiſtolæ facio, rogans te efficaciter ut hæc omnia in bonam feras partem, meque ut verum et ſincerum amicum et devotißimum ſervum habeas. Deum optimum deprecor, ut tuis votis ſatiſfaciat plene. Vale.

Bononia 4 Novembris 1599.

Perilluſtri Dominationi tuæ
addictißimus
IO. ANTONIUS MAGINUS,
Patavinus.

† [E codice Hauniensi Ant. Coll. Reg. 317 in 2°]

DAVID FABRICIUS AD TYCHONEM BRAHE.



50v ONA quoque venia tui indicare volui, quod in quibuſdam ſtellis paulo diverſæ diſtantiæ per calculum dentur, a diſtantijs in libro Epiſtolarum annotatis, ut diſt. Aldeb. et dext. hum. Orion. in lib. Epiſtolarum datur 21. 23, quæ tamen per calculum ex datis longit. et latit. Tychonicis provenit 21. 26 proxime. Humeri utriuſque ibi ponitur diſtantia 7. 30½, quæ tamen per calculum 7. 32 proxime provenit. Sic etiam in quibuſdam alijs, per quæ an calculatorum errore vel Typographiæ vitio fiant, vel quod aliter poſt diſtantiæ illæ inventæ ſint, me latet. Quæſo ut T. M. per repetitum calculum hæc experiri dignetur. Ego hac occaſione has paucas diſtantias per calculum inquiſivi, quod ſextantem meum ad illas et alias etiam accommodare et verificare conſtituerim. Quia tamen ſæpe menda Typographica in numeris facile committuntur (ut in libro Epiſtolarum, ubi fol. 52 alt. mer. ſin. hu. Orio. ponitur 40. 59, quæ tamen 39 eße debet, idque vitio Typog. commißum) ideo videre volui prius, an conveniant diſtantijs calculi, quod ſi fieret, dubium nullum eßet, vitio Typographico illas carere. Si forte hæc, quæ indicavi me per meas ſinuum tabulas ex datis long. et lat.

lat. Tychonicis adinveniße, per repetitum abs T. Mag. calculum ita quoque (quod puto) invenientur, indicaße non penitebit, ne alijs momis aliquando vel minima etiam carpendi tua occaſio daretur. Candido et ſimplici animo licet T. M. ſcribo, non aliter, ac ſi res meæ propriæ, de quibus ſcribo, eßent. Cupio autem de his latitudinum et diſtantiarum diſcrepantijs T. M. enodationem audire.

[Ex apographo Hauniensi excerpt. Langebek. 179; cf. apographum manu scriptum in fine exempli Hauniensis P. J. Resenii *Inscriptionum Haffniensium* (Hauniæ 1668)]

TYCHO BRAHE AD IOH. G. HERWARTUM.



OBILIS et Magnifice vir, amice plurimum honorande, 1r
utraſque tuas, eodem tenore ad me datas, unâ cum Catalogo Bibliothecæ Serenißimorum Principum Bavariæ, recte quidem et ſatis mature accepi; erantque ea omnia mihi longe gratißima et ſingularem tuum atque ſincerum et benevolum erga me affectum liquido oſtendebant. Verum quod tardius reſpondeam quam debebam, mihi invito ob occupationes varias incidentes evenit. Acceperam tuas, cum in ſcribendis quam plurimis, tam in Daniam quam hinc inde in Germaniam literis, per filium natu maiorem dirigendis, quem ex Clementißima Cæſ. Mai. Domini noſtri clementißimi voluntate in Patriam pro adferendis reſiduis inſtrumentis, ablegavi, eram occupatißimus; cumque is unâ ſecum haberet literas Cæſareæ Maieſtatis ad Magiſtratum Magdeburgenſem, quibus clementißime rogabantur, ut quædam ex inſtrumentis meis Aſtronomicis, ſimulque Bibliothecam et meam ſupellectilem iſthic relictam, huc per Albim in Bohemiam tranſvehi curarent, ſperabam id intra tres vel quatuor ſeptimanas confici poße, ideoque ubi libri mei advenißent, me promptius quoſnam haberem vel deſiderarem ex ijs, qui in Catalogo tranſmißo memorantur, perſpecturum mecum ſtatuebam, tum quoque nonnulla inter res noſtras librarias et chartas inventurum, quibus tuis deſiderijs pro tempore rectius ſatiſfacerem, ideoque reſcriptionem nonnihil data opera procraſtinavi, exiſtimans illud tritum locum ſic inventurum,

Differ, habent parvæ commoda magna moræ. †

Verum præter omnem exſpectationem accidit, ut Magdeburgenſes ſubterfugia quædam in literis Cæſareanis invenientes, de rerum mearum huc tranſportatione aliquamdiu hæſitarint, tandemque id officij prorſus detrectarint, ut neceße habuerit amicus quidam meus Magdeburgi, cui hoc negotium concredideram, mihi Magiſtratus illius loci

tergiverſationem

tergiverſationem indicare, mißo huc proprio tabellario, quem mox in aulam Cæſareanam cum literis Magnifico Domino BARVITIO hæc ſignificantibus amandavi. Is vero alias a Cæſarea Maieſtate Magdeburgenſibus denuo ſcriptas hiſce diebus mihi retulit, quibus ſignificantius et magis ſerio ijs mandatur, ut ſuis ſumptibus in gratiam Cæſareæ Ma^{tis} hanc operam præſtent, quæ literæ ijs nunc adportantur. At quoniam Albis admodum declivis, imo quibuſdam in locis vadoſus eſt, ob diuturnam quæ anteceßit ſiccitatem, ignoro, quam cito id fieri poßit, ideo reſponſionem ad tuam epiſtolam non diutius protrahendam cenſeo, præſertim cum ante biduum a prædicto Magnif. Domino BARVITIO, communi noſtro amico, omni honore dignißimo, per literas de reſcriptione maturanda rogatus ſim. Taceo nunc quod et alia inciderint non pauca, quæ præter voluntatem in reſpondendo me tardiorem reddiderunt. Præterquam enim quod plurimis curis tam domeſticis, quam in ſtructuris pro novo Obſervatorio atque Laboratorio ex Cæſareæ Ma^{tis} clementißimo permißu, adornandis et urgendis indies diſtinerer, acceßit et hoc, quod contagia luis epidemicæ arci Benachiæ appropinquantia Gynæceum meum (cum ſexus ille alias natura ſit timidiuſculus) ita terruerint ut precibus eius auſcultans, huc in aliam arcem Cæſareanam Girſitzam prope Albim tribus milliaribus Praga diſtantem ſecedere cum tota familia conſultius duxerim, quæ tranſmigratio non parum otij mihi ad ſcribendum præripuit. His itaque et alijs de caußis (nolo enim nunc ſingula referre) cum factum ſit, ut nolens volens reſcriptione hucuſque ſuperſedere neceße habuerim, ſpero me apud te pro eo, quo præditus es, animi candore, excuſationem et veniam reperturum, quod tuæ expectationi non prius morem geßerim, ideoque hæc purgationis loco, eo latius præfari volui.

Nunc ad litteras tuas, et quæ ſimul mißa ſunt, venio, quibus hæc pro temporis occaſione reſpondenda incidunt. Quæ ab initio attingis de Sacræ Cæſ. Ma^{tis} clementißimo erga me favore et ſtudiorum meorum benignißima promotione, ita futurum, animum tibi præſagijße, veridicus id equidem genius tibi ſuggeßit. Nam ipſius Ma^{tem} non ſaltem Cæſareum ſed et paternum (modo ſic loqui liceat) erga me gerere affectum, vel inde liquet, quod nuper bis per prænominatum Mag. Dominum BARVITIUM ad vicinum mihi Dominum Capitaneum Brandeiſenſem, de me clementißime perſcribi mandavit, non ſaltem quoad ea, quæ ſalarium mihi benignißime deputatum, ubi et quando obtinendum concernunt, ſed et inſuper ſignificari, ipſius Cæſaream Ma^{tem} proprio motu de me clementißime ſollicitam eße, ob pericula luis Epidemicæ, quæ Benachiæ invaluerunt, ideoque clementißime concedere,
1v ut alio me reciperem, ‖ aut etiam Viennam uſque, ſi ſic lubuerit, proficiſcerer, ubi de habitatione commoda et neceßarijs ipſius Maieſtas

mihi tempeſtive et clementißime proſpicere vellet. Quæ ſane benignißimam et non vulgarem Cæſ. Ma^{tis} erga me affectionem haud obſcure declarant; quod etiam ſubiectißimo animo quam gratißime accipio, et dabo operam, adiuvante Numine cœleſti, ut ea quæ ipſius Ma^{ti} vicißim clementißime accepta et honorifica eße poterint, pro virili quoad vixero humillime et obſequentißime præſtem. Licet vero iter Viennenſe ob longinquitatem et negotia mea necdum Benachiæ recte compoſita, modeſte et humiliter excuſarim (quod et ipſius Ma^{ti} non diſplicuiße poſtea intellexi) tamen, uti dictum eſt, huc Girſitzam ſecedere non inconſultum duxi. Unde Benachiam ſubinde excurrere, atque ſtructuras iſthic pro me inchoatas urgere, quantum per me licet, non intermitto.

Quod de Patria mea mox ſubiungis, te non mirari, eam me neglexiße, cum ita fieri ſoleat, ego ſane mea de cauſa nihil inde afficior, cum ibi eße Patriam, ubi bene et commode vivitur, cenſeam. Sed potius ipſius Patriæ cauſa doleo, quæ propterea apud cordatiores male audit, et audiet forſan diutius, quam nonnulli in ea huius mutationis machinatores prævidere aut credere potuerunt. Ut vero rectius perſpicias, quam graves habuerim emigrationis huius cauſas, mitto faſciculum litterarum, eas per circumſtantias exponentium, inter quas aliquæ ſunt, occaſionem, cur in Cæſareæ Ma^{tis} ditionem tranſire maluerim, oſtendentes. Caſum vero hunc iamdudum a me prævіſum fuiße, liber noſter Epiſtolarum (quem te ad manus habere, ex prioribus tuis intellexi) innuere poterit, pagina 198 iuxta calcem et in principio ſequentis. Cumque prævіſa tela minus feriant, ego hanc ſortis meæ vicißitudinem, utut hac invaleſcente ætate, et in tanta familiæ copia gravem, patientius et fortius fero. Addidi ſimul carmina quædam ſelecta ex quam plurimis in meam gratiam, poſtquam Dania exceßi, a varijs hinc inde Poëtis concinnata; exſpecto brevi plura, tum ab illuſtri Domino IOSEPHO SCALIGERO et Poëtarum noſtri ſeculi anteſignano, PAULO MELISSO, tum quoque alijs claris in Italia et Germania ac vicinis Regnis, vatibus; ſi qui in veſtra Bavaria aut propinqua Auguſta Vindelicorum ſunt (uti eße non dubito) qui de Heliconis fontibus ſuaviter venas acuerunt, da operam ut numerum adaugeant. Fieri enim poteſt, ut aliquando ubi in mediocrem libellum excreverint, ea publicari ſinam; ita tamen ut Patria et Rex virique in ea integri, quibus invitis talia mihi contigerunt, excuſabiles ſint. Duo ultima Epigrammata, cum ſæpe dictus Magnif. Dominus BARVITIUS Cæſareæ Ma^{ti} nomine meo humillime oſtendißet, quærendo an liceret ianuæ utrique novi Obſervatorij et Laboratorij marmori inciſa imponere, ipſius Ma^{tas} clementißime annuit atque ſic fieri iußit. Quando otium a gravioribus occupationibus tibi fuerit, poteris et hæc et priora diſceßum meum e Dania attingentia, obiter perluſtrare tibique reſervare.

Sed

Sed his minus forte huc pertinentibus omißis, venio nunc ad ea, quæ Mathematica et Aſtronomica ſunt, in quibus noſtra utrinque verſatur voluptas. Quod in dubio illo de ♀ ſtella a ☿ non eclipſata rationibus meis acquieveris, bene eſt, addo prioribus et hanc. Non in omni coniunctione ☿ et ♀ ipſius ſtellam infra hanc eße, ſed nonnunquam etiam ſupra, ſic poſtulantibus non ſaltem meis novis hypotheſibus, quæ Terræ quietem ſtabiliunt, ſed et Coperniceis mobilitatem eidem vel invitæ obtrudentibus. Quæ de motu Solis et Lunæ in prioribus innui, quæque a te ſolerter et circumſpecte inibi expenſa placuiße video, ita omnino ſe habere apparentiæ demonſtrant, maioremque ineße Lunæ motui varietatem, quam hactenus perſpectum eſt, convincunt. Recte ſane de veterum obſervationibus cenſuram profers, eas craßa quadam Minerva acceptas eße, quam enim lata indagine ipſa fixarum loca, e quibus Planetarum obſervationes dependent, denotârint, inde patet quod non ſaltem ultra ſextam gradus partem haud fuerint ſolliciti, ſed ne hanc quidem ubique attigerint, immo nonnunquam vix ſemißem, prodentibus id etiamnum ſtellarum diſtantijs, quæ invariatæ perma-
2r nent ipſorum numeris non accordantibus. Quid igitur, ‖ quæſo, in cæteris ſubtiliori indagini obnoxijs præſtare potuerint? Quare non iniuria dubitas de obliquatione Signiferi ab HIPPARCHO et PTOLEMÆO iuxta ERATHOSTENIS placitum retenta, atque hinc occaſionem ſatis ingenioſe invenis, cur PTOLEMÆUS ☾æ latitudinem maximam tertia gradus parte in □turis minorem, quam a nobis deprehenſa eſt, ſtatuerit. Atque hæc iamdudum penitius introſpicienti mihi, dum latitudines fixarum, pro ratione variationis obliquitatis Eclipticæ alteratas eße deprehendo, quemadmodum Tomo I Progymnaſmatum
† Aſtronom. e noſtris c. 2 luculenter demonſtro, attendi quod applicata inclinatione Eclipticæ maxima, quam ipſemet aliquoties accuratißime adinveni P. 23 M. 31½ ad eas ſtellarum declinationes, quas TIMOCHARES, HIPPARCHUS et PTOLEMÆUS recenſuerunt, prodire eandem quam proxime latitudinem, quam etiam nunc habere deprehenduntur, alias non. Ex his itaque et ſimilibus ſuſpicari non immerito licet, non tam revera mutatam eße obliquitatem Signiferi, quam a veteribus illis, intra tertiam gradus partem non ſatis præciſe determinatam. Ut vero inter plura exempla, dicto libro allegata, unum vel alterum huc advocem, primum id probant utræque ſtellæ illuſtres in ca-
† pitibus ♊, Caſtor et Pollux dictæ, quæ paulo ante Tropicum æſtivum veterum illorum temporibus verſabantur, nunc autem eundem dimidio quaſi ſigno prætergreßæ ſunt, ut ob id promptior ex his detur inveſtigationis ratio; adhibita enim declinatione, quam ijs PTOLEMÆUS e TIMOCHARIS, HIPPARCHI et ſua animadverſione attribuit, et longitudine earundem ad illorum veterum tempora ſimul rite diſpoſita,

deprehenduntur ambæ per Triangulorum demonſtrata latitudinem obtinuiße 18 vel 19 M. minorem ea quam nunc cœlum ipſum oſtendit, quod vel mutatæ obliquitati Eclipticæ aſcribendum, aut eandem tunc fuiße, quæ nunc eſt, ſtatuendum, nulla erit in latitudine ſenſibilis differentia, unde antiquos illos per tertiam gradus partem angulum obliquationis Eclipticæ ad Æquatorem nimium auxiße convincetur. Idipſum quoque ſecundo minori negotio patet ex lucida Vulturis volantis ſtella, quam TIMOCHARES, HIPPARCHUS et PTOLEMÆUS unanimiter prodiderunt declinare ab Æquatore verſus Boream P. $5\frac{5}{8}$, quod illa ſtella eorum temporibus quam proxime eßet quoad longitudinem Tropico hiberno, ideoque declinationem inſenſibiliter variare. Addita itaque declinatione eorum maxima provenit ſtellæ latitudo P. 29 M. 40, nec enim moror quod PTOLEMÆI erroneus abacus circa hanc contra propria aßumpta, uti et ſæpe alias, eum etiam fruſtra imitantibus neotericis, admiſit, quæ omnino excedit eam quam illa ipſa ſtella nunc cœlitus exhibet, tertia fere gradus parte, quantum videlicet dubia apud veteres obliquatio requirit, noſtra vero ſi applicetur, eadem manebit latitudo tam olim quam nunc. Accedit et hoc (ſi Planetas in conſilium adhibere lubuerit) quod ♂^{tis} ſtellæ latitudo maxima verſus Boream huic inductioni adſtipuletur, cuius limitem Boreum penes Apogæum in $25\frac{1}{2}$ G. ♋ PTOLEMÆUS conſtituit, et latitudinem hinc fecit P. $4\frac{1}{3}$. At nos Apogæum eius nunc verſari in P. $23\frac{1}{2}$ ♌ (5 G. COPERNICI † opinione anterius) exacte adinvenimus et limitem Boreum præcedere $6\frac{1}{2}$ G., latitudinem vero Boream, quando ibi Soli opponitur, eße P. 4 M. 35, quæ quarta gradus parte PTOLEMÆI tradita exuperat, quantum etiam minor Eclipticæ inclinatio quamproxime ijs in locis requirit. Licet ut dicam, quod res eſt, in cæteris duobus ſuperioribus Planetis idipſum non pariter quadret, quorum limitem Boreæ latitudinis maximæ PTOLEMÆUS circa ♎ initia eße voluit, ubi error inclinationis Eclipticæ inſenſibilis fere evadit; cumque is latitudinem maximam Boream ſtatuerit in ♄ P. 3 M. 6, nos non maiorem deprehendere potuimus P. 2 M. $49\frac{1}{2}$, quæ ab illo deficit paulo plus 4ta gradus parte, et pa- † riter in ♃ latitudo maxima Borea ab illo inſinuata eſt P. 2 M. 5, quam nos ſaltem partis 1 Min. $39\frac{1}{2}$ aßecuti ſumus, ita ut 25 Min. omnino deficiant, quæ diſcrimina in utroque hoc Planeta per incertam Eclipticæ ad Æquatorem inclinationem excuſari nequeunt, ſiquidem non longe a concurſu utriuſque circuli eveniant. Adde et hoc, limitem Boreæ latitudinis ♄, quem PTOLEMÆUS 50 G. Apogæo eius anteriorem credidit, ‖ nunc ab Apogæo, quod hæret in 26 G. ♐ Coperniceo $3\frac{1}{2}$ an- 2v terius diſtare in antecedentia P. $65\frac{1}{2}$, ſic quoque in ♃, ubi is Boreum latitudinis terminum 20 G. Apogæo ulteriorem tradidit, nunc eodem 3 ſolummodo Gradibus poſterior a me adinventus. Occupat enim hoc tempore

tempore Apogæum ♃ 3 G. ♎, et COPERNICI mente quaternis ferme † anterius eſt; limes autem Boreus in 6 ♎ G. expleto conſiſtit. Quomodo hæc, de quibus etiam nonnulla in antecedentibus meis generali indicatione attigi, cum PTOLEMÆI placitis concilianda ſint, non ſatis liquet, ſive erroneæ fuerint ipſius obſervationes (nam de noſtris ſubtiliſsime trutinatis nihil ambigo) ſive quod revera talis latitudinibus et limitibus earundem mutatio ſubrepſerit. Unde etiam patet, nodos horum Planetarum et terminos digreſsionis ab Ecliptica maximæ Apogæorum motui non obtemperare, uti hactenus creditum eſt, quodque nimis inconſiderate magnus alias ſuperioris ævi Aſtronomus COPERNICUS, PTOLEMÆI traditionibus, citra propriam experientiam, in his, uti etiam pleriſque alijs, acquieverit, ideoque non mirum, latitudines Planetarum longe aliter ab ipſo cœlo exhiberi, quam ipſius fert numeratio. Verum non opus eſt hoc de Eclipticæ obliquatione dubium tam longinque petere atque in libellam expendere, ſiquidem Artificum obſervationes, qui poſt PTOLEMÆUM vixerunt, in eadem determinanda noſtræ inventioni citra admodum ſenſibile diſcrimen adſtipulentur. ALBATEGNIJ certe PTOLEMÆO et nobis ferme intermedij tradita indicant, ante 700 annos obliquitatem hanc maximam vix $4\frac{1}{2}$ ſcrupulis, † et ASRAELIS Hiſpani, 200 fere annis poſt, ſaltem $2\frac{1}{2}$ noſtra animadverſione maiorem fuiſse, quod non niſi maximis inſtrumentis perceptibile eſt, qualibus illi vix uſi ſunt, et per parallaxin Solis ab ijs neglectam quodammodo in uno vel ſeſquialtero minuto excuſari poteſt, PROPHATIO Iudæo adhuc paulo poſt, alijs 200 annis ab ASRAELE eandem nobiſcum intra dimidium minutum ante 300 retro annos conſtituente, ſiquidem is forte maiori et exactiori uſus ſit organo et parallaxin † Solis præcaverit. Ex quibus omnibus ſatis probabiliter colligitur, vix aliquam ſubeſse ſenſibilem obliquationi huic mutationem. Mirum autem videri poſset ab ARISTARCHO, qui ſaltem 40 circiter annis ab obitu ALEXANDRI Magni floruit, uſque ad PTOLEMÆUM [qui] 460 ab eodem abfuit, per intermedios ERATOSTHENEM et HIPPARCHUM, plane eandem permanſiſse Eclipticæ ſummam obliquationem, quam illi intervallo maiore 400 unanimiter annis prodiderunt P. 23 M. $51\frac{1}{3}$, nunc vero inde ab ALBATEGNIO ad nos per 700 annos intra 3 Min. (tantillulum enim ALBATEGNIJ a noſtra inventione ſolummodo differt, ſi parallaxin adhibuiſset) eandem permanere, veterum illorum annotatis quaſi tertia gradus parte minorem, quod ſuſpicionem movet PTOLEMÆUM et HIPPARCHUM, prout tu etiam vis, antecedentium autoritate nimium confiſos fuiſse, ideoque ſimilia pro libitu admiſiſse. Quod vero recentiores utpote PURBACHIUS, REGIOMONTANUS, WERNERUS et ipſe quoque COPERNICUS eandem 4 proxime ſcrupulis noſtra minorem reddiderint, ob refractionem

Solis

Solis in decliviori ſitu brumali, quæ ad 8 vel 9 M. excreſcere poteſt et tantundem Solis altitudinem meridianam iuſto maiorem reddere (quod pro dimidia parte declinationem maximam ex utroque Tropico petitam nimis coarctat) ab ipſis non præviſam, hic error commißus eſt; quin et obſervatæ diſtantiæ $\odot^{is}$ a vertice Noribergæ, tam a REGIOMONTANO quam eius diſcipulo WALTHERO ante 100 circiter annos factæ, ſi tam parallaxis quam refractio Solis ijs rite applicentur, convincunt, eandem intra ½ M. fuiße tunc declinationem Solis maximam reſpectu Æquatoris, cum ea quam nos obſervavimus. Sic quoque promotionem fixarum ſtellarum non adeo irregularem eße exiſtimo, prout COPERNICUS ex veterum minus ratis obſervationibus, cum ſuis et illis etiam non ſatis accuratis collatione facta, per Æquinoctiorum intricatam anticipationem inducere et excuſare allaboravit. † Si enim obſervata in ſtellis HIPPARCHI (neglectis PTOLEMÆI dubijs annotatis) per intermediantem ALBATEGNIUM, qui in his accuratior erat, ad noſtra inventa deduxerimus, eas in annis ab HIPPARCHO ad ALBATEGNIUM 1006 P. 14 M. 15 confeciße, ab hoc vero ad nos interiectis annis 705 decem præciſe gradus abſolviße conſtabit. Unde eas in toto hoc inter-‖ſtitio, utrobique etiam ſubſumpto, confeciße in 70½ 3r annis 1 G. et ſingulis 51″ æquali et ordinario progreßu conſequens erit. Quare ſuſpicio non iniuria moveri poterit, PTOLEMÆI tradita æſtimative ſolummodo aßumpta eße, ut centenis annis imitatione quorundam anteceßorum, quos temporis paucitas et obſervationum incertitudo fefellit, 1 G. motui fixarum aſcriberet. Pari inſuper ratione anni inæqualitatem non tam enormem et variam eße, qualis ab eodem COPERNICO nobis obtruſa, cenſeo, refragantibus vel hoc ipſo ſeculo, ut de antiquis illis nunc nihil dicam REGIOMONTANI et WALTHERI obſervationibus, cum noſtris in trutinam vocatis, quæ anni quantitatem ultra dies ſuos et horas 5 non plane 49 Min. attingere probant, † cum tamen iuxta COPERNICUM 6 M. et ultra maior foret, quod per continuam aggregationem efficit, illum in Æquinoctiorum temporibus intolerabiliter hallucinari, adeo ut nunc vernale 14½ horis, id eſt ultra dimidium diem iuſto plus prolonget, qui error adeo fœcundus eſt, ut poſt 100 annos ipſum integrum diem et tres inſuper horas in Æquinoctio verno conſtituendo nimium habere neceßarium evadat. Et ſi ab HIPPARCHO per ALBATEGNIUM uſque ad REGIOMONTANUM et nos derivetur anni quantitas ſibi fere ſimilis, nec adeo enormis, uti putavit COPERNICUS, cognoſcetur, ſolo PTOLEMÆO negotium (undecunque tandem in hunc errorem prolapſus) omne interturbante, nec ipſo COPERNICO Solis motiones ipſi cœlo conſonas rite applicante, cuius derivationis occaſiones prædicto Progymn. libro c. 1 aperuimus. Hinc inſuper adducor, ut de eccentricitate Solis a † PTOLEMÆO

PTOLEMÆO hucuſque tantopere mutata ambigam, ſiquidem ea quam is unâ cum HIPPARCHO retinuit P. 2½ qualium ſemidiameter eccentrici eſt 60, ea poſtea ab ALBATEGNIO et ASRAELE pariter inventa ſit P. ſolummodo earundem 2 et M. 5, quæ a noſtra exactißima deſignatione P. 2 M. 9 non magnopere deficit, et res ſane eſt ſubtilißimæ inquiſitionis, ut non mirum ſit, in tribus vel quatuor ſcrupulis hîc diſcordare vel Lynceo oculatiores Aſtronomos, quæ omnia tuæ gravißimæ et politißimæ cenſuræ expendenda diſcernendaque ſubijcio. Ex quibus etiam ſingulis liquidißime conſtat, te non fruſtra de veterum diligentia in talibus adminiſtrandis dubitare et noſtræ quoque hac in parte hæſitationi non inconvenienter ſubſcribere. Animadverti et ego illos harmoniam quandam e numeris et proportionibus Pythagoreis (uti exiſtimo) quæſiviße, atque eidem nimis ſecure acquieviße; quicunque apparentijs exacte conſona ſic tradiderit, erit mihi magnus APOLLO, id autem poſterius inveſtigandum. Sed hoc opus hic labor eſt, neque enim dubium, Deum univerſi autorem omnia etiam in cœleſtibus harmonice condidiße, quemadmodum in homine μικροκόσμῳ et tota inferiori natura intelligente apparet.

Tabulas noſtras de motu luminarium ſeorſim quidem, quam primum fieri licuerit, imprimi curabo, ac cæteris Planetis, in quibus adhuc nonnulla elaborabo, præmittam, ſed non libenter nudos numeros abſque obſervationum et demonſtrationum robore emitto. Volo enim mea rata et demonſtrata eße, ne quis merito relinquatur dubitationi aut oblocutioni locus, ero tamen in his ab initio parcior et ſaltem maxime neceßaria promam. Cætera in magnum illud Aſtronomiæ, quod molior Theatrum, ſi per Dei benignitatem et Cæſaris ſubſidia id abſolvere licuerit, reſervaturus, ubi ſingula tam quoad obſervationes quam Geometrica et Arithmetica ad hanc divinam artem facientia luculenter pertexere animus eſt. Interim tibi ea libentißime, quæ Eclipſium calculum reſpiciunt, quatenus hucuſque a me elaborata ſunt, communicarem, verum pauca ex ijs hîc mecum habeo. Sunt præcipua apud ſupellectilem meam librariam Magdeburgi relictam, ſi quæ forte a meis ſtudioſis huc aſportata ſunt, pro quotidiano eorum uſu de ijs mox Benachiæ, ubi ea quæ Witebergâ mecum aßumſi, adhuc cuſtodiuntur, inquiri faciam, et quæ inventa fuerint hiſce addam, quamvis non omnia ita expolita atque ad extremam limam adhuc deducta ſint, prout requiritur, et alias inchoata ac manuſcripta habeo, licet nunc ad manus non ſint. Fefellit me Typographus quidam Hamburgenſis, interea dum in Bohemiam tendens iſthac Dreſdam ante annum eo, et quaterniones de motu ☾æ in Progymnaſmatis meis deſideratos corrupit maleque impreßit, dumque poſtea per hybernum otium hunc laborem Witebergæ renovari tentarem, apud eius loci Typographos fidelitatem et diligentiam

tiam requiſitam neque reperi, moxque a Cæſarea Ma^{te} huc clementißime vocatus, iſthic inchoata abrumpere coactus ſum, accedentibus et quibuſdam alijs, quæ mihi remoras inie-||cerunt, impedimentis. 3v Quamprimum autem omnia plenius abſoluta fuerint, quod ut primo quoque tempore fiat enitar, tecum non invite ſive impreßa ſive manuſcripta communicabo, non dubitans quin ea, quæ privata fuerint et necdum publici iuris facta, tibi et ſoli concredita, ſis reſervaturus. Neque ſane opus fuißet, tanta hac in parte proteſtatione et obligatione, cum tibi alias, licet de facie ignoto, fama tamen etiam hiſce inter nos ventilatis diſputationibus, ſatis perſpecto, fidam, atque id quod tua meretur virtus, tribuere non averſer. In Epochis, quæ requiris, ſi cætera invenero, adiungam, ut ad Ptolemaica tempora vel etiam antrorſum per aliquot ſecula noſtræ reſtitutiones utrinque applicari poßint, donec pleniora et exactiora a me nactus fueris, quatenus veterum lato modo ſumptæ animadverſiones, quod et ipſe haud inconſiderate fateris, id patiuntur. His interea utere.

Adhortaris ut mea opera Aſtronomica maturem, quod et per Europam, quam late Chriſtianiſmus patet, multi excellentes viri adhortati ſunt, et etiamnum adhortantur, quin et ego admodum invitus hanc moram fero. Abſum iam a Patria, ubi ſtudia mea conturbabantur, fere per triennium, nec ante requiem optatam pro ijs invenire licuit, quam nunc concedente eam Clementißimo Cæſare noſtro, cumque ego ſolus tanto oneri obſervationum et ſupputationum non ſufficiam, habeo nunc ſaltem mecum 3 vel 4 ſtudioſos, quorum opera hac in re utor, cum antea in Dania, dum regnum Uraniæ incolume atque arx inclyta † ſtarent, 10 vel 12 hac de cauſa ſuſtentare ſolitus fuerim. Spero autem, ubi Cæſar Dominus noſter clementißimus rei molem penitius introſpexerit, quod adhuc benignius auxiliatrices manus clementißime porrecturus ſit, nec veteri illi ALPHONSO, utut tantæ impenſæ non requirantur, ceßurus, et nihilominus ſolidiora (abſit invidia dicto) promoturus.

Lubenter intellexi te in compendijs Triangulorum per ſolas proſtaphæreſes in numeros reſolvendorum, gnaviter verſatum eße. Hanc ingenioſam et utilißimam inquiſitionem ante annos fere 20 enucleandam ſuſcepi e RHETICI Dialogo, quem integræ Tabulæ Triangulorum ad ſextantes graduum ſolummodo a ſe ſupputatæ ſubiunxit. Occaſionem nactus ſum, dum compendia calculi Geometrici et Aſtronomici quærenda eße monet, ut citra tabulas Aſtronomicas æquationum ſive proſtaphæreſium e ſolis medijs motibus vera Planetarum loca promptius eruantur, quod cum per tædioſas multiplicationes et diviſiones fieri nequaquam poßet, hac alia poſtea a nobis fructuoſe reperta ingrediendum erat via, cui etiam WERNERUS in libello de motu octavæ

octavæ ſphæræ aliqualem præbuit anſam; poſtea ſuperveniente meque in Dania Uraniburgi anno 80 per 4 menſes inviſente PAULO WITICHIO bonæ memoriæ, excellenti Mathematico Vratiſlavienſi, qui talibus etiam (a me Witebergæ dum iſtic olim tranſieram admonitus) interea inſudaverat, cum illo communicata opera, ea ipſa lucutentiora reddidi et ſemper exinde in uſu habui, quo ſtudioſis meis, obſervationes noſtras in numeros redigentibus, temporis et laboris diſpendium minueretur. WITICHIUS autem a me diſcedens et poſtmodum illuſtrißimum, laudatißimæ memoriæ Haßiæ Landgravium WILHELMUM accedens, tam inſtrumentorum meorum confectionem iſthic expoſuit, quam Automatopæo Principis IUSTO BYRGIO, mechanico eximio, hæc Triangulorum myſteria propalavit, a quo quidam ſcurrilis Sycophanta (cuius ſi quod eſt ingenium, turpißime habitat, quem ut hîc nominetur indignum cenſeo, qualis conviciator et calumniator ſit, alias teſtatum relicturus) illa habuit, ſive conſenſu, ſive dolo, non dixerim, et poſtea pro ſuis Argentinæ, cum alijs qui- † buſdam hinc inde corraſis, manca tamen et mutila publicavit. Unde occaſionem nactus, ſed iſti immerito tribuens excellentißimus ille Mathematicus CHRISTOPHORUS CLAVIUS ea eruditißimo ſuo de Aſtrolabio volumini inſeruit, atque ſuo quodam modo adauxit, circa Sphærica tamen et Rectangula, quantum video, ſolummodo occupatus, quæ noſtræ intentioni nequaquam ſufficiunt. Laboravit optimæ recordationis Dominus IACOBUS CURTIUS, præcedens Imperij Procancellarius, vir omni laude maior, et horum ſtudiorum apprime amans et intelligens (quem utinam fata nobis diutius reſervaßent) laboravit, inquam, ut hæc non ſaltem ad obliquangula Sphærica ſed et † Triangulis quibuſdam planis adaptaret. Verum in hoc poſteriore, uti audio, id quod voluit, non omnino aßecutus eſt, ſive laboris tædio præpeditus, avocantibus eum gravißimis officij tam ampli in tanta Rep. 4r occupationibus, ſive etiam morte immatu-‖ra præventus. Cum Wittebergæ ſuperiori hyeme aliquandiu hærerem et Typographicos labores non ex animi ſententia ſuccedere animadverterem, reſumpſi hanc operam in manus, et adhibito iſthic præſtanti Mathematum Profeßore MELCHIORE IŒSTELIO, ea omnia, quæ tam Sphærica, quam plana Triangula reſpiciunt, quæcunque in uſum cadunt Aſtronomicum et Geographicum, per ſolas proſtaphæreſes dinumeranda compendioſe † in ordinem redigi effeci, ita ut nihil fere ulterius in his nunc deſiderari queat, quæ etiam ſuo tempore in communem horum ſtudiorum utilitatem et promotionem publici iuris fieri procurabo, quin et antea, ſi ſic expetieris, te eorundem non illibenter participem reddam, cum omne bonum ſit communicabile, præſertim dignis te in tuis, quæ in promptu habes, ſimilibus inventis, par pari relaturum (vident enim

ſæpe plus oculi quam oculus) confido; ſi præveneris, eo magis eoque
citius me ad id præſtandum inſtigaveris. ‖

[Libros, quos ſerenißimis et illuſtrißimis Principibus veſtris et etiam †50r
tibi deſtinavi, necdum mittere conceditur, exemplaria enim Mechanicæ
noſtræ Aſtronomiæ, quæ pictori Pragenſi illuminanda, uti vocant, com-
miſi, nec adhuc recepi, non enim de ijs periculoſo iſto tempore ſollicite
quærere lubuit; cæteri in hac rerum mearum irrequietudine, et nec-
dum ſatis compoſito ſtatu, non tam cito ac vellem conſcribi potuerunt,
ſed fiet id nihilominus, Deo volente, per primam quamque oportuni-
tatem, ſiquidem omne promißum cadat in debitum. Quod tam bene- †
vole Catalogum librorum Mathematicorum, qui in Principum iſthic
Bibliotheca inſtructißima inveniuntur, mecum communicaveris, teque
de ijs, quos expediero, certiorem reddi cupieris, quas poßum gratias
ago maximas. Res enim hæc mihi acceptißima eſt, cum talibus impenſe
oblecter. Et licet plurimi ex ijs arriſerint, ſelegi tamen ſolummodo inde
50, quos in adiuncta ſcheda denotatos vides, inter eos etiam ſunt Hæ-
braici libri poſtea mihi a te inſinuati. Si hos omnes per primam quam-
que occaſionem ad me miſeris, rem apprime gratam feceris, reſtituam
cunctos bona fide ad præfinitum a me tempus, et ſi ſex illos, quos unâ
conſignavi e Catalogo Nundinarum Francofurdenſium excerptos, ‖
ſimul appoſueris, actutum pretium indicatum ſolvam atque remittam. 50v

Incidit mihi et quippiam aliud, poſtquam vidi tecum libere et libera-
liter de hac re literaria mecum agere. Memini cum in iuventute Au-
guſtæ Vindelicorum vobis vicina urbe per biennium ferme verſarer
atque in horto Domini PAULI HENTZELIJ Conſulis bonæ recorda-
tionis obſervationibus cœleſtibus per Quadrantem maximum a centro
ad circumferentiam 21 pedes habentem ibi a nobis exſtructum ſubinde
invigilarem, inter alia] intellexiße, illuſtres et generoſos Dominos FUG- 4r
GEROS in amplißima ſua Bibliotheca excellentes quoſdam libros, tam
in alio quam hoc genere artium reſervare, quorum tamen inſpiciendo-
rum copia, tunc, neſcio ob quæ impedimenta, data non eſt, atque inter
alios percepi, laborioſißimi illius et eximij viri CYPRIANI LEOVITIJ
Bohemi, laudatæ recordationis, nonnulla manuſcripta opera a vidua
poſt obitum eius conquiſita ibidemque detineri, qualia ſunt Epheme-
rides, per centenos aliquot annos e Calculo ALPHONSINO ad denos
ſaltem dies ab ipſo continuatæ et aliæ e COPERNICEIS ab anno 1500
incipientes (quouſque durent, iam non ſuccurrit) tum quoque eiuſdem
CYPRIANI Tabulæ directionum reſolutæ, in quibus aſcenſiones obli-
quæ ad octavum latitudinis gradum utrinque ab Ecliptica dilatatæ ſunt.
[Habui etiam præ manibus magnum opus de Genethliaca Aſtrologia, 50v
quod an abſolverit et ad FUGGEROS pervenerit, ignoro. Si hæc et †
ſimilia præſtantißimi huius viri manuſcripta et nondum evulgata opera
mihi,

mihi, ut ea pauculis diebus per otium introſpiciam (neque enim in re Aſtronomica inſtauranda, et ijs quæ ego molior, quidpiam uſui eße poterint, cum ſint, uti ſcis, vulgaria) modo non propria ſaltem Serenißimorum Principum veſtrorum, quibus ea Reſpublica FUGGERIque ipſi plurimum merito tribuunt, auctoritate et clementißima interceßione procuraveris, dißimulato tamen meo, ſi ſic conſultum duxeris, nomine, officium inprimis acceptum feceris, reſtituam quoſcunque nactus fuero inviolatos, ad præſtitutum diem, et ſi ſimul indicem omnium librorum, qui in ſplendida ea Bibliotheca habentur, præſertim Mathematicorum et Philoſophorum, nanciſci potuero, erit id mihi eo acceptius.

51r Plura nunc non adiungo, ne te nimium || uno tempore detineam atque fatigem. Verum ut hæc, quæ nunc in buccam venerunt, boni conſulas, officioſe et peramanter rogo, et ſi me, uti ſpem facis, aliquando inviſere non degravatus fueris, advenies non ſaltem hoſpes longe exoptatißimus, ſed amicus intimus quovis officij genere pro meo modulo excipiendus. Dum modo per Cæſarem licuerit, et commoditas aliquando ſeſe obtulerit, ut eas oras ingrediar, te etiam Monachij coram alloqui non ſuperſedebo, quin et alias quæcunque a me proficiſci poterint officia, quam lubentißime offero, teque cum tota domo quam optime et diutißime valere ex animo precor.]

4r Dabantur properanti calamo ex arce Cæſareana Girſitza 16. die Novembris ſtylo renovato Anno 1599.

† [E codice Vindobonensi lat. 10702]

157v
ERUDITISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO
VIRO DOMINO IOANNI KEPLERO, MATHEMATICO EXIMIO, NUNC IN STIRIA VEL AUSTRIA DEGENTI, AMICO SUO IMPRIMIS DILECTO.

155r EXOPTATISSIMAS et eruditißimas tuas literas, Vir Doctißime, et ob eximias ingenij tui dotes, licet de facie mihi necdum cognite, plurimum tamen dilecte, accepi præcedenti æſtate Wittebergæ, paulo antequam inde diſcederem, cum in procinctu eßem itineris Bohemici. Ideoque tum ijs reſpondendi nulla dabatur opportunitas, uti neque poſtea uſque in hoc tempus ob rerum mearum vicißitudinem et novum earundem in locis peregrinis apparatum. Nactus autem iam aliquantulum otij unâ cum mittendi ad te meas commoditate, non diutius reſcriptione ſuperſedendum arbitratus ſum. Quæ ab initio de maleferiato iſto URSO tui purgandi cauſa prolixe commemoras, non

 equidem

equidem tot verbis et tam exquiſita declaratione indiguißent, cum ipſemet alias te ſatis excuſatum habeam, nihilque tibi imputem, quod is literas tuas, et eas quidem, uti nunc ex te percipio, mutilatas et depravatas, ſui ornandi cauſa (nam ſic forte opus habuit) iſti quod evulgavit ſcurrili et maledico ſcripto, te inſcio et invito, inſeruerit. De Hypotheſibus meis ab illo præreptis et pro ſuis venditatis, non tanta eßet quæſtio, niſi in iſto inverecundo et figmentis atque calumnijs ſcatente libro honorem et exiſtimationem meam, imo patriam, proſapiam, domum honeſtißimam, impudentißimis et ſceleſtißimis mendacijs, ſcurrili et veſano calamo arrodere et, quantum in ipſo eſt, defamare, atque talia in publicum typis ſpargere non erubuißet, cum tamen ipſemet fateatur in præfatione, me bene eße de illo meritum, et adeſt mihi carmen quoddam ipſius, licet inſulſa (uti ſolet) vena effutitum, propriaque eius manu ſcriptum, quo mihi gratias agit, quod non ſaltem per pluſculos dies, cum aliquando Uraniburgi apud me eßet, cibo et potu illum largiter aluerim, ſed et inſuper diſcedenti pecunias dederim. En qualem pro his atque alijs refert gratiam! Occaſionem ſumpſit horum convitiorum, quod in primo noſtro Tomo Epiſtolarum Aſtronomicarum extet CHRISTOPHORI ROTHMANNI Mathematici Landgraviani Epiſtola, in qua URSUM iſtum impurum vocat nebulonem, † qualis enim eßet, in aula ſui Principis, ipſa experientia iam edoctus, tum quoque relatione aliorum ex ijs locis, ubi antea vixerat. Ego vero in alia quadam ad dictum ROTHMANNUM Epiſtola, id ſaltem mimetice refero et ſimul † inſinuo, quo dolo quædam ex meis clanculum ſubtraxerat, quorum nonnulla recepi, quæ etiamnum ipſius manu (quam negare non poteſt) exarata penes me ſunt, et ſane ſi mihi otium a gravioribus ſtudijs tunc ſuperfuißet, Epiſtolas illas, dum typis noſtris excudebantur, quoad ſingula contenta revidendi, non paßus fuißem, librum illum a me editum iſtius efferi et putidi URSI nomine conſpurcari, non quod eiuſcemodi adiuncto epitheto indignus cenſeri poßit, aut ulla illi, ſecundum hominum conſueta iudicia loquendo, ſic fieret iniuria, prout non ſaltem ROTHMANNUS, ſed etiam multi alij, qui eum ſatis novere, perſpectum habent. Verum quia non libenter in meis ſcriptis ullius vitam et mores, qualeſcunque ſint, perſtringo, unde etiam in Epiſtola Magnifici Domini IACOBI CURTIJ optimæ memoriæ poſtea Wandeſburgi a me Libro de Mechanica Aſtronomia ſubiuncta, nomen iſtius omiſi, utut † dictus Dominus IACOBUS CURTIUS eum diſerte appellaret et plagiarium meum inſuper intitularet. Sed accidit, ut dum ſtudioſis quibuſdam ex meis hunc laborem corrigendi operas typographicas in iſto Epiſtolarum libro concredidißem, atque illis originalia, prout manuſcripta erant, tradidißem, illi nihil immutandum duxerint, neque me magis ſerijs diſtentum interpellare auſi ſint, ideoque omnia, prout autographa

grapha habebant, imprimi permiſerint, ſicque incuria quadam factum eſt, quod ipſius nomen cum epithetis appoſitis iſthic retentum ſit. An vero hæc ſufficiens et iuſta ſatis ſit cauſa, tam ſupra omnem modum veſana malitia, in me et meos, adeoque patriam ipſam debacchandi, brevi diſpiciemus. Potuißet equidem de iniuria, ſi qua foret ſibi illata, conqueri, atque hanc licitis medijs amoliri, non autem ex effræni vindictæ cupiditate, tam impotenti animo furere, omniaque longe deteri-
155v ora reddere. Neque tamen eſt ‖ cur exiſtimes, quod in iſtum nugatorem ſim commotior, quam meæ conditiones admittant, ut tu (candido tamen animo) infers, non enim Cæſaris ira (uti quidam etiam ad me perſcripſit) dignum arbitror. At quoniam contra ius et fas, contraque laudatißimas Imperij Conſtitutiones me ſcripto plus quam famoſo præter omnem veritatem et meritum meum dehoneſtare perfricta fronte conatus eſt, iure cum ipſo agi curabo, atque ſecundum leges reprimi et caſtigari. Subduxit is ſe Praga in Sileſiam paulo poſt meum iſthuc acceßum, ſed nuper, uti reſcivi, tacite redijt, forte quod ibi me non amplius eße intellexerat, at quam longæ mihi ſint manus, etiamſi præſto non ſim, brevi in Areſto detentus, et poſtea in iudicium protractus ſentiet. Quoniam vero intelligo ex tuis, te ſpurcas et ſcurriles iſtas chartas non vidiße, mitto exemplar, ut et de tua Epiſtola iſthic promptius diſpicias, ac cætera, qualia ſint, æſtimes. Videbis utique quam inſana, maledica, convicioſa et fœtida ſit compilatio, quamque ſuum authorem apprime redoleat; impudentiores calumnias nunquam forte legiſti. Abhorrent ab ijs aures omnium cordatorum et proborum.

Verum de iſto effero URSO Dithmarſico plus ſatis, neque enim tot a te vel me prolatis verbis dignus eſt, et ſi ipſum intus et in cute (ut aiunt) noßes (non iam loquor de Scabie Gallica, qua ob vitæ impuritatem ſcatet) idem mecum teſtareris, imo iamdudum teſtatus fuißes. Unicum ſaltem addam, Hypotheſes noſtras aßerendi cauſa, licet hoc minimum ſit, et longe plura validioraque in promptu habeam argu-
† menta. Hypotheſes illas anno 1584 a me primum excogitatas, quas iſte ſibi arrogare non veretur, ipſius revera inventum eße, quis crediderit, qui eum ullis obſervationibus cœleſtibus, unde novæ Hypotheſes extruendæ, nunquam aßuefactum fuiße novit? Imo ſi unius Planetæ, præſertim e tribus ſuperioribus apparentem locum per hanc neotericam ſuppoſitionem, ſecundum omnes particularitates demonſtrare nequierit (uti vix poterit) cui quæſo intelligenti, ſuum eße inventum, fidem faciet? Sed non ille ſaltem, verum et alij, dum ego mea premo atque in lucem edere cunctor, hanc excogitationem ſibi attribuere auſi ſunt. Inter quos eſt Scotus quidam, DUNCANUS nomine, Helmſtadij Medicinæ et Mathematum Profeßor, qui cum hanc rationem a me in Dania accepißet, eam primum Roſtochij privatim ſuis diſcipulis dictavit,

vit, nec meam eße inficiatus eſt, ſed Tychonicam ultro appellavit, quod in propinquo eßem et me, ſi aliter faceret, id facile reſciſcere poße vereretur. Clam tamen ijs, quibus maxime fidebat diſcipulis, in aurem ſu- † ſurrabat, ſe quidem honoris cauſa eam hypotheſin mihi aſcribere, ut plus gratiæ et authoritatis habere poßit apud auditores ſuos, revera tamen ſuam ipſius eße, quod et poſtea Helmſtadij remotior a me factus, audentius et inverecundius commiſit, partim in publicis ſuis prælectionibus, partim intimationibus quibuſdam. Sed iſta fraus et impoſtura cum ab alijs, tum præſertim Domino Doctore DANIELE CRAMERO apud Stetinenſes Verbi miniſtro, Viro ſingulariter erudito, qui Scoti iſtius Roſtochij olim auditor erat inter præcipuos unus, detecta eſt, et ſuo forte tempore plenius detegetur. Si otium ſuperfuerit, curabo exemplum literarum eius ad Nobilißimum Virum OLIGERUM ROSÆKRANTZIUM meum conſanguineum, cuius Pædagogum dictus CRAMERUS tum agebat, hac de re in Daniam poſt meum diſceßum ſcriptarum, hiſce apponi. Sic quoque RŒSLINUS, licet magis aſtute et caute, mea pro ſuis venditare præſumpſit, ita tamen, ut mihi hanc ſpeculationem non derogarit, ſed ſe eam, poſtquam ſimilia adinvenißet, in libro meo de Cometa anni 77^{ti} reperiße fateatur. Egregius ſane fucus, ſi fidem mereri poßet, nam liber ille meus, cuius meminit, per 9 annos antea impreßus erat et plurimis de hac a me introducta cœleſtium revolutionum diſpoſitione iam innotuerat. At ſi nihil aliud, id ſaltem et quam maxime fraudem prodit, quod dum hanc Hypotheſin, ut ſuus fieret partus, in nonnullis aliter formare conatus ſit, eamque, ſi Dijs placet, emendare, in enormes abſurditates impegerit, ipſam ſymmetriam ac proportionem Revolutionum interturbando, atque ab ipſis apparentijs alienißimam ſtatuendo; ut inde ſatis liqueat, eum non ſaltem has hypotheſes nequaquam intelligere, nedum ut earum author ſit, ſed ne quidem ullas alias, imo Aſtronomiæ penetralia necdum introſpexiße.

MAGINUM Italum nunquam exiſtimarim tale quid affectaße. Quod ſi fecit, literis propria manu ad me datis, quibus ſe illam Hypotheſin ex libro noſtro ſecundo de Æthereis Phænomenis primum perſpexiße, ‖
ſibique apprime placere, modo Martis orbis Solarem tranſire poßet 156r
(putavit enim ex vulgata ſententia reales eße in cœlo orbes) faßus eſt, contraria admiſit. A MAGINO vero, ſi qui alij huius ſpeculationis conſcij ſunt, hac occaſione habuerunt, inter quos etiam eſt FRANCISCUS PATRITIUS, qui eius mentionem in erudito alias de nova † Philoſophia Volumine facit, is quidem meam eße expreße aßerit, ſed eam ita pervertit, et per ignorantiam male accomodat, et contra mea ipſius poſtulata et aßumpta eam coinquinat et inſectatur, ut plurima iſthic ex ipſius relatione appoſita pro meis non agnoſcam, quod etiam publice

publice proteſtabor. Sed de Hypotheſi hac vel alia non multum alterabimur, quæſtio eſt: quis eam rationem invenire poßit, tam in quantitatibus et motionibus continuis, quam diſcretis, ut phænomena cœleſtia per omnia ſalventur.

Hoc opus, hic labor eſt, et ſic ſpectemur agendo.

Porro ſiquidem ab initio innuiſti, te a MÆSTLINO primum tibi a me inſcriptas accepiße, qui etiam, quas ad illum dederam, tecum communicavit, miror ipſum nec illis neque alijs, quas prius, imo ante aliquot annos miſeram, quippiam tanto tempore reſpondere voluiße. An hoc ſit viri ingenui et Mathematicis diſciplinis ſolerter imbuti, tute æſtima. Non eſt alias mihi moris, ignotos literis prævenire, ſed utplurimum ab illis præveniri ſoleo, nedum ut ad meas tanto temporum tractu reſponſionem nullam recipiam. Sed impoſterum ei, quem plurimi ſemper feci, uti ſcripta mea in publicum edita teſtari poterint, meis ingratis, uti video, literis non ero moleſtus. Placent tibi quæ ad illum et te de re Aſtronomica ſcripſi. Atqui ea ſe ſic omnino habere, certo exploratum habeo, multoque plura et his maiora adhuc abſtruſa eße, quæ anteceßorum, tam veterum quam recentiorum, diligentiam eluſerunt.

Suades, imo multis rationibus, quas ego non improbo, perſuadere conaris, ut Obſervationes meas cœleſtes publici iuris faciam, quod quidem ſuo tempore præſtare non detrectabo, cum his, quæ tu affatim adducis, tum alijs de cauſis. Verum tam cito id efficere, antequam pleraque ex ijs, quæ a me in Aſtronomicis inſtaurata ſunt, atque ſelectioribus ex ijſdem obſervationibus fundata, in lucem prodierint, non conſultum duco, nam præter alia, hoc ipſum, quod tu de hypotheſibus meis mihi præreptis et de CYPRIANI Ephemeridibus, alijs quoad partem attributis et depravatis, refers, terret atque dißuadet. Obtinebitis tamen aliquando, favente cœleſti Numine, ea, quæ a me plurimis annis in cœleſtibus denotata ſunt, non quidem tam manca et mutila, ne dicam incerta, prout ea ſunt, quæ pauculis chartis mandavit WERNERUS, vel potius IOHANNES SCHŒNERUS (nam WERNERI obſervata nulla vidi, tu, ſi quæ habes, communica) a REGIOMONTANO et GUALTHERO relicta, ſed exacta ſibique conſtantia atque in tanta ſimul copia, ut vix magno quodam volumine conſtringi queant. Adiungam præter librum Epiſtolarum, de quo ſupra, Mechanica noſtra, huc ſpectantia, quæ inſtrumenta, quibus ultra 20 annos uſus ſum, complectuntur, ſi commode tibi Praga adferri poterint. Ex Epiſtolis præter alia prius inſinuata perſpicies, an eæ tam parvi momenti atque inutiles ſint, veluti præ animi impotentia occæcatus ille cenſor vult, et an laudatißimæ memoriæ Landgravio WILHELMO

HELMO quidpiam derogent (veluti idem impudenter, ut Filio eius me inviſum redderet, commentus eſt). Ex Mechanicis colliges, quanto molimine Aſtronomiæ redintegrationem aggreßus ſim, quantaque in his uſus diligentia, quantiſque impenſis. Invenies etiam ibidem circa poſteriorem partem conſignationem eorum, quæ hactenus in hoc genere ſtudiorum exanthlavi, quæque inpoſterum, aſpirante cœleſtium Opifice, pertexenda reſtant, tum quoque literas illas laudatæ memoriæ Domini IACOBI CURTIJ et MAGINI, quarum antea mentionem feci. Mißßem illuminatum (uti vocant) exemplar, quo promptius omnia diſcerneres, ſed nunc non ſuppetit.

De libro tuo, uti is cum ſuo authore meretur, ſemper, ex quo ‖ mihi 156ᵛ introſpectus eſt, honorifice ſenſi, nec te aut alios, quocunque modo de hiſce ſublimibus et a vulgi captu remotis diſciplinis præclare merentes, et veritatis nucleum ſerio affectantes laude ſua privavi aut privabo unquam, quin potius extuli, et in poſterum extollam. Hoc præcipuum eſt, quod in tuo ingenioſo illo ſcripto cum pleriſque tamen alijs errore communi admittis, non probo, te realitatem quandam orbibus cœleſtibus ineße ſtatuere, quo ſic promptius Coperniceis imaginationibus viam ſtruas, eiſque facilius ſubſcribas. Motiones cœleſtes Symmetriam quandam obſervare, et rationes ſubeße, cur circa hæc vel alia centra a terris vel Sole diſpariter remota convolvantur, non negarim, ſed harmonia et diſpoſitionum analogia ex poſteriori, ubi motus et motuum occaſiones ad amußim conſtiterint, non autem ex priori, uti et tu et MÆSTLINUS voluiſtis, petenda erit; quin et hîc difficillime invenienda. Quam operam ſi quis ſuperaddiderit, illum antiquum PYTHAGORAM, qui harmoniam concinnam cœleſtibus, imo toti mundo ineße præſentiebat, ſuperare dixerim. Et licet circulares in cœlo motiones nonnunquam angulares quaſdam et varias figuras, atque ut plurimum oblongas compoſito ſuo motu efficere, curioſe ſingula trutinanti, videri poßint: fit tamen id per accidens et abhorret ratio ab hac ſuppoſitione. Oportet enim omnino ex circularibus componi aſtrorum circuitus, alias perpetuo uniformiter et æquabiliter in ſe non revertentur et perennitatem fruſtrabunt, præterquam quod minus ſimplices, magiſque anomalæ erant, nec etiam doctrinæ et uſui accommodæ. De ☿ non eſt cur doleas, eius ſtellam a me non eße obſervatam, aut quod idem cum COPERNICO in eius Phænomenis oſtendendis prætendere velim. Licet enim a Solis radijs rarißime digrediatur et inclinatior apud nos in Dania ſit ſphæra, quam Frueburgi in Prußia, ubi vixit COPERNICUS, pluréſque mare circa Inſulam habitationis noſtræ emiſerit vapores, quam Viſtula: plurimis tamen vicibus, imo pene ſingulis annis, dum in Uraniburgo noſtro ſideribus invigilarem, tam Eous quam veſpertinus, accurate a nobis cœlitus denotatus: ut neque huius aſtri, utut

rarißime

rarißime pateat et multis anfractibus ſit obnoxium, nos fugere poßit ſemita, nequaquam ab aliorum dubijs animadverſionibus, uti coactus eſt facere COPERNICUS, mutuanda. De ♀ quantum hactenus perveſtigare licuit, certum eſt, eius Apogæum non multum a Solari antrorſum removeri, aliter quam ſenſit COPERNICUS, nec eidem tamen plane uniri, ut ALBATEGNIJ imitatione volunt Alphonſinæ. In Eccentricitate tamen eius non eſt par ratio, nam eam multo ‖ 157r minorem Solari deprehendi. An mutabilis ſit, nondum dixerim, ſed non magnopere id probabit vel improbabit tua per ſe ingenioſa ratiocinia.

E ſtella Polari vel quavis alia ſubtiliter eruere, an orbis annuus Terræ a COPERNICO excogitatus, ſi is eßet, octavæ ſphæræ ſtellis aliquantulam inſinuet Parallaxin, iam ante ſæpius et diligenter experiri tentavi: verum nihil eiuſcemodi, diligenti facta animadverſione, hactenus comperi. Nam ſtellam polarem, quocunque anni tempore ſupra vel infra polum præciſe obſervatam, adhibita eiuſdem ab illo remotione vera (quæ hoc anno eſt 2° 51′ 10″, et cum 6° 13′ 26″ ♈ et ♎ Meridianum ſupra et infra Polum tranſit) eandem in dimidio ſcrupulo, imo intra quartam vel ſextam eius partem (ſubtiliora viſus non diſcernit) præbuiße poli ſublimitatem animadverti, quod et CHRISTOPHORO ROTHMANNO, qui Coperniceæ Speculationi indulgens aliquid diſcriminis hîc ſubeße opinatus eſt, iamdudum indicavi, ut hinc nihil pro COPERNICO tuo (cuius concinnam et ingenioſam ſpeculationem alias admirari et deprædicare ſoleo) tuendo, reſiduum ſit ſolatij. Petas aliunde, ſi dabitur.

Sed de his atque alijs plenius tecum iucunde et perlubenter agam, pluraque ex meis communicabo, ſi me, uti polliceris, aliquando inviſeris, quod tibi iam minus moleſtum erit quam antea, cum in Bohemia non admodum a vobis remota, nunc ſedes Uraniæ novas fixerim, atque in arce Cæſariana Benachia quinque milliaribus Praga remota habitem. Nam me a Cæſarea Maieſtate, huc e Germania clementißime vocatum, et benignißime ac liberaliter receptum eße, te ab alijs iam antea cognoviße (ex quo dimidium iam annum hîc ſubſiſtam) exiſtimo. Nolim tamen ut fortunæ aſperitas te nos accedere compellat, ſed potius arbitrium proprium et erga communia ſtudia amor et affectio. Quicquid tamen id erit, invenies me non fortunæ, qualiſcunque illa ſit, ſed tuum amicum, qui etiam in adverſa ſorte ſuo conſilio et auxilio tibi nequaquam ſit defuturus, ſed potius te ad optima quæque promoturus. Et ſi mature acceßeris, eas forte rationes inveniemus, quibus tibi et tuis inpoſterum rectius quam antea conſultum erit. Vale. Quando reſcripſeris, literas ad Dominum Doctorem BLOTIUM, Viennam, qui Cæſaris Bibliothecæ iſthic præeſt, mitte: is eas facile Pragam, unde

me mox invenient, procurabit. Iterum quam felicißime vale. Dabantur Benachiæ ſive Venetijs Bohemorum die 9 Decembris Stylo renovato 1599.

Tui Amantißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi. ‖ 157v

POSTSCRIPTA.

SI ſe occaſio commoda obtulerit, rogo ut MÆSTLINUM meo nomine moneas de Eclipſibus ab illo obſervatis, cum meis conferendis, ob Meridianorum differentiam eruendam. Dum enim relego exemplum literarum ad MÆSTLINUM, video me iſthic mentionem feciße Eclipſis Solis, quæ die 25 Februarij Anni 99 contigit, ubi neſcio qua incuria digiti Ecliptici denotantur $10\frac{3}{4}$: forte quod per aliquem ex ſtudioſis meis, calculum nimis feſtinanter exequentem, ſic perperam reperti. Cum verior ratio ex meis Tabulis, prout ipſemet poſtea diſquiſivi, præbeat digitos $9\frac{1}{2}$, qua etiam quantitate Sol deficere a quodam ex meis Uraniburgi iſthic (ut 4 reſiduorum inſtrumentorum, quæ præ magnitudine efferri tam cito nequibant, curam haberet) relicto ſtudioſo deprehenſus eſt, et tempora alias per armillam Æquatoriam 18 pedum in Diametro, a principio uſque ad finem (fuit enim toto iſthic tempore ſerenum) meæ reſtitutioni apprime congruentia cœlitus denotata ſunt, quæ erant eiuſcemodi, ut deliquium inciperet iſthic H. 10 M. 10, finem haberet H. 12 M. 19, ideoque medium exiſteret H. 11 M. 12. Hæc ad † MÆSTLINUM, quando illi ſcripſeris, referre poteris, ipſumque rogare atque efficere, ut ab ipſo Eclipſes tam Lunares quam Solares, quotquot hactenus obſervavit, per te, ſiquidem ille mihi reſcribere nolit, obtineam.

Reperi inter chartas meas exemplum literarum CRAMERI, de quo † prius memini, iamdudum neſcio in quos uſus deſcriptum, quod hiſce addo, et ſimul exemplum Epiſtolæ cuiuſdam M. IOHANNIS CHRISTIERNI Dani, nunc Lugduni Batavorum ſtudiorum cauſa degentis, qui mihi erat domeſticus, cum liber noſter de Cometa anni 77 Uraniburgi imprimeretur, et paulo poſt quam URSUS iſte apud me fuerat, acceßit, ideoque quam fraudulenter egerat, ex cæteris meis ſtudioſis cognitum habuit. Addidi etiam teſtimonium Scribæ Nobilißimi Viri ERICI LANGIJ, cui URSUS tunc inſervijt, qui etiam præſto erat, cum iſte ſuum herum comitatus mecum fuit. Quam teſtificationem ipſemet † ERICUS poſtea Magdeburgi in præſentia publici Notarij confirmavit, et quæcunque alias URSUS in famoſo iſto ſcripto habet, quatenus ſibi ea de re quippiam conſtabat, falſißima eße teſtatus eſt, erecto de duodecim eiuſcemodi punctis, quæ illi proponebantur, e libro illo famoſo excerptis, publico, uti vocant, Inſtrumento, quod alias videbis; hinc cætera æſtimabis.

T. B.

Ne

Ne vacaret ſequens Paginæ facies, aſcribi feci tria Epigrammata ex ijs, quæ a me, poſtquam Benachiam veni, luſa ſunt. Plura carmina a varijs, poſtquam e Dania in Germaniam migravi, concinnata, cum Domino Doctore BLOTIO veteri amicitia mihi iuncto communicavi, ipſumque ut te eorundem participem redderet, rogavi, quæ ſi acceperis, plura inde percipies, et ſi qui ſunt apud vos Poëtæ arguti, uti procul dubio ſunt, fac ut numerum adaugeant.

[Ex apographo in codice Parisiensi franc. 13040]

158r
MAGNIFICO DOMINO, VIRTUTE, ERUDITIONE ET GENERE NOBILISSIMO, DOMINO TYCHONI BRAHE URANIBURGICÆ BENACHIÆ IN BOHEMIA PRÆSIDI, DOMINO ET AMICO SUO OBSERVANDO.

S. P. D.

MAGNIFICE Domine TYCHO, Domine et amice obſervande. Verum eſt quod reverſus ex Legatione Anglica binas tuas literas domi repererim, ſed quomodo ijs reſpondere potuerim per tabellarium Witebergenſem, mihi non conſtat. Nam in literis tuis eſt, te ad feſtum Pentecoſtes iturum vocatu Cæſaris Pragam. Ego autem, poſt Dominicam Trinitatis huc appuli; itaque non eſt quod ſuſpiceris hoc literarum officium intermißum aliquo metu potentiorum, quibus iam pluribus indicijs innotuit mea in amicitia ſinceritas et conſtantia, quam ut novam aliquam offenſam mihi pariat. Neque mihi de moribus Anglorum aliquid adhæſit eorum diuturniore convictu et uſu, ſed tam longe ab ijs vitijs abſum, quam te vellem longe abeße a perſtringendo et mordendo per iocum et ludum innoxios et fidos tuos amicos: in quorum numero ita me ponas, ut qui nihil unquam paßus ſim ſtudio et obſervantiæ decedere, etſi fortean non uſquequaque tibi officio meo ſatiſfecerim. Res tuas, mi Domine TYCHO, cognovi abunde ex literis tum mihi tum ad ROSÆCRANTIUM datis, magnoque mihi gaudio eſt eo loco eße, ut tibi tuiſque bene ſit, parta quiete et invento Mæcenate, qui
158v tam munifice tuis ſtudijs || et honorifice conſultum voluerit. Nec eſt quiſquam eorum, quos tu magnifacis, qui tuæ fortunæ lingua animoque plus faveat, quam ego, invidiæ eo nomine haud expers. Cogor enim aliquando propugnare huius rei veritatem contra eos, qui tuis laudibus nulla unquam a te affecti iniuria obtrectant et tua merita perperam æſtimando infra iſtam fortunam deijciunt. Ac metuebam ab

aliquibus

aliquibus male, cum intellexißem huc TYCHONIDEM tuum cum MULÆNO noſtro mißos ad expetenda inſtrumenta reſidua: ſed Dei proviſu omnes conticuere, nec quiſquam contra mutire auſus. Iuvi ego ipſos, quantum in me fuit et res ſinebat, auctorque fui, ne literas tuas exhiberent ijs, a quibus ſincere auxilium ſperari non poterat. Nam aliquando venere quædam in oblivionem, quæ nos ipſos præſtat quoque tacita habere, quam dubiam operam aliorum periclitari. Vergit enim quorundam ætas ad extrema, et tamen in ſordibus rerum caducarum cogitationes omnes defigimus parum aut nihil de æternis illis ſolliciti. Neque dormientes neque vigilantes ſomniamus aut meditamur aliud quam pecuniam, cui gloriam, honorem et quidquid laudabile eſt, poſtponimus. Addimus aliquid de humana ſeveritate (non dicam crudelitate) cuius triſtia recens viſa in duobus nobilibus et tribus plebeis alijſque exempla. Merito igitur habent quod lætentur, quibus aut favor aulicus hîc affulget, aut res ſuas ita pararunt, ut migrandi tædium non expaveſcant. ||

Mihi, Deo ſit gloria, nihil adverſi admodum adhuc contigit. Can- 159r cellario probantur, quæ a me hac legatione geſta ſunt omnia, qui vidit, ad fidem et induſtriam me nihil reliquum feciße, ſed alijs non item, neſcio qua de cauſa. MULÆNUM noſtrum quod provehere ad Medicen promittis, facis ut tua virtute et humanitate dignum, nec puto te habuiße vel habiturum unquam, qui te ſinceriore animo colat et obſervet. Verum metuo valde, ne longior apud nos mora ab Italica profectione per hanc hiemem retinuerit. Sed profecto faciendum ita fuit, nec poterunt citius tua negotia expedire. Cauſas ipſi tibi reddant, quas veras eße non dubitaveris. Quia vero id iter non ſucceßit, alia ratione forte tibi fuerit conſilium eius iuvandi invenire. Si animus eſt, ut illum a te dimißurus unquam omni modo, fiat bona cum gratia et ætati mature conſulatur. Omnino, ſi tibi eum non gratum et obſequentem eße voluißemus, alia fuißet ratione proſpectum, et proſpicietur, Deo propitio, ſi eum mißum feceris. Sin tibi et tuis placet, habebis eum. Cum voluptate audio TEGNALIO tantum beneficij et honoris a te et per te præſtari, optoque, ut deinceps ſit, qualem tu eße cupis. TYPOTIUS amicus meus unde habuerit, quod me impulſore patriam deſerueris, conijcere non poßum. Quicunque hoc comminiſci auſus eſt, nec te novit nec intelligit, quid doloris apportet a fidelißimi amici convictu et mutuo adſpectu tanta locorum intercapedine diſiungi. Sed Dominus TYPOTIUS, ſi recte memini, ipſe a me audivit deplorari abitum tuum, tum patriæ, || tum mea cauſa, nedum meo ſenſu hoc factum credere 159v poßit, cui eam ſuſpicionem animo exemptam cupio. De libro publicato, quod ad te ſcripſerat ESCHYLUS BILLEUS, nihil mihi exaudire contigit, nec operæ pretium te facturum exiſtimo, ſi tale aliquod procuderes,

res, qui melius horas tuas collocare potes, et verum eſt quod addis,
multos abſque tua voluntate eo te labore exonerare. Quære a TYCHO-
NIDE, quid filius Magiſtri IOHANNIS MICHAELIJ in menſa patris
narravit. Miraberis, ſat ſcio, iuxta atque nos dolemus. Quid mihi etiam
in Anglia et Belgio exprobratum, piget referre. Quod de DUNCANO
me ſcribere vis, fateor, quod res eſt, me non libenter doctorum contro-
verſijs velle immiſceri, aut ijs nomen meum inſeri. Ac fortean in ma-
iore gloria Hypotheſeos iſtius inventio erit, ſi ſimpliciter edito ſub tuo
nomine ſcripto illuſtraveris et explicaveris, quam ſi contentionibus
obſcuraveris, quod quidem factum non ignoro in Progymnaſmatibus,
hoc ipſo conſilio, ne quis eam ſibi deinceps vendicaret; ſed vellem hoc
peculiari ſcripto fieri, non ita prolixo, ſed quod in ſcholis proponi poßet.
Tum vix futurum amplius puto, ut quiſquam tuæ amplius laudi de-
cerpat. DUNKANUS certe quicquid tandem privatim egerit, publice
nunquam eam ſibi adrogabit, qui ne per ſomnium quidem de ea cogi-
tavit, antequam ex te hoc tanquam myſterium cognoſceret. Quod ſimul
160r ac patefecißes, memini a te dictum, plus ei ‖ communicatum, quam
frater fratri edißerere fortean vellet. Atque reperi in paucis hiſce die-
bus inter ſchedas meas chartam, qua mihi petenti eam ſignaſti, ſive
ante DUNKANI adventum, ſive quo tempore apud te fuit, incertus
ſum. Sed mi Domine TYCHO, patere te hoc ab amico moneri, ut po-
lemica omnia ſeponas, et per quæ cœpiſti, veſtigia incedas. Nunquam
aliquis magnus contentionibus fuit. Semper aliqui ſunt, qui iniquæ
parti etiam favent, nec quicquam tam ſolide unquam refutatur, quin
adverſarius inveniat, quod probabiliter oppugnet, et iudicia hominum
ex verbis capiuntur, quia res iſtæ ſubtiles a paucis intelliguntur. Ac ne
per alios quidem hoc fieri vellem, nam ijs etiam reſpondebitur, ac per
eorum latus in te tela dirigentur. Inimici et invidi habebunt ex ſcom-
matibus, quod rideant et gaudeant, ſicuti iam factum in ſcurrili quodam
ſcripto URSI noviſti. Itaque cum CHRISTIANUS tuus ad te redeat,
cuius tibi magnus uſus eße poterit, pertexe eam telam quam feliciter
orſus es, et cude nobis novum cœlum denaſcente natura, et fatiſcente
induſtria hominum. Hac via ad immortalitatem homines graßantur.

De honoribus publicis quod eſt in litteris Roſækrantianis, et feudo
Imperij, mea ſententia eſt, quod prius te vellem in poßeßionem feudi
venire, antequam honores illos ambires, aut oblatos acceptares, alias
fortean titulus tibi pro re ſufficiet, et imputabitur honor pro beneficio
reali. Simul ac vero conſecutus es feudum promißum, tunc nollem te
160v honores ‖ illos aſpernari. Liberis tuis ita melius conſultum erit, quorum
TYCHO tuus ea eſt ætate, ut e re foret exteros iam viſere, et cupit hoc
ipſe magnopere. Non dubium, quin ille ingenij bonitate et manſuetu-
dine amicos multos ſibi parare poßit, ſed auctoritas et exiſtimatio ex
literis

literis et peregrinatione quærenda ipſi eſt. De reliquis etiam non dubito te ſollicitum eße, non ſolum ut hæreditatem, ſed etiam ut nobilitatem et integra omnia ſtatus politici relinquas. Hæc ita accipe ut profecta ab eo animo, qui tibi tuiſque ſincere bene vult. Si præſens eßem, plura de his; nam per calamum non ita licet omnia, neque fieri poteſt, ut quæ meditata nobis ſunt, veniant in mentem univerſa, cum pennam movemus. CRAGIUS tuus antiquum obtinet, ita et tu ne deſinas TYCHO eße, qui fuiſti.

De ſtatu rerum noſtrarum pleraque referre TYCHONIDES poterit. Publice nobis pax adhuc eſt, ſed privatim multi male contenti. Variæ ſunt offenſiones multorum de hoc ſtatu rerum, et pauci ſunt, qui non male ominantur. Amicitia Anglica ex tenui apta eſt. Cum CAROLO Sueco neque ſatis convenit, quia per abſentiam Regis naves eius ingreßæ mare, quod iuris Danici. Apprehenderunt Lubecenſes et alios. Adornantur Legati eo mittendi ab reditu PETRI FRANCISCI, quia viam paraturus modo in Sueciam eſt. Nos arces et oppida in Norvegia et Scania, Hallandia, Blekingia ad fines munimus et reparamus quantum poßumus, ſed a pecunia non ſatis inſtructi ſumus. || Rex Poloniæ miſit claßem 161r ſuam cum milite per fretum Oritanum, quæ naufragium paßa eſt, nec † in Sueciam appulit. CAROLUS iam potitur fere toto regno, poſtquam hac æſtate Finlandiam domuit, et partes illas Livoniæ vicinas. De nobilibus captivis in Suecia, qui ſunt præcipui ERICUS SPARRE, GUSTAVUS BANNER, ERICUS BANNER, TUROV BIELCKE et GEORGIUS POSE, conſtans fama ſupplicium ſumendum. Miſerunt huc ad Regem petentes eius interceßionem. Exigua ſpes Polono ſupereſt recuperandi regni hereditarij. Non obſcurum, quid CAROLUS moliatur, etſi aliud præ ſe ferat.

De matre tua TYCHONIDES referre poterit, quæ vidit et audivit. Amita valde infirma eſt, et oculi caligaverunt. Quid vero ſoror agat, et ubi iam ſit, ex eius litteris accipies. Faxit æternus pater, ut ſperato tandem coniugio cum gaudio potiatur. Nos ea audivimus de rebus Domini LANGIJ, quæ erigunt animos ad expectationem melioris fortunæ. De morte IACOBI SEEFELD puto ab alijs ad te perſcriptum. Vix duabus vel tribus ſeptimanis a nuptijs duarum filiarum, quæ uno die celebratæ, in fine comitiorum inſperato diem ſuum clauſit. Serenißimus Rex modo in Iutia eſt, dicitur tamen CHRISTI natalia Haffniæ celebrare velle. Utinam te per idem tempus videre tunc poßemus. Poßes tu gaudia noſtra multis modis augere, ſed ſpero nos te brevi viſuros. Nec enim committes, quin ad nos aliquando excurras || ſaltem exiguo 161v comitatu, ſi non omnes adducas. Deſiderio iſto valde flagro, quod tu ut expleres, tuo cum bono forte fuerit. Iam ſi tibi prolixitate ſatiſfeci, gaudeo. Si moleſtiam et tædium ingeßi, ipſe in cauſa es, qui ita requiſiviſti.

ſiviſti. Utut ſit, rogo omnia pro candore tuo boni conſulas, et quod occupatus hæc ſine cura exaraverim. Vale cum coniuge et liberis felicißime, quibus omnibus ita cupio, ut mihi ipſi bene eße velim. Salutat te uxor mea et frater eius LAURENTIUS et parentes. Item MICHAEL Chirurgus, alijque amici nonnulli, nominatim GABRIEL SPARRE et PETRUS BRAHE. Iterum vale.

Dabantur Haffniæ pridie Nonas Decembres anno 1599.

T. T.
NIC. CRAGIUS.

† [E codice Vindobonensi lat. 9737f]

TYCHO BRAHE AD HUGONEM BLOTIUM.

46r S.

HARISSIME et præſtantißime vir, amice plurimi ſemper mihi faciende. Cum forte per literas communis amici noſtri Domini Doctoris HELLERI aut etiam aliunde intellexeris, me nunc in Bohemia degere, et occaſiones, cur huc venerim, ſimul ad te, ut exiſtimo, relatæ ſint, nolo nunc pluribus ijs recenſendis immorari. Id ſaltem te rogo, ut veteris inter nos amicitiæ Baſileæ, uti ſcis, contractæ, et poſtea cum in Dania adhuc ſubſiſterem, continuatæ memor, eorum etiam, quæ cum apud Noſtrates hærerem, pollicitus es, recorderis, nimirum ut catalogum librorum in inclyta iſtic Cæſareana Bibliotheca, præſertim quod ad Philoſophicos et Mathematicos attinet, mecum communices. Id ſi etiamnum in hac ob loci maiorem commoditatem præſtiteris, rem equidem acceptißimam feceris. Literas hiſce adiunctas cum libris quibuſdam excellenti in Styria Mathematico IOHANNI CÖPLERO deſtinatis ad eum, ubicunque iſthic vel alibi in vicinia moretur, rogo, ut per certum internuncium dirigere non degraveris. Habitavit antea in urbe Græcia, neſcio an etiamnum ibi ſit, intellexi enim eorum res turbatas eße. Si quod ab ipſo reſponſum acceperis, Pragam ad dictum Doctorem HELLERUM mitte, mox me inveniet. Vale. Dabantur properanter ex arce Cæſareana Girſitza, ubi nunc aliquantiſper ago, donec lues Epidemica Bennachiæ, ubi alias ex clementißima Cæſaris voluntate habito, prorſus remiſerit. Iamque iterum et ſæpius vale. 14. die Decembris Anno 1599.

Tui amantiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

Intellexi vitriolum Ungaricum et terebinthinam etiam Ungaricam, tum quoque tartarum ex vino Ungarico cadis adhærentem iſthic in mediocri

mediocri eße precio, quæ tamen ſingula hîc care veneunt. Si itaque, quanti ſingulorum ex his libra iſthic, præſertim ſi in aliqua copia proſtent, et ſimul quo precio libra Croci veſtratis emi queat, mature indicaveris, rem gratam ſic præſtiteris. Sique ex ijs pro aßignato precio placuerint, mittam pro qua emantur pecunia. Vellem ex tribus materijs primo nominatis multum habere, utpote de ſingulis centenarium ad minimum.

Adiunxi carmina quædam a varijs Poëtis, poſtquam e Dania in Germaniam tranſmigravi, in mei gratiam concinnata, quæ per otium legere poteris poſteaque cum Dom. IO. KEPLERO communicare, atque ipſi cum faſciculo illi deſtinato mittere. Si qui apud vos arguta vena præditi ſunt Poëtæ, uti eße non dubito, fac numerum adaugeant. Memini enim te aliquando e Vienna veſtra ſatis acuta et ſonora in Daniam mihi mißße Epigrammata.

[E codice Basileensi G I 23]

DEM WOLLEDLEN GESTRENGEN VNDT 28v
HOCHGELARTEN HERNN TICHONI BRAHE, ERBGESESSEN ZU KNUDTSTRUP, ITZIGER ZEIT ABER AHM KEYSERLICHEN HOFE ZU PRAGE, MEINEM GROSSGUNSTIGEN HERRNN VNDT PRÆCEPTORI.
PRAGE.

S. P. 27r



ENEROSE ac Magnifice Heros, fautor et Mœcenas ſumma obſervantia colendißime, poſt humilem promptorum meorum officiorum oblationem Generoſitati Veſtræ pro univerſis et ſingulis ex ſingulari heroica erga me immeritum innata affectione in me collatis beneficijs denuo et imprimis ago et habeo gratias quas poßum maximas. Deinde Generoſitatem Veſtram celare nequeo, quod iam elapſo anno nullas ſcripſerim literas. Cauſa fuit non modo domeſticarum mearum curarum in hac mea ſolitudine intollerabilis moles, verum etiam rumor circa præterita Bacchanalia hîc et Hamburgi de diſceßu Generoſitatis Veſtræ ex hac lachrymarum valle ſparſus, quo auditu ita eram perterrefactus, ut iam de ſtudio Aſtrologico, cui hactenus ſummopere incubui, ob defectum Tabularum ab alijs editarum actum eße arbitrarer. Tandem vero iam ante aliquot dies ex literis lætabundis Domini DAVID. FABRICIJ, Generoſitatem Veſtram cum tota inclita familia Pragam

Pragam ſalvam et incolumem perveniße, Illuſtrißimumque, potentißimum atque invictißimum Imperatorem, Dominum noſtrum Clementißimum, Generoſitati Veſtræ clementißime favere, laus Deo, cognovi, quapropter etiam cum illius, tum vero Generoſitatis Veſtræ, literis motu impulſus, haſce meas Fabricianis adiungere volui.

Quandoquidem igitur Generoſitas Veſtra iam antea in ſuis Reſolutionibus mihi benigne communicatis, circa quæſtionem de modo dirigendi indicavit: Non eße modum dirigendi exactiorem, quam is, qui a REGIOMONTANO traditus eſt, totidem vero gradus Meridianum tranſeuntes, quot quemlibet alias poſitionis Circulum, ſed numerandos potius in Meridiano, quia illic directe permeant, quodque in obliquißima Sphæra tunc unâ dirigendi ratio locum habeat; utut domorum diſtributio Regiomontana iſtis adminiſtrari nequeat. Et hanc ob caußam Generoſ. Veſtra potius approbet CAMPANI diviſionem, quæ totum Cœlum ubique reſpicit et univerſalis exiſtit. Cui tamen Generoſ. Veſtra æqualem per Eclipticam, ob planetarum iuxta hanc inceßum, partitionem applicare ſoleat, imitatione veterum Aſtrologorum; verum alia atque alia in hac et illa ordinatione conſiderando, prout vel ratione totius Cœli vel ſolius Zodiaci, requiratur animadverſio. Hæc, inquam, etſi ſatis luculenter indicata ſint, nihilominus Generoſitatem Veſtram reverenter et obnixe rogatam velim, ut Generoſitas Veſtra mihi unum
27v atque alterum breve || ſchema operationis et demonſtrationis communicari dignetur.

Haberem inſuper nonnulla alia non aſpernanda, videlicet an directio iuxta gradus Zodiaci eiuſque Polum etiam poßit inducere effectus, ſicut illa, quæ reſpectu Poli Æquatoris fit, et an tunc eodem modo menſuratio annorum ſit inſtituenda iuxta motum $\odot^{lis}$ in Radice Geniture, ſicut alias, an vero diverſa hîc menſuratio ſit ordinanda.

Deinde quoniam in directione Aſcendentis omnium Aſtrologorum unanimi conſenſu obſervari hactenus ſolitæ ſint aſcenſiones obliquæ ſub elevatione Poli cuiuſque Regionis, in qua quis natus eſt, an etiam Generoſitas Veſtra cenſeat, quod ſi quis per aliquot multos annos in longinqua aliqua regione multum a loco ſeu regione nativitatis diſtante moretur, an nihilominus directio Aſcendentis ex aſcenſionibus obliquis, quas Tabula Directionum ſub elevatione Poli regionis nativitatis demonſtrat, facienda ſit; an vero ex Aſcenſionibus obliquis ſub elevatione Poli iſtius loci, ſub quo quis degit, ut exempli gratia natus eſt aliquis ſub elevatione Poli 51 gradus, poſtea patria egreßus in alia regione, ſub elevatione Poli 54 graduum ſita, per totos triginta et plures annos commoratus eſt et adhuc moratur, an eius Aſcendentis directio ſit inſtituenda ex Tabula 51, an vero 54 graduum elevationis, et quæ ſit ratio, quare locus nativitatis, quoad directionis effectum, magis hominem et

corpus nati afficiat, quam locus commorationis, in quo vitam degit? cum tamen fere ſingulis annis in effectibus Eclipſium, pro diverſitate meridianorum et locorum, citius aut tardius ſequatur effectus.

Tertio, quia ex Diario ELIÆ OLAI Cimbri Octogenariam diviſionem Thematum ☌, ☍, et □ ☉^{lis} et ☾^{æ}, tanquam experientia et rationibus ſuffultam, ab illo comprobari intellexi, percuperem brevibus cognoſcere illas ipſas rationes Octogenariæ diviſionis, et quo experimento res inventa fuerit.

Quarto, quia experientia docet, non tantum Directiones maleficorum malos inducere effectus, ſed et tranſitus ♄^{ni} et ♂^{tis}, ſive id fiat corpore, ſive radijs infœlicibus, per præcipua Genituræ loca, præſertim Aſcendens interdum mala operari, interdum vero non; quæritur, an ex caußis Aſtrologicis poßit haberi et || dari certitudo aliqua, qua præ- 28^{r}
ſciri poßit, quando tranſitus illi ♄^{ni} et ♂^{tis} nocituri ſint, nec ne; an alia caußa ſit quam convenientia Directionis et progreßus, quod tranſitus iſti interdum operentur ſuper Aſcendens, interdum vero non?

Quinto. An malorum planetarum effectus directione inducti per bonos planetas omnino tolli vel impediri poßint, et qua potißimum ratione aut re malorum operationes impediantur?

Sexto. Qui aſpectus ſive Directio malorum pro morte naturali quam pernitioſißimus ſit obſervatus, et quæ conſtitutio malorum vel Directio pro morte violenta omnium peßima ſit obſervata per experientiam.

Septimo. Videri quoque multos infauſtas et violentas Genituras habentes fœlicem tamen vitam agere et naturali morte occumbere, et econtrario plurimos optimam geneſin vel ſaltem exiguam violentæ mortis ſignificationem habentes violenter interire. Quæritur, unde hæc operationum ſive effectuum diverſitas, Aſtrologice loquendo, oriatur.

Harum itaque quæſtionum Reſolutiones, niſi Generoſitati Veſtræ admodum eßem moleſtus, mihi aliquando etiam communicari ſubmiße peterem. Quia etiam in Aſtrologicis abſque reſtitutione motus ☾^{æ} nihil ſolerter efficere poßum, maiorem in modum ſimiliter rogarem, ut Generoſ. Veſtra mihi ſignificet, anne eiuſdem Reſtitutio publici iuris reddita ſit, ut eandem mihi comparare poßem. Et quia Generoſ. Veſtra ſibi nonnullas certas Obſervationes in Genethliacis communicari expetijt, haſce ut ratas et ſatis compertas adiungere velim, plures indies colligam. In Meteorologicis non niſi vulgare habeo.

Demum Generoſitatem Veſtram iterum atque iterum reverenter et obnixe rogitans, ne me immeritum favore et benevolentia ex innata heroica erga me affectione proſequi deſerat, et diuturnum illud ſilentium mihi benigne ignoſcat.

Deus

Deus Opt. Max. Generoſ. Veſtram cum tota inclita familia ſalvam et incolumem ut conſervet, tueatur atque defendat, ex animo precor. Datum Bremæ 16 X^{bris} Anno 99.

Generoſ^{i} Veſtræ
Addictißimus
LUDOLPHUS RIDDERS[HUSIUS].

29r Anno 1512 die 22 Iunij inter horam 17 et 18 P. M. Conſul Dominus DANIEL a BUREN, qui Anno 62 partes Doct. ALB. HARDENBERGIJ ſive CALVINI contra reliquos conſules defendebat et exinde toti Civitati maximas turbas excitavit, natus eſt Bremæ. Hic Anno 39 in Senatorium ordinem et poſtea Anno 47 in Conſulem electus, in principio vero Anni 92 ob decrepitam ætatem officio Conſulatus abdicans, Anno 93 circa 28 Iunij morbo correptus, die 10 Iulij poſt horam quintam matutinam placide obdormivit.

Anno 1565 die 24 Novembris inter horam 10 et 11 pomeridianam nata eſt prædicto Domino Conſuli filia MARGARETHA a BUHREN, ſed Anno 94 die ♃^{is} 16 Maij pleureſi graßante correpta moriebatur 23 Maij.

Anno 1539 die 22 Iulij circa horam quintam matutinam natus eſt Bremæ Dominus THEODORICUS a REDEN qui Anno 76 in autumno in Senatorium ordinem elegebatur, erat vir magnæ ſtaturæ et corpulentus, habebat duas uxores, cum quibus maximas hæreditates accepit. Hic Anno 97 die prima Iunij mane morbo correptus pillulas ab affine proprio, Doct. IOH. BAPTISTA SERVETIO, Medico, aßumens, ilico in Doctoris brachijs vitam cum morte commutavit.

Anno 1551 die 10 9^{bris} hora 17 poſt M. Bremæ natus eſt WICHMANNUS MIDDELSTORP. Anno 75 die 16 Feb. in terram periculoſe collapſus, Carnificem nomine DIONISIUM, ut ipſum curaret, adhibere coactus, Anno 86 circa feſtum Paſchatis in ædibus Conſulis LUDERI a BELMERS pie defuncti, ex alto in navem cadebat, et niſi navis adfuißet, in Wiſurgi ipſum perijße neceße eßet. Tandem in principio Anni
29v 92 vario genere morborum correptus ‖ et 11° Iunij iterum in terram periculoſe proſtratus atque ita uſque in Annum 93 morbo detentus, die 8 Octobris noctu ſequente placide obdormivit, fruſtra adhibitis multis remedijs.

Anno 1558 die 25 Auguſti poſt horam duodecimam meridiei Francofordiæ ad Oderam natus eſt MEIMARUS a BORKEN, Secretarius huius Civitatis, quia parens ipſius, Doctor IOH. a BORKEN, erat ex genere patriciorum noſtræ Civitatis. Hic Anno 83 die ☿^{ij} veſperi poſt feſtum Annunciationis Mariæ, Bederkeza Arce huius Civitatis, crus fregit. Anno 87 poſt feſtum BARTHOLOMÆI Apoſtoli calido morbo

ad mortem ægrotabat. Anno 91 die 4 Auguſti ex nimia ingurgitatione vini præcedentis diei, ſanguinem ex ore expuens, furioſus extinctus eſt.

Anno 1566 die 21° Iulij hora 7 P. M. natus eſt Bremæ HILDEMANNUS DEDDEKEN, qui Anno 90 poſt feſtum Penthecoſtes in mare a pyratis globo tranſiectus eſt.

Anno 1552 die 7 Februarij, circa horam ſextam pomeridianam, natus eſt Bremæ Dominus GERHARDUS GERKEN, inſignis Muſicus, amicus meus haud vulgaris, ſed hoſtis Aſtrologiæ. Anno 81 in Secretarium Civitatis aßumptus et Anno 93 3 Iulij in Senatorem electus. Anno 91, die Martis poſt Quaſimodogeniti et iterum quarto Auguſti periculoſe decumbens, poſtea Anno 94 28 9^{bris} iterum aliquot menſibus correptus et citra ſpem ſanitati reſtitutus. Tandem Anno 96 poſt feſtum Penthecoſtes denuo correptus et longo morbo detentus, in die S. MICHAELIS Archangeli inter horam 10 et 11 antemeridianam, me præſente, placide occubuit, fruſtra adhibitis a duobus Doct. Med. Civitatis adminiculis. Mirum, quidni ad decrepitam pervenerit ætatem, quia ☾^{am} coniunctam ♃^{i} in propria domo in 11^{a} liberam a maleficis et Aſcendens illæſum habebat. ‖

Huius boni Viri uxor BRIGITTA GRONINGES nata eſt Bremæ 30r
Anno 1559 die 11° Maij die ♃^{is} ante feſtum Penthecoſtes inter horam 7 et 8 matutinam, ſed Anno 98, peſte graßante, mature ex Civitate in hortum fugiens, die 6 Auguſti in horto peſte correpta, die 12 eiuſdem inter horam 1 et 2 noctis ſequentis placide obdormivit, neque ipſi remedia defuêre. Et hæc honeſta matrona Lunam in ♋ aſcendentem in Trino ♃^{is} in ♓ exiſtentis habebat.

Anno 1555 die 24 Martij inter horam 2 et 3 pomeridianam nata eſt Bremæ TIBBEKE, uxor ALEXANDRI BIKKERS, quæ Anno 96 die 26 Feb. pleureſi graßante correpta, filiam charam amiſit, et ipſa ſanitati reſtituta eſt. Sed poſtea eodem Anno 4 7^{bris} ob mœrorem defunctæ filiæ in inſaniam redacta et miſerrime detenta uſque ad feſtum Paſchatis Anni 97, quo ad ſanitatem redijt. Verum Anno 98 circa 10 7^{bris} peſte iterum correpta die 15 eiuſdem hora 2 noctis ſequentis obijt.

Anno 1566 die ☾^{æ} 24 Iunij inter horam 1 et 2 noctis P. M. natus eſt Domino IOHANNI SCHULTEN, Senatori huius Civitatis, filius FRANSZ. Hic filiolus Anno 71 die ☿^{ij} 20 Iunij hora quinta pomeridiana a muliere quadem, ipſum tranſiente, ex alto ponte orientali in foßam Civitatis trudebatur, ſed a Patre citra omnem ſpem ſalvatus, qui cum ipſo fere perijßet. Patre poſtea mortuo, Anno 86 in autumno Amſterodami ob dißipationem bonorum cum ſcortis et Anno 90 primo 9^{bris} a Magiſtratu, Matre idipſum petente, eandem ob cauſam ſecunda vice in carcerem coniectus eſt. Elapſo anno in Italiam profectus eſt, utrum adhuc ſuperſtes ſit nec ne, ambiguitur. ‖

Ego

30v Ego L. R. Anno 1551 die 15 Septembris poſt horam 12 noctis ſequentis Bremæ ſum natus, in pueritia mihi infinita contigere inconvenientia. Anno 73 die 14 Martij nocte ſequente Brunſwigæ ardentißima febre et Anno 78 die 3 9^{bris} ſingulari genere morborum et angina iterum corripiebar. Anno 73 13 Maij uxorem duxi. Anno 1578 16. Feb. inter horam 6 et 7 veſpertinam natus eſt mihi filius GREGORIUS, et hic ab ineunte ætate uſque in annum 95 vario genere morborum eſt afflictus. Anno 1579 die 26 X^{bris} inter horam 3 et 4 noctis ſequentis natus eſt mihi filius ſecundus HIERONIMUS, qui meliori et firmiori valetudine, laus Deo, utitur. Anno 82 15 Iulij paulo poſt horam 12 noctis ſequentis natus eſt mihi filius tertius CHRISTIANUS. Hic Anno 83 circa feſtum IACOBI et Anno 84, 3 Aprilis ad mortem decumbebat, poſtea vero bona valetudine etiam utitur.

Et quia non dubito, quin Generoſitas Veſtra loca planetarum ad natalem meum et filiorum meorum reſtituta habeat, ut igitur eo magis periculum certitudinis artis facere poßem, etiam atque etiam reverenter et obnixe rogo, ut Generoſ. Veſtra eorundem Reſtitutiones benigne mihi communicari dignetur. Etſi vero Generoſ. Veſtræ pro hiſce et omnibus alijs in me immeritum collatis beneficijs quicquam compenſare non videam, nihilominus qui Generoſ. Veſtræ cordi ſunt, me ad omne officium quam paratißimum devinctum habebunt.

Annotationes dierum ſunt ex Calendario Iuliano deſumptæ.

† **[E codice Basileensi G I 23]**

32v
MAGNIFICO ET GENEROSO TYCHONI BRAHÆ, DOMINO IN KNUSTORPH ET HUENA, DOMINO ET FAUTORI SUO, OMNI OFFICIJ GENERE COLENDO.

31r LITERIS tuis, Magnifice et Generoſe Do[mine] TYCHO, inſtructus, in cognitionem ex CHYTRÆO et alijs præſentis tui ſtatus et conditionis veni, de quo me certiorem factum eße ſummopere gaudeo. Gratulor etiam tibi de tanto Mœcenate, opere et ſtudio tuo digno, quo non ſolum tibi proſpectum, ſed toti poſteritati plurimum inſerviri intelligo. Chymicus Sileſius, quo de antea ad te perſcripſi, Sittæ in Sileſia degit, vocaturque IACOBUS KINDLER, olim ibidem vel in vicinia ſcholæ Cantor. Artificium, quod illum celebrem facit, deſcribitur in lib. Vexationum PARACELSI ſub titulo *Hæc eſt ars,* curſumque ſphæræ Saturninæ vocant, quo omnes planetæ terreſtres, mediante Saturno et uno minerali adiecto, exiguo negocio in lapides vertuntur, qui

qui deinceps nulla vi ignis aut vulcano quantumvis torvo, poſtliminium perveniunt, ɔ: in metalla redeunt. Huius revolutionis ſpectator ipſe fui atque dirigere ſcio, ſed finem, quem author ibidem promittit, aßequi ignoro. Literas tuas FRANCISCO SCHRODERO Sundenſi inſcriptas, quotquot ad me pervenerunt, ſumma fidelitate iſthic miſi, nec non ad reſponſionem illum adhortatus ſum, ac ſuam taciturnitatem illi exprobravi, ad quod mihi nuper reſpondit, tibi quoque ſuis literis Witebergam delatis reſponſum eße. Sero forte, quod tuus diſceßus illinc prævenerit illud, aut quicquid intervenerit. ‖

Nova, quæ hîc habemus, ex adiuncto ſcripto cognoſces. Alias forma 31ᵛ Academiæ et Reipub. eadem eſt, quam reliquiſti; diſcurſum Suecicum tibi quoque miſißem, ſed nulla hîc exemplaria, ut qui Stockholmiæ impreßus eſt, proſtant. Vale, nec non qui tibi curæ ſunt, et me inter tuos familiares retineto. Data Roſtochij 19. Decembris anni 1599.

T. Magnif. ſtudioſiß.
CHRISTOPHO. HENNIOCHUS,
Medicus.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°] †

MAGNIFICO ET NOBILISSIMO VIRO, 51ᵛ

DOMINO GEORGIO HERWARTO AB HOHENBURGK, SERENISSIMO UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCI A CONSILIJS INTIMIS, PRÆSIDI SCHWABÆ ET STATUUM PROVINCIALIUM CANCELLARIO, DOMINO ET AMICO SUO INPRIMIS HONORANDO.

MÜNCHEN.

S. P. 50ʳ



OSTQUAM priores, circa medium Novembris ad te, Vir Nobilißime et Præſtantißime, directas, et pauliſper, donec in Aulam eas mittendi atque inde ad te procurandi ſuppeteret commoditas, mecum retentas, tandem cum adiunctis chartis emiſißem, accidit, ut aliæ tuæ eodem ferme tempore, cum meæ illæ prolixiores ſcriptæ, mihi redderentur, idque primum paulo ante ſolſtitium hybernum inſtantibus ferijs Natalitijs, quæ licet breviuſculæ fuerint, plurimum tamen mihi acceptæ, cum quod te in amicitia noſtra ſic, donec aliter liceat, continuanda, perſeverantem nec ſcribendi occaſionem ullam intermittentem oſtenderent; tum quia te patienter moram meam in reſcribendo ferre (ſiquidem nulla in ijs uſus eßes, quod non immerito facere licuißet, expoſtulatione) inde colligerem, utut caußæ huius tarditatis

ditatis tibi necdum perſpectæ erant, quas te nunc acceptis meis cognoviße atque ratas habuiße mihi polliceor.

Acceßit et hoc, quod literæ illæ tuæ ſteriles non fuerint, ſed triplices in Sole Caßellis factas tribus diverſis, attamen continuis annis ſedulas obſervationes eaſdemque Geometrice et per numeros pro eruendo inde Apogæo et Eccentricitate Solari expenſas, fœcundo partu ſecum adferrent. Fuit equidem id mihi admodum gratum, cum animadverſiones illas prius non viderim. Neque enim a laudatißimæ memoriæ GULIELMO Principe Landtgravio aut etiam eius Mathematico CHRISTOPHORO ROTHMANNO mihi antea (quod omißum miror) communicatæ erant, alias Epiſtolarum Tomo primo, qui literas ijſdem annis inter nos commutatas habet, eas unâ cum competente diſquiſitione et cum noſtris inventis collatione inſeruißem, ut ob id probe a te factum, quod vel ex hac omißione coniecturam non fallacem conceperis, eas prius ad manus meas non perveniße; eoque rectius et acceptius mihi nunc impertiris.

Multum autem me torſit, quod prima introſpectione animadverterim, Apogæum quidem Solis cum noſtro utcunque congruere. Nam dimidij gradus differentia diſcerni in tam ſubtili Pragmateια difficulter poteſt. Nec etiam ſenſibiliter quid officit, ſiquidem iuxta ipſum Apogæum non niſi unico minuto longitudinem Solis variet, in cæteris locis adhuc minus. Verum ubi Eccentricitatem trifariam inveſtigatam et ubique quaſi in ipſis ſecundis ſibi conſtantem conſpexißem, a noſtro nihilominus deficere quaſi 6 minutis de 60 partibus ſemidiametri Eccentrici, mirum in modum, quid ſub his ſcrupulis lateret ſcrupuli, hæſitavi. Cum enim reviſis meis Obſervationibus, quas circa eoſdem dies in Uraniburgo noſtro Danico habueram, et ſupputato ſimul loco Solis e noſtro reſtituto calculo, quæ Eccentricitatem præſupponit part. 2 m. 9 ad minimum, viderem longitudinem ☉ ubique intra unicum minutum illi congruere, quam obſervata Caßellana tribuerunt, nec poßibile eßet, ex ijſdem datis tam prope conſentientibus, adhibito non fallaci demonſtrationis proceßu, qualem tuum quoque eße cognovi, tam diverſimodam nihilominus prodire Eccentricitatem, quid taciti ſeſe inſinuaßet obſtaculi, non ita facile ab initio patuit. Nam et alia ab ea, qua tu uſus, ratione, per proſtaphæreſes nimirum, repetito tuo pro maiori parte calculo; viſus eſt is recte ſe habere. Nec poterat refractionis inſinuatio quæ in primo exemplo, ubi ☉ 27 proxime gradibus 2 min. in ultimo, Sole tertium ♒ gradum tranſeunte, et 19 ſaltem gradibus elevato eandem 5 minutorum ingerebat (ut de intermedio, in quo hæc diverſitas minus ſenſibilis erat, nihil addam) noſtram intentionem turbare; ſiquidem loca ☉ in Ecliptica cum noſtris numeris adeo prope conſentientia, ROTHMANNUM non ſaltem Parallaxes Solis ſed et refractiones, de quo

quo aliquoties a me ‖ (uti ex Epiſtolis a te citatis liquet) admonitus erat, 50v ſolerter præcaviße, ſatis probarunt. Neque etiam, quod Eclipticæ obliquatio maxima dimidio ſcrupulo minor in calculo tranſmißo aßumpta ſit, quam a nobis præſuppoſita, tam evidentem in Eccentricitate hac diſcrepantiam parere potuit, ſicuti neglecta temporis æquatio inſenſibilem variationem ſuggerere. Circumſpecte itaque omnia (uti tunc mihi videbar) in tuis demonſtrationibus et ſuperſtructis numeris trutinando, et meas quoque rationes, quæ ab Æquinoctijs et medietate ♉ atque ♌ in Eccentricitate atque Apogæo ☉ eruendis paulo adhuc maiore tam compendio quam certitudine procedunt, denuo ſub calculi incudem revocando, nihilque in ijs aberratum eße comprobando, abieci, tanquam mihi ipſi non ſatiſfaciens, hanc aliquantiſper diſquiſitionem; qua tamen peractis ſacris Natalitijs denuo in manus reſumpta et toto tuo calculo a principio uſque in finem (quod antea circa extrema neglectum erat, ex quo cætera tam belle conſtarent) tandem inventum eſt, in quo latuerit huius diſcrepantiæ nodus. Cum enim circa ipſum calculi exitum, quando ex radice quadrata, quæ in omnibus tribus exemplis ſibi ferme ſimilis eſt, atque in numerum 3591 quam proxime conſpirat, perventum eſt, ut inde Eccentricitatis quantitas eliceretur, depræhendimus, quod per incuriam aliquam, quod facile inter gravißimas tuas occupationes alias fieri potuit, aut ſi a quopiam alio hæc Pragmateia inſtituta eſt (neque enim cuius ſit indicaſti) numerus ille in Tabulam ſinuum intromißus quantitatem Eccentricitatis perperam monſtrarit, ideoque iuſto minorem, cum proportionaliter ſaltem, prout 60 loco totius radij acciperentur, eruenda foret, ſicque eadem quam proxime mecum prodibit Eccentricitatis determinatio; quæ etiam in pauculis ſcrupulis ſecundis, nullius pene momenti, noſtram excedat potius, quam quod 6 minutis ab ea deficiat. Imo ſi obſervationes in Sole a nobis Anno 1583 diligenter factitatas in conſilium adhibuerimus, eadem cum tranſmißa inquiſitione prodibit Eccentricitas. Nam et nos eandem tunc adinvenimus part. 3592, qualium radius eſt ſive ſinus totus 100000, ſive part. 2 m. $9\frac{1}{3}$, qualium idem 60, Apogæo etiam tunc in part. $5\frac{3}{4}$ ♋ repoſito; et eodem per ſeptennium uſque in Annum 1590, † qui medius eſt trium ex tuis, per additionem 9 minutorum, prout requirit Apogæi mutatio a PTOLEMÆO eouſque facta (nam quæ in † libro modo mißo Apogæi notatur progreßio aliquanto tardior eſt, eo quod ex obſervatione REGIOMONTANI ante 100 Annos facta peculiari conſilio ſaltem derivata ſit, uti et Anni quantitas iuſto paulo minor aßumpta, nec tamen in utriſque his tanta eſt diſcrepantia, ut fert COPERNICI ratiocinatio) in ipſo ſcrupulo (quod mirum eſt) cum Landtgraviano Anni 1590 Apogæo conſentiens. Ut vero promptius et plenius percipias, qua methodo et quibus dedomenis nos et Apogæum et Eccentricitatem

centricitatem ⊙ verificaverimus, atque unde hæc minutula differentia in noſtra numeratione inter quæſita Anni 1583 et aliorum quorundam poſtea ſubſequentium irrepſerit, en habes Progymnaſmatum noſtrorum de Aſtronomia inſtaurata Tomum primum, quatenus rerum noſtrarum variæ conturbationes et vicißitudines eum hactenus typis complere permiſerunt. Quali Titulo in publicum brevi, favente cœleſti Numine, emittendus, et quæ in eodem ſuperaddenda reſtant, prima circumpoſita charta manifeſtat. Illic cap. ſtatim primo hæc Solaris curriculi reſtitu-
51r tionem concernentia || affatim expediunt. Quæ de ☾ appendicis loco eidem ſubnectenda, ſuo tempore videbis. Secundum caput reſtitutionem affixarum Stellarum accuratißimam uſque in octavum centenarium inde ab ipſo fundamento extruit, tandemque canonice recenſet. Quibus poſtea eas, quæ deſiderantur, uſque ad integrum millenarium ſupplevi. Reliqua voluminis pars de ſupra modum miraculoſa Anni 1572 Stella luculenter tractat. Invenies alias in hoc opere nonnulla ex ijs, quæ prius inter nos ventilata ſunt, plenius diſquiſita, et non pauca alia, quæ tuo (uti ſpero) arridebunt ingenio. Conſule hunc boni, tibique ſoli reſerva, donec eundem auctiorem et plane abſolutum obtineas, unâ cum alijs quibuſdam ex meis in hoc genere ſtudiorum laboribus. Sphalmata Typographica, quæ nonnulla inter revidendum comperi, tute, qui rem ipſam probe capis, facile reſtitues. Vide quid pepererint ternæ ternorum etiam Annorum Solis obſervationes mihi a te benevole mißæ. Si plures in alijs etiam Aſtris ſive Caßellis ſive alibi ſedulo factas procuraveris, neque illæ ſine fœnore redibunt. Intellexi WERNERUM quaſdam a ſe habitas animadverſiones cœleſtes in publicum êdidiße, quæ ſi præter eas, quas de aëris mutatione vidi, aliquid circa Phænomena Aſtrorum cœlitus denotata habent, et tibi de eo libro quidpiam conſtat, cuperem exemplar mihi aliquantiſper concedi.

Pluribus te nunc morari nolo; ſed expecto brevi tam ad priores meas, quam haſce reſponſionem. Id ſaltem ſuperaddam, inventionem Apogæi et Eccentricitatis ex Obſervatis Anni 1583 a me, prout in libro, quem nunc mitto, expoſitam, mihi magis placere alterâ, quam deinceps ex ſubſequentibus Annis adhibui; ſiquidem æquationis temporis ratio iſthic applicata, poſtea vero omißa. Sicque Apogæum et Eccentricitas e Landtgravianis obſervatis petita rectius convenient cum noſtrâ illâ priori (uti dixi) annotatione, licet differentia, quæ alias intercidit, nullius pene ſit æſtimationis. Quam tamen diſcrepantiunculam obſervationes ⊙ hîc in Bohemiâ, favente Numine, continuandæ facile diriment; ſiquidem Æquator 6 ferme gradibus hîc altior quam in Daniâ ad quadrageſimum Gradum extet, et ob id nulla Solis refractio, quæ ſenſibus obvia ſit, iuxta ipſa Æquinoctia (prout in Daniâ fit) ſeſe inſinuet.

Vale

29

Vale itaque quam optime, et Anni huius inſtantis iubilæi, ac plurium aliorum curricula felici animi et corporis rerumque externarum ſtatu tranſige. Dabantur Girtzitzæ, unde cras, volente Deo, Benaticam reverti conſtitui, pridie Calend. Ianuar. Anni Domini 1600.

Tuæ Mag^{ae} addictißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

Appoſui calculum Apogæi et Eccentricitatis Solis, in tribus tranſmißis exemplis per proſtaphæreſes nobis uſitatas reiteratum, qui a tuo vix differt, exceptâ Eccentricitatis, prout in literis monui, emendatione. Adiunxi quoque Odam quandam non invenuſtam, mihi hiſce diebus e Pomeraniâ mißam, ut eam cœteris tibi communicatis carminibus annectare queas.

[E codice Basileensi G I 35] †

ILLUSTRISSIMO ET CLARISSIMO VIRO 8r
DOMINO VINCENTIO PINELLIO PATRICIO PATAVINO DOMINO ET AMICO SUO OBSERVANDISSIMO.
ILLUSTRIS ET MAGNIFICE VIR.
S.


UM ſuperiore Anno Italiam peragraßet Nobilis et Eruditus adoleſcens FRANCISCUS TENGNAGLIUS, qui aliquamdiu antea tam in Daniâ quam Germaniâ meus domeſticus fuit, et Dreſdâ a me in Italiam profectus inter alia, ut Patavium tranſiens te officioſe meo nomine ſalutaret, atque de ſtatu mearum rerum edoceret, in mandatis habuit. Reverſus autem nuper ad me, cum ab ipſo percontarer, an te allocutus eßet, reſpondit ſe, quam primum Patavium permeaßet, ſaltem biduum ibi manſiße: interim te conveniendi nullam datam fuiße commoditatem. Reiecit itaque illud in reditum ſuum, donec ulteriore Italiâ perluſtratâ in Germaniam ipſi revertendum foret. At cum rurſus Urbem veſtram accederet, et quod antea omißum erat, præſtare ſatageret, te ibi non invenit; ſed in villam tuam animi caußâ ſeceßiße Mathematicus veſter GALILÆUS DE GALILÆIS referebat. Re itaque hac præter utriuſque noſtrûm expectationem infectâ is ad me (uti dictum) redijt. Ex quo vero Excellentißimo Domino MAGINO ad ſuas, quas idem mihi attulit, reſpondendum nunc foret literas, te quoque non prætereundum cenſui, ut quod antea per præſentem TENGNAGLIUM noſtrum fieri non poterat, nunc literis (ſiquidem aliter non licet) compenſetur.

Exiſtimo

Exiſtimo te ab alijs iam antea utcunque percepiße, quomodo Patrium ſolum verterim, atque in Germaniam ultro conceßerim, derelicto Uraniburgo noſtro Danico totoque eius apparatu Aſtronomico mecum ad exteros tranſlato; ſiquidem quorundam invidiâ et malevolentiâ factum 8v ſit, ut omnes reditus ad ſuſtentationem || Divinæ illius ſcientiæ Aſtronomicæ a nunquam ſatis laudatæ memoriæ Rege FRIDERICO deputati, ſtatim ac novitius hic Rex coronatus atque rerum adminiſtrationi adhibitus eßet, ſubtracti fuerint, et ſimul a Cancellario pariter novitio, quem per literas diligenter admonueram, ut hoc ſublime ſtudium iuxta intentionem antecedentis Regis et Senatusconſulti, Patriæ ſaltem honoris caußâ iſthic conſervari et perpetuari poße, a Rege hocce obtineret, et ſimul diſcrete præmonui de ijs, quæ ſubſequerentur, ſi id non fieret, mihi reſcriptum ſit, Regi non eße integrum quicquam in Inſtrumentorum meorum huic exercitio inſervientium ſuſtentationem de ſuo conferre. Seceßi itaque primum Haffniam, quæ Regni metropolis eſt, trium vel 4 horarum ſaltem itinere maritimo ab Inſulâ illâ Uraniburgicâ diſtantem. Ubi cum in ædibus amplis iuxta vallum a me ipſo exædificatis ſtudia mea proprijs ſumptibus continuare in animum induxißem, eâque de caußâ nonnulla ex Inſtrumentis meis ibi commode diſpoſuißem, a Curiæ Magiſtro nomine Iunioris Regis, licet tunc in Germaniâ abſentis, id efficere prohibitus ſum. Quare cum has præclaras Artes iſthic adeo neglectas, imo exoſas animadverterem, ut neque publicis neque privatis impenſis ijs invigilandi otium atque commoditas concederetur, malui univerſam Patriam plurimoſque in eâ ſanguine iunctos et Amicos inibi omnes derelinquere, quam laborum Uraniæ noſtræ fruſtrationem atque interitum ſpectare. Subſtiti tamen in tranſmarino Ducatu Megapolitano per Anni quadrantem et poſtea in vicinâ Cimbris Holſatiâ integrum Annum, ut noſtratibus, Patriæ || 9r adhuc ſtudens, rem rectius deliberandi ſatis relinquerem temporis. Quod cum incaßum fieri viderem, et interea ab Auguſtißimo et Potentißimo Imperatore RUDOLPHO Secundo, Domino noſtro Clementißimo, inde in Bohemiam evocarer, rebus meis, quam primum fieri potuit, in Germaniâ compoſitis et tranſlatis Magdæburgum ad Albim ſitum Inſtrumentis unâ cum reliquâ ſupellectile domeſticâ Dreſdam veni, ubi, poſtquam de Epidemicis morbis in Bohemiâ populariter graßantibus, quodque Cæſar ob ea pericula Pragâ relictâ in Arcem quandam ſeorſim ſe recepißet, intellexißem, et ſimul a Mag^{co} Domino CORRADUCIO, Imperij Procancellario, per literas de Cæſ^{æ} Ma^{tis} Clementißimâ voluntate admonerer, ut nimirum pauliſper in viciniâ me continerem, donec malum illud in Bohemiâ remitteret, atque Aula Cæſ^{a} recolligeretur, expectavi aliquandiu in propinquâ Saxoniâ, quoad iterum ex mandato Cæſaris a prædicto Domino CORRADUCIO

Pragam per literas vocarer, quo ſuperiore æſtate cum totâ familiâ adveniens, a Cæſ^{a} Ma^{te} mox benignißime receptus ſum, atque annuo ſalario ſatis liberali, quo Aſtronomiæ ſtudio et rei domeſticæ conſuleretur, proviſum, conceßaque Arx quædam Cæſareana Benachia, quam ob loci eximiam amœnitatem et fluvium Iſaram circumcurrentem indigenæ Venetias Bohemorum nuncupant, quæ quinque ſaltem milliaribus Germanicis ſive ſex horarum itinere Pragâ metropoli removetur. Hanc tribus alijs pariter oblatis, quod locus ſit tranquillus et iocundus, ac ſimul admodum êditus, adeoque Obſervationibus cœleſtibus commodior, prætuli: ubi etiam convenientia pro meis Inſtrumentis ordine et ſigillatim diſponendis ædificia mandato et ſumptu Cæſaris confeſtim || ſtructa ſunt, in quæ in Bohemiam mecum allata Organa, 9^{v}
prout uſus requirit, collocata ſunt. Reliqua ex Germaniâ, quam primum hyems deſierit, huc pariter advecta, ibidem uſui adaptabuntur, ut ſic, Cœleſtium favente Opifice, Uraniæ noſtræ, quam Patria repudiavit, fundamina hîc reponantur, atque in Cæſ^{æ} Ma^{tis} totiuſque Imperij honorem Aſtronomiæ redintegratio continuetur, atque quam primum fieri poßit, compleatur. Quod poſt Divini Numinis providentiam huic optimo Imperatori omnium liberalium Artium, inprimiſque Mathematicarum Mæcenati benignißimo acceptum eſt ferendum. Namque is Clementi manu nobis hæc otia fecit. †

Hæc te, Clarißime Domine PINELLE, ſcire volui, ſi forte antea non ſatis innotuerunt, ut rerum noſtrarum vicißitudo et in Bohemiâ a Cæſare benignißime reſtitutum hoſpitium te non lateret. Libros autem, quos Cæſ^{æ} Ma^{ti} dedicatos, cum primum adveni, humillime obtuli, quoad duos priores, te vidiße autumo. Nam et Ser^{mo} Principi atque Senatui Veneto a prænominato Iuvene meâ caußâ reverenter exhibiti ſunt, qui etiam eum Equitis aurati honore decorârunt. Si vero nondum eos tibi inſpicere contigit, ab Illuſtri et Clarißimo viro IOHANNE FRANCISCO SAGGREDO id facile (uti opinor) impetrabis. Tertius erat de reſtitutis motibus Solis et Lunæ eorundemque cum conſuetis calculis comparatione, quem alias (uti ſpero) videbis.

Porro ut per occaſionem, quæ nunc ob Aulæ Cæſareæ propinquitatem promptior quam antea occurret, me Eruditis tuis literis inviſere, atque quod hiſce meis incomptis prævenerim, candide accipere non degraveris, quæſo. Vale, ſalutato a me peramanter ob conformia ſtudia Præſtantißimo iſthic Mathematum Profeßore GALILÆO DE GALILÆIS; qui ſi mihi (uti conſtituerat) per dictam occaſionem ſcripſißet, me in reſpondendo non invenißet difficilem. Poterit tamen id alio fortaßis tempore præſtari. Iamque iterum vale, vir illuſtris et celeberrime, atque Annum hunc Iubilæum plureſque alios ſubſequentes quam felicißime tranſige. Dabantur ex Arce Cæſareanâ Benaticâ 3 die Ianuarij Anno 1600.

[E codice

† [E codice Basileensi G I 35; cf. Io. Ant. Magini *Tabulæ Primi Mobilis* (Venetiis 1604) fol. 86]

10r EXCELLENTISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO, DOMINO IOHANNI ANTONIO MAGINO, MATHEMATUM IN ILLUSTRI BONONIENSIUM GYMNASIO PROFESSORI, AMICO SUO PLURIMUM DILECTO.



EVERSUS ad me FRANCISCUS TENGNAGLIUS noſter tuas attulit, Excellentißime et Eruditißime plurimumque mihi dilecte Domine D. MAGINE, meis quidem reſpondentes, ſed tamen de ſingulis, de quibus tecum agebam, non ſufficienter agentes, quod occupationibus tuis lubens tribuo. Gratum vero mihi in primis eſt, quod ijs quæ ille proponebat aßentitus ſis, atque in illis tuam operam ſive per temetipſum ſive per alios in Italiâ Eruditione pollentes effectui daturum benevole pollicitus.

† Exiſtimo te a dicto TENGNAGLIO ſumma rerum huc pertinentium faſtigia hauſiße. Adiunxi hiſce brevem diſcurſum de occaſionibus mei e Daniâ diſceßus, ut eo promptius negocium concipi poßit, et quaſdam alias literas huc pertinentes. Cœtera ipſius relatio ac Carmina tradita, quæ nunc prioribus addo, ſupplebunt. Da itaque operam, optime MAGINE, ut mature res omnis conficiatur, mihique primæ conceptiones intra duos menſes (ſi ullo modo fieri poßit) huc in Bohemiam mittantur, quo quæ neceßaria duxero, mutem, addam vel adaugeam, cum nemini melius quam mihi ipſi mea perſpecta ſint, moxque vobis reviſa et locupletata remittam. Placet vero admodum illa ratio, de quâ TENGNAGLIUS admonuit, ut potius Panægyricum quid ſit quam per Dialogos. Sic enim res omnis concinnius comprehendi poterit et maiori authoritate: ita tamen, ut a generalioribus ad particularia deſcendendo primum univerſæ Artis Aſtronomicæ ortus, incrementa, promotiones, augmenta et variæ mutationes ac peregrinationes re-
10v cenſeantur; quæ omnia ‖ ab alijs ſcriptoribus, qui hoc argumentum tractârunt, facile cum delectu quodam hauriri poterunt. Et ſi alij defuerint, IOHANNES STADIUS in ijs, quæ Tabulis Bergenſibus abs ſe dictis ſubiunxit, occaſionem ſuppeditabunt: quæ tamen in quibuſdam, ubi liberius excurrit, caſtiganda erunt, uti erat vir ille in dicendo facilior quam verior. Utinam in calculo Aſtronomico, qui fucum (uti hiſtorica) non patitur, idem non commiſißet. Quâ in re non immerito a te redarguitur. Sed parcamus iam manibus defuncti. Eſt aliquid pro-
† dire tenus, ſi non datur ultra.

Deinde poſtquam narratum eſt, quomodo e Græciâ in Italiam et Hiſpaniam, poſtmodum vero ad Germanos et deinde in Daniam verſus

ſus Septentrionem migrârit Aſtronomia; quo cum ulterius ob Arctoum frigus nimiamque ſphæræ inclinationem progredi commode non poßet, neque etiam diu ibi ſubſiſtere, tandem in Germaniam reverſa eſt, adeoque in ipſam Bohemiam, Germaniæ quaſi cor et meditullium, ubi apud Auguſtißimum Imperatorem RUDOLPHUM II clemens et benignum hoſpitium nacta eſt, ut demum verificaretur, quod olim MANILIUS ad AUGUSTUM Cæſarem protulit: †

Regales animos primum dignata movere
Proxima tangentes Cœlo faſtigia rerum.

Hinc ſumptâ occaſione poterit poſtea digreßio quædam fieri ad me et ea, quæ mihi in Daniâ evenerunt, tanquam relatione eorum, qui ex Germaniâ et Bohemiâ in Italiam proficiſcuntur, comperta. Decet tamen in his modum aliquem ſervare et modeſte ac moderate omnia agere, ita ut Patriæ noſtræ et Regi plurimiſque in ijs præclarâ et antiquâ Nobilitate viris integris et cordatis, quibus partim inſcijs partim invitis ea evenerunt, quæ diſceßui meo anſam præbuerunt, parcatur, utque illi ſint excuſabiles. Perſtringendi vero ſolummodo pro merito Cancellarius modernus et Aulæ magiſter, qui cum Patriæ honorem † ex officio promovere debuißent, ‖ eum potius ob avaritiam et ſorditiem 11r pari invidiâ, malignitate et odio coniunctam (cum ipſi liberalibus ſcientijs vel nihil vel admodum parum tincti eßent) impediverunt et exterminârunt. Nomina eorum invenies in ijs, quæ de caußis diſceßus mei Latine exarata nunc mitto. Nec intereſt, ſi illi expreße nominentur in ſcripto illo, tanquam nomina eorum hac occaſione aliunde in Italiâ relata fuerint, cum alias obſcuri ſint, digni tamen, ut ex tali facinore famoſi evadant, quemadmodum ille, qui Dianæ templum Epheſijs incendio abſumpſit, cuius tamen nomen hoc pacto deletum eſt. Atque in hunc vel ſimilem modum poßunt ea, quæ Uraniæ noſtræ et mihi contigerunt, amplificari. ‖

Inaudivi te Ephemerides tuas magnâ equidem diligentiâ ſupputa- 10v tas (utut quidam Francofurti ad Oderam, êditis nuper quibuſdam alijs ab anno 1595 incipientibus et ultra tuas decennio prolongatis, minutula quædam, quæ momentum non habent, in ijs carpere præſumpſerit) auxiße ad minimum integro decennio. Exemplar non vidi: neque enim fuit in Catalogo Nundinarum Francofurtenſium proxime antecedentium. Cuperem itaque ex te habere, ut videam, an aliqua inibi præter priorem diligentiam exantlaveris. Neque enim dubito, tua in hoc genere (cum numerorum tractatione atque compendijs præpolleas) emuncta et ſolida eße, quantum fert fundamentum illud cui ſuperſtructa. Cœterum quæ de Tabulis meis in motu Luminarium reſtituto expetis, ut ijs, ‖ donec reliquorum Planetarum numeratio ipſi 11r

Cœlo

Cœlo conſona ſubſequatur, in commodum Reip. literariæ uti poßis, libenter tecum communicarem, ſi ea quæ non tam typis excuſa quam manuſcripta in his parata habeo, nunc ad manus eßent. Nam ut de rerum mearum vicißitudine, quam a prænominato TENGNAGLIO intellexiſti, nihil hîc repetam (piget enim iſtorum recordari, nedum ea memorare) ſcias me præcipuam partem ſuppellectilis meæ interea, dum huc in Bohemiam a Cæſarea Maieſtate Clementißime evocatus tranſeo, Magdæburgi ad Albim quaſi in medio Germaniæ reliquiße, donec de ipſius Maieſtatis Clementißimâ voluntate certior redderer; inter quam non ſaltem Inſtrumenta quædam ex meis, plura quam huc attuli, ſed et maxima pars Operum meorum tam impreßorum quam manuſcriptorum conſervatur. Et licet Cæſarea Maieſtas ante complures hebdomadas Magdæburgenſibus clementer ſcripſerit atque mandârit, ut omnes res meas ibi reſervatas huc in Bohemiam intermediante Albi adduci procurent, tamen interveniente hyeme, quæ fluminis congelationem atque impedimenta varia facile ſuggerere potuit, id uſque in inſtans vernum tempus procraſtinare neceßum habuerunt. Unde fit, ut tuis votis hac in parte, etiamſi quam maxime vellem, nunc ſubvenire nequeam, ſed ſpero Progymnaſmatum noſtrorum Aſtronomiæ inſtauratæ primum Tomum brevi, favente Cœleſti Numine, in publicum êditum iri: moxque exemplar tibi impertiar. Iſthic capite 11v primo, quæ in calculo || curriculi utriuſque Luminaris deſideras, ſufficienter invenies. Interim hanc incidentem morulam patienter habe. In reliquis Planetis adhuc ſtrenue laboro. Res enim eſt maioris difficultatis, pluribuſque anfractibus obnoxia, quam hactenus creditum. Quid in his atque alijs ad negocium Aſtronomicum facientibus hucuſque aſpirante ipſo Cœli authore perfecerim, liber is, quem TENGNAGLIUS tibi ex me dono dedit, de Mechanicâ Aſtronomiæ parte circa finem edocebit. Quem unâ cum altero de affixarum maiore labore quam æſtimatione reſtitutis locis te accepiße gaudeo; velimque ut tibi ſoli reſerves, vel ſaltem ne indignis et ingratis communices.

Obſervationes, quas per nova Inſtrumenta ad imitationem quorundam ex meis fabrefacta te in Italiâ fieri effecturum iam dudum pollicitus es (de quibus etiam antea per literas inculcavi) necdum conſpicere licuit. Averem ſane tale quidpiam iſthic diligenter effici, ex quo minor Sphæræ apud vos quam hîc inclinatio maiorem largiatur commoditatem ſtellas præſertim Auſtraliores rite examinandi. Nec deſunt vobis ingenia ad quidvis apta, modo in talibus inſtruantur et adhibeantur. Neque dubito quin ditiores, qui hac ſublimi cognitione afficiuntur, ſumptus non invite ſint ſubminiſtraturi. Quod et illis erit honorificum. Quæ vero in his præcipue facienda atque eligenda ſint, ut Mechanice omnia ad amußim et utiliter conficiantur, liber, de quo dixi,

dixi, quemque habes, anſam præbebit. Omnem itaque move lapidem, ut non ſub tecto et tuguriolis (uti nunc communiter fit) ſed ſub dio atque ipſo Cœlo Aſtronomiam (velut par eſt) veterum imitatione exerceamus, et ſic ſpectemur agendo.

Vale, et Annum hunc Iubilæum, multoſque alios in Artis huius nunquam ſatis laudatæ promulgationem feliciter exige.

Dabantur ex Arce Cæſareanâ Benaticâ 3 Ian. 1600.

Excellentiæ tuæ ſtudioſißimus
TYCHO BRAHE.

[E codice Basileensi G I 23] †

GENEROSO ATQUE MAGNIFICO VIRO, 34v
DOMINO TYCHONI BRAHE, IN KNUDTSTRUPP ET URANIBURG, ET DOMINO SUO, FAUTORI AC PROMOTORI SUMME HONORANDO.

Salutem plurimam D. 33r



RÆTER omnem ſpem et expectationem meam accidit, Generoſe Domine TYCHO, fautor ac promotor honorandißime, ut hîc diutius moras trahere cogar. Nihilominus tamen ex voto et animi ſententia mihi hactenus omnia ſucceßerunt, et uti ſpero amodo etiam ſucceßura eße. Tuas a Conſobrino tuo CLAUDIO BILLEO cum Idea ſive typo Structuræ novæ Benachienſis 8 Idus Ianuarij ſartas tectaſque accepi, quibus properante hinc Poſta confeſtim reſcribo. Ideam adhuc hodie Magnifico Domino BARVITIO, Cæſareæ Maieſtati humilime ad exhibendum, offeram, cæteraque ſedulo et diligenter, quæ in memoriale aßignata reperi, exequar. Cæſarea Maieſtas cum quotidie tui ad D. BARVITIUM fecißet mentionem, deque te Cæſareo favore valde ſollicita eßet, quinam valeres, quidnam rerum ageres, an nihil ei tranſmitteres, Dominus BARVITIUS, me quidem inſcio, tua Progymnaſmata Aſtronomiæ ad ipſius Maieſtatem detulit. Dominus BARVITIUS ad me aiebat: »*Ich muſte nur Ihrer Röm. Kay. Mts. etwas weiſenn von dem Herrn* TYCHONE, *damit von Ihr Kay. Mts. ich nit ſo offters gefraget werde, weil ich dan ſobaldt nichts darauf zu andtwortenn weis, und zue fridenn bleibe*«. Quæ ipſius Cæſarea Maieſtas actutum aperuit et per integrum diem vultu hilari et clementißimo, imo paterno erga te quem gerit animo, clementißime perluſtravit, uti coram plenius id tibi aperiam; per feſtinationem enim Poſtæ commode hoc fieri nunc nequit. Annuatim a Cæſarea Maieſtate clementißime ex ferarum genere tres tibi ſunt deputatæ, et aliquot *Züber* (uti in Bohemia vocant) piſcium, de qua re ex mandato ipſius

Cæſ.

Cæſ. Maieſtatis a Domino BARVITIO ad Dominum Capitaneum Brandeiſenſem iam ſcriptum eſt, nec non de Prædio, ut aliquod eligat,
33v et per primam occaſionem, quid ille || ſentiat, Dominum BARVITIUM certiorem faciat, quas literas mecum dante Deo afferam. Pecunias antea promißas poſt diuturnam moram etiam nunc obtinui. Magnificus Dominus CORRADUCIUS te officioſe et peramanter reſalutat omniaque felicia precatur; dicta ſalute et congratulatione ad me dicebat: »Pro congratulatione hac quam mihi nuncias, et ſalute quam nomine Domini TYCHONIS BRAHE dicis, gratias tibi ago maximas; vicißim eum, cui mea ſtudia offero, peramice ſalutabis. Ego illum virum tanto amore proſequor, itaque ipſi faveo, licet de facie mihi ignotus ſit, ut nîl ſupra, non modo ob inſignem ac præclaram quam profitetur artem Aſtronomicam, ſed et ob generis ſplendorem, *dan er eines tapfferenn Geſchlechts und Herkommens, auch vornehmer Man, deſſen gleichenn izo* in toto terrarum Orbe *nit zu findenn,* utinam ut quam primum copia mihi eum videndi et cum ipſo loquendi ſe offerat; ſed id brevi fore puto.« Dominus TYPOTIUS ante biduum huc Pilſnam Lipſiâ appulit, qui etiam te ſalva impertit ſalute. Iamque diutißime ac felicißime cum tota Domo vale viveque annos Platonicos. Dabantur calamo celeri Pilſnæ ipſo die quo mihi tuæ cum modella ſunt redditæ, Anno aßertæ ſalutis 1600.

T^{æ} M^{æ} addictiß.
DANIEL FELS,
manu propria.

Quod meæ ſuperioribus diebus tardius quam debebant tibi ſint redditæ, culpa mihi non eſt danda, ſed id vel Poſtæ, per quam reſcripſeram actutum, vel Domino Doctori HELLERO, ad quem meas direxeram, imputandum. Cum viaticum mihi deſit, nec hîc mutuo accipere poßum nummos, ſcripſi D. HELLERO, ut per Poſtam 8 Ioachimicos mihi, bonâ fide et gratia a te reſtituendos, tranſmittere velit. Iterum vale meæque feſtinationi ignoſce, meque incolumem tu incolumis expecta. Progymnaſmata tua Aſtron. a Cæſ. Maieſt. nondum recepi, quotidie adhuc ipſius Cæſ. Maieſtas ea perluſtrat.

[E codice Basileensi G I 35] †

S. CLARISSIME ET ERUDITISSIME 12^{r}
DOMINE BARTHOLOMÆE SCULTETE VETERI AMICITIA MIHI IUNCTISSIME.



ACCESSUM meum in Bohemiam, quod a Cæſ$^{\hat{a}}$ Ma^{te} hîc Clementißime receptus ſim, tibi iam antea innotuiße, ex Domino Doctore SCHWALMIO communi noſtro amico, paulo poſtquam Pragam adveneram, percepi. Rediens enim ille ex Sileſiâ attulit ſchedam quandam memorialem tuâ manu exaratam, in quâ Progymnaſmatum meorum tomum primum tecum communicari rogabas: ac reſponſum ad meas, quas idem tibi tradidit, nullum reportavit, uti neque ad illas, quas Wittebergâ ad te dedi, reſcribere voluiſti, traditâ ſaltem tabellario chartulâ, quæ probaret, eum meas exhibuiße. Quî vero fiat, quod in reſpondendo tam difficilis ſis, equidem ignoro. Si curæ tam publicæ quam privatæ impedimento ſunt, ſcias me non minoribus diſtineri, et tamen haud intermittere, quin amicis ſcribam. Sed ſi in poſterum hanc deſidiam emendâris, erit veniæ locus.

Progymnaſmata deſiderata mittere necdum potui, quia primus quaternio nondum impreßus eſt, uti neque Concluſio; et deficiunt alias in primo capite ſex quaterniones de motu ☾^{æ}, quos Hamburgi quidem typis imprimi mandavi; ſed in abſentiâ meâ adeo depravate id factum eſt, ut eos recudere oporteat. || Poſtquam vero in Bohemiam conceßi, 12^{v} nihil eiuſcemodi hucuſque præſtare licuit, partim ob peſtem Pragæ aliquamdiu graßantem, quodque iſthic typographias numeris et figuris Aſtronomicis aptas non habeant, partim quod propriam meam Magdæburgi unâ cum quibuſdam ex meis Inſtrumentis atque ſupellectile domeſticâ, interea dum ego in Bohemiam tendo, relictam ante hyemem me obtenturum fruſtra crediderim. Mandârat ſiquidem Cæſ^{a} Ma^{tas} per literas Magiſtratui eius loci, ut res meas omnes iſthic conſervatas mature huc in Bohemiam per Albim tranſvehi procuraret. Verum dum iſthic moras nectunt, et neſcio quæ ſubterfugia quærunt, ſuperveniens hyemis aſperitas id ante ver inſtans fieri poße vetuit. Sicque tam illud opus, quam alia a me inchoata et necdum typis plane conſummata abſolvere, poſtquam huc veni, non eſt conceßum. Interim tamen in hac Arce Cæſaris Benaticâ ſtructuræ pro Inſtrumentis meis Aſtronomicis ordine et ſigillatim diſponendis iußu eius Ma^{tis} confectæ ſunt, in quarum aliquas ea, quæ mecum attuli, iam diſpoſita ſunt, donec cœtera, quibus relicta ſunt convenientia loca, advenerint. Laboratorium || etiam 13^{r} Spagyricum pro Pyronomicis meis exercitijs, quibus unâ delector, paratum eſt; ſatiſque commode in hac Arce, quam tribus alijs pariter oblatis

latis

latis prætuli, cum meis habito; et de neceßarijs a Cæſ^{a} Ma^{te} mihi liberaliter, quantum hæc ferunt difficilia tempora, proviſum. Abſum autem hîc a veſtro Gorlitzio vix plus itinere duorum dierum, æſtivo præſertim tempore, ut facilior et crebrior (modo ſic volueris) literarum inter nos commutatio fieri poßit. Et ſi me aliquando hîc inviſere tibi grave non fuerit, advenies non tam exoptatißimus hoſpes, quam Amicus antiquus nunquam antiquandus, ſed perpetuo mihi futurus charißimus.

Quoniam vero intellexi Gorlitzij apud vos eße excultas Typographias, quæ ſtylorum formâ et varietate præpolleant, ſimulque moletrinas papyro conficiendæ idoneas ibi reperiri, cuperem a te reſciſcere, quali precio quaternio impreßus in formâ papyri maiuſculâ, quam Regalem vocant, ecudatur, idque in quarto, ita ut munda et nitida ſit papyrus, typi vero partim ex curſivâ maiuſculâ, partim minori et antiquâ mediocri, incidentibus nonnunquam quibuſdam tabulis et figuris Geometricis, ita ut Exemplaria ſint 1500, et quot quaterniones ſingulis hebdomadibus abſolvi queant, quidque correctori idoneo numerandum. ||
13v Ut vero mentem meam circa hæc rectius percipias, appoſui unum vel alterum quaternionem, formam papyri atque impreßionis rationem oſtendentem. Cœtera per temetipſum facile capies atque diſpones. Da itaque operam, amantißime SCULTETE, ut votis meis hac in parte reſpondeat eventus, idque mature reſciſcam, quo Exemplaria unâ cum pecuniâ neceßariâ, quam tuæ fidei committam, iſthuc tempeſtive tranſmittere queam. Quæ illuc primo quoque tempore labore typographico compleri averem, hæc ferme ſunt. In volumine primo Progymnaſmatum inſtaurationis Aſtronomicæ dimidium circiter Alphabetum hinc inde deſideratur; ideoque quam citißime fieri queat, convenientibus locis ſupplendum. In libro illo de Cometâ Anni 77, quem dudum a me obtinuiſti, ſubiunxi poſtea Apologetica quædam ſcripta, quæ Hamburgi quidem impreßa ſunt; ſed refutatio cuiuſdam Eruditi in Scotiâ viri, qui contra eiuſdem libri præcipua contenta nonnulla inferre præſumpſit, necdum addita, quæ forte quaterniones 16 adimplere poterit. Præterea librum ſecundum Epiſtolarum Aſtronomicarum e noſtris, quem paulo antequam Daniâ exceßi, typis proprijs excudi inchoâram.
14r Sed ſolummodo abſoluto dimidio Alphabeto || mihi inde in Germaniam emigrandum erat, ſicque opera illa ob varias intercidentes irrequietudines intermißa eſt. Reſtant duo circiter Alphabeta plus minus typis pertexenda, idque totum minori illâ antiquâ, qualem primus Epiſtolarum tomus iam antea editus (quem proculdubio habes) exhibet.

Hos inquam libros iam antea typis noſtris inceptos iſthic apud vos ad Colophonem opere Typographico quam celerrime diduci poße, ut hoc Anno Iubilæo publici iuris fierent, plurimum exoptarem. Fac igi-

tur me de ſingulis huc pertinentibus per primam quamque occaſionem (ſiquidem proprijs typis id nunc fieri nequeat) certiorem, et cum typographis veſtris atque papyri confectoribus, prout æquum fuerit, tranſige, et quid ad minimum exigant, ſignifica. Non poterunt mihi facile in hoc utroque negocio imponere, cum ipſemet utrumque, tam quoad typographicas impenſas, quam papyri præparationem in Inſulâ olim Uraniburgicâ diu multumque proprijs ſumptibus exercere curârim. Confido autem, ſic perſuadente veteri inter nos neceßitudine, te deſiderijs meis hac in parte non defuturum. Feceris ſic non ſaltem mihi rem gratam et amicitiâ noſtrâ || haud indignam, ſed et Divinæ illius 14v Aſtronomiæ cultoribus inprimis acceptam nec (uti ſpero) inutilem. Cumque tu non poſtremum inter eos locum obtineas, te ſponte tuâ rem omnem promoturum, nihil addubito. Sicque eo citius et promptius Exemplaria Operum meorum, quæ requiris, nanciſcêre.

Vale et actutum reſcribe, meque de ſingulis diligenter admone. Opto tibi cum omnibus tuis hunc præſentem Annum Iubilæum multoſque alios inſtantes auſpicatos et ſalutares. Iterumque vale. Dabantur ex Arce Benaticâ 5 milliaribus Pragâ verſus Borrhapelioten remotâ Anno Epochæ Chriſtianæ Dionyſiacæ 1600, quem tamen duobus Annis deficere IOSEPHUS SCALIGER in renovato Opere de Emendatione temporum (uti prius unico) contendit, Ianuarij die 7° ſtylo renovato. Tu, ſi potes (uti forte potes, ſiquidem in ſimilibus diligenter verſatus) hanc litem dirime.

[E codice Basileensi G I 35] ‡

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO 16r
VIRO DOMINO IACOBO MONAVIO, PATRITIO VRATISLAVIENSI, ILLUSTRISSIMI DUCIS SILESIÆ CONSILIARIO DIGNISSIMO, AMICO SUO INPRIMIS HONORANDO.

S. P. 15r



AUCIS diebus ex quo Pragam veneram, Excellentißime et amantißime Domine MONAVI, ſchedam quandam a te e veſtra Sileſia mihi aſportavit Dominus D. SCHWALMIUS, ſi recte memini: quæ nihil aliud quam de Carmine quodam Domini TOBIÆ FISCHERI Poëtæ veſtratis, quâ occaſione id in eum modum concinnatum ſit, continebat. Grata mihi fuit tua chartula ipſiuſque Carmen, in quo paucula verba mutata ſunt iuxta cenſuram criticam, prout in adiunctis pagellis videre eſt, quibus etiam nonnulla alia, præter ea, quæ

quæ prius habes, adſcripta ſunt. Velim, ut tam hæc quam priora cum eodem communices. Scripſißem ipſemet iam illi, ſi literas eius ad me humanißimas tam cito invenire potuißem. Neſcio enim, ubi illas cum quibuſdam alijs, interea dum res meæ huc Pragâ tranſferuntur, repoſuerim. Quando eas reperire dabitur, reſcriptionem non ulterius intermittam. Interim ipſum meo nomine officioſe ſaluta, et pro benevolo ſuo erga me animo gratias age.

Scripſi tibi aliquoties antea de libris Witichianis a ſorore hærede coëmendis. Quod ſi iam tuâ operâ præſtari poßit, ut iuſto precio eos obtinere queam, præſertim quoad Exemplaria quæ habuit tria COPERNICI a ſe marginalibus quibuſdam illuſtrata de Revolutionibus Cœleſtibus, et quæ de Triangulis conſcripſerat, atque de Hypotheſibus Cœleſtibus ſi quæ inveniuntur, feceris mihi rem apprime gratam. Precium indi-
15v catum confeſtim ſolvam. || Relatum quoque ad me eſt, quendam apud vos ante aliquot Annos fuiße Aſtronomiæ peritum, qui obſervationes nonnullas Cœleſtes ſuo tempore perfecerat; quas filium ipſius adhuc conſervare aiunt. Habitat autem is (ſi rite audita recordor) in plateâ quam vocant *die Stockgaſſe,* nomen eius excidit; tu (opinor) facile id conijcies atque inquires, rogoque peramanter, ut ab ipſo impetrare velis earundem obſervationum, quot et qualeſcunque fuerint, deſcriptum mihi concedi. Inveniar vicißim erga illum gratus. Indica inſuper, ubi reſcripſeris (quod te mature facturum confido) an aliqua apud vos ſit Typographia, quæ tales ſtylos habeat, qualibus liber primus Epiſtolarum Aſtronomicarum e noſtris, quem exiſtimo te habere, excuſus eſt. Conſtitui enim alterum Tomum, in quo 12 primi quaterniones, antequam res meæ in Daniâ conturbarentur, abſoluti ſunt, complere, in eâdem formâ papyri et characteris, quâ prior confectus eſt. Et tranſige ſimul cum Typographo idoneo, quid pro quolibet quaternione, ita ut Exemplaria imprimantur 1500, illi numerandum ſit. Et ſimul papyri valorem indica, quidque correctori gnaro in ſingulas ſeptimanas dandum. Si intellexero, omnia iſthic rite ſuccedere poße, mittam unâ cum
16r Exemplari ad mundum ſcripto pecuniam, pro quâ papyrus || coëmatur, et cœtera perſolvantur. Ignoſcas vero mihi, mî MONAVI, quod te alias occupatißimum meis negocijs ſic moleſtem. Ego quidvis vicißim tuâ caußâ faciam, quâcunque in re mea opera tibi unquam uſui eße poterit. Vale. Dabantur ex Arce Cæſareanâ Benaticâ, ubi nunc cum meis habito, die 10 Ianuarij ſtylo renovato Anni 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35] †

TYCHO BRAHE AD MARTINUM BOCHAZIUM.

S. 17r

XCELLENTISSIME et eruditißime Domine M. MARTINE BOCHAZI, amice honorande, ex literis tuis ultimo ad me datis non obſcure percepi tuum in me ſtudium et ſingularem benevolentiam, cum quod M. NICOLAUM, Conterraneum meum, tam humaniter nuper exceperis, atque negocia a CLAUDIO BILLEO conſobrino in Gallijs meo nomine expedienda tuo quoque conſilio promovere volueris, tum etiam quod exemplaria aliquot Carminum tibi concreditorum mihi ad mundum deſcribi procures, in quibus recte coniectatus es, quod Epigramma quoddam TUTO pro TYCHO perperam haberet. Debet enim illud, uti appoſite reſtituiſti, ſic ultimo claudi:

Ære RUDOLPHE tuo, TYCHO labore tuo.

Et ſi quæ alia eiuſcemodi inveniſti ſphalmata ſcriptoris, bene feceris, ſi emendaveris. Quoniam vero beneficium unum alterum alliciat, et videam te noſtratibus favere, præſertim ſi mea commendatione fulti te acceßerint, non potui prætermittere, quin iuvenem Danum, qui ante triduum cum filio meo natu maiore (quem in Daniam pro auferendis iſthic reſiduis inſtrumentis, et Lubecam primum, deinde Hamburgum, quod || et factum eſt, tranſvehendis miſeram) huc Witebergâ, 17v
ubi aliquandiu ſtuduerat, comitatus eſt, [literis] hiſce [ad] te pro[mo]verem, ſiquidem is ſe tibi inſinuari exoptârit meque hoc nomine rogârit; intellexerat enim inter nos familiaritatem non vulgarem eße, meque tibi, uti par eſt, plurimum tribuere, quare non potui non ipſius deſiderijs annuere. Ut vero paucis cognoſcas, quis et qualis is ſit, ſic habe. Oriundus eſt ex ea parte Daniæ, quam Cimbricam alij vocant Cherſoneſum, noſtrates Iutiam dicunt, in civitate iſthic primaria Ripenſi, quæ cathedralem habet eccleſiam et capitulum Canonicorum celebre atque opimum, ubi etiam parens illius, honeſta alias familia natus, præcipuum gerit officium et Superintendentem agit, loco veterum Epiſcoporum, vir apprime eruditus et antiqua conſuetudine mihi notus, qui M. PETRUS HEGELUNDUS appellatur. Filius autem hic, IOHANNES nomine, aliquamdiu in Academia Haffnienſi diligentem literis operam navavit, poſteaque Witebergæ ſtudia liberalia non minori ſedulitate continuavit, atque in ijs pro ſua ætate egregium et laudabilem fecit profectum, eſtque inſuper honeſtis et compoſitis moribus præditus, ut ſpes non dubia ſit, eum ad præclaram aliquam frugem

Dei

Dei beneficio perventurum. Quocirca, mi optime BOCHAZI, ut tibi
18r hunc iuvenem Danum ‖ de meliori (uti aiunt) nota commendatum habeas, utque eius conatus iuves, ipſumque ad optima quæque tuo conſilio promoveas, te etiam atque etiam rogatum habeo. Feceris ſic mihi rem apprime gratam et pluribus nominibus me, tui alias amantißimum, devinxeris. Cuperet is aliquantiſper Pragæ ſubſiſtere, ut inchoatam ſtudiorum ſuorum telam in veſtro Collegio pertexere queat, atque mores iſthic hominum addiſcere, ſicque ſucceßive ſibi viam ſternere et commoditatem parare ulterius peregrinandi et forte Italiam perluſtrandi. Da itaque operam, amantißime Domine BOCHAZI, ut iſthic apud vos oportune, et ſi locus commodus eßet, in veſtro Collegio, ibi potius degat, ut non nimium de ſua pecunia, quâ ad ulterius peregrinandum opus habet, illi conſumendum ſit, ſed frugaliter, ita tamen, ut neceßaria non deſint, vivere ac ſtudijs humanioribus ſimul vacare poßit. Qua de re ille ipſemet ſuam plenius tibi expoſiturus ſententiam, atque ego, ubi vobis, favente Numine, adfuero, quod ſtatim atque Cæſarea Maieſtas Pragam redierit, futurum ſpero, ulterius tecum tam de his quam alijs collocuturus ſum. Interim effice, ut hanc noſtram interceßionem apud te pondus habuiße, qua etiam de re nihil addubito, reſciſcam, et Exemplaria Carminum, quotquot tranßcripta habes, mitte, meque tui ſtudioſißimum redamare perge. Vale. Dabantur properanter ex arce Venetienſi 17 Ian. A. 1600. ‖

19r † POSTSCRIPTA.

ADVENIT cum filio inde a littore Balthico quidam alius e conterraneis noſtris M. CHRISTIERNUS LONGOMONTANUS nomine, a me huc vocatus: ſiquidem is iam antea, dum in Daniâ morarer, mihi in Inſulâ noſtrâ Uraniburgicâ per octennium fuerat domeſticus, et in Exercitijs Aſtronomicis operam diligentem nobis præſtiterat. Turbatis autem iſthic Uraniæ ſacris, quorundam inſcitiâ et malevolentiâ, ille, ruinas tantas me ſpectare nolente, ſed inde cum totâ familiâ in Germaniam me recipiente, pariter abijt, et cum bonâ noſtrâ veniâ primum in Prußiam navigavit. Poſtea perluſtratâ Poloniâ per Sileſiam et reliquam Meridionaliorem Germaniæ partem Roſtochium venit; ubi cum percepißet, me in Arce Ranzovianâ prope Hamburgum aliquantiſper conſediße, me ultro acceßit, et aliquanto tempore iſthic mecum moratus, cum interea a Cæſ$^{\hat{a}}$ Ma^{te} Pragam evocarer, atque paulo poſt iter in has oras ſuſciperem, is me Magdæburgum comitatus eſt. Cumque Gynæceum meum, quod eouſque tunc mecum habueram, Wandeſburgum remitterem, donec ego Pragam excurrendo (quod tamen tunc lues populariter in Bohemiâ graßans impedijt) Cæſ^{æ} Ma^{tis}

Clementißimam

Clementißimam voluntatem perciperem, eum Gynæceo adiunxi, ut illud tutius reduceret, || cum ipſius diu mihi perſpecta eßet fides et erga 19^{v} me ſtudium. Ubi vero is hoc recte executus eßet, in Cimbriam Patriam ſuam nonnihil exſpatiatus eſt, poſteaque Roſtochium reverſus, ibi eventum rerum mearum in Bohemiâ præſtolatus eſt. Nunc vero cum filio, accerſitus (uti dixi) denuo apud me comparuit. Et licet eius in ſtudijs Aſtronomicis operâ hîc Benachiæ ulterius uti conſtitueram, tamen cum necdum omnia hîc rite diſpoſita habeam, et alias numeroſa mihi ſit familia, expectemque indies Mathematicum quendam Electoris Brandeburgenſis cum ſuâ coniuge, pro quo Cæſar ſcripſit, ut domus hæc mihi deputata vix plures commode capiat, ipſe etiam prædictus M. CHRISTIERNUS Pragæ degere, atque iſthic, quæ in Aſtronomicis illi facienda ſignificâro, ſedulo exequi non averſetur: placuit itaque mihi et hæc ratio, ut meis ſumptibus ibi, donec illi aliter proſpexero, vivat, et pro me, quæ in hoc genere ſtudiorum continuanda præfinivero, elaboret. Quocirca rurſus ad tuum unâ cum conſilio auxilium rem hanc defero, omniaque tuæ prudentiæ et fidei committo, ipſumque, qui mihi ſemper charus et acceptus fuit, tibi quam diligentißime commendo, rogans te per amicitiam noſtram, velis de commoditate aliquâ oportunâ, tam quoad habitationem quam victum, ipſi proſpicere, ſive id in collegio veſtro, ſive alibi in propinquo competenter fieri queat, meque per eundem intra unum vel alterum diem cum curru meo huc revertentem de ſingulis commonefacere. Præſtiteris ſic rem inprimis gratam, et quovis officio, quantum per me licet, vicißim compenſandam. Vale. Datum ut prius.

[E codice Basileensi G I 35] †

TYCHO BRAHE AD ANONYMUM.

S. 20^{r}



NOBILISSIME et Magnifice vir, Domine et amice honorande: Accepi hac ipſâ horâ literas a meo domeſtico DANIELE FELS, qui iſthic apud vos in Aulâ moratur, quibus iußu tuæ Mag^{æ} ſcribit, Cæſaream Ma^{tem} Clementißime cupere, ut per primam oportunitatem iudicium meum de hoc Anno, præſertim quoad morbos Epidemicos, brevibus et ſuccincte comprehenſum eius Ma^{ti} per primam oportunitatem tranſmittam. Etſi vero Aſtrologicis prædictionibus indulgere non ſoleam, quod eam certitudinem non ſpondeant, quam requiro, et quam Aſtronomia, quæ motiones ſiderum ſolummodo ſcrutatur, admittit (quam etiam ob id potius excolo) et præter hæc generales

rales illæ Mundi influentiæ non ſaltem a ſuperioribus Aſtris, ſed et inferioribus caußis atque Elementari Naturâ dependeant (quod et antea Tuæ Mag^{æ} me innuiße memini) adeo ut qui has citra omnem hallucinationem rite præviderint, vel nulli vel admodum pauci hactenus extiterint, qui vero particulares et individua concernentes rectius vaticinati ſint, plures inventi: Attamen quia S^{a} Cæſarea Maieſtas, Dominus 20v noſter || Clementißimus, ſic a me fieri vult, cuius mandatis lubens et ſubiectißime (uti decet) obtempero, quam primum fieri poterit, meas hac de re coniecturas ex Aſtrologiâ qualicunque petitas paucis conſignabo, atque ipſius Ma^{ti} ad tuam Mag^{am} meo nomine humillime exhibendas dirigam, utut libris meis tam manuſcriptis quam alijs huc conducentibus, quod Magdæburgi apud reliquam ſupellectilem detineantur, etiamnum deſtituar. Alias iamdudum perfecißem id, quod ex mandato Cæſ^{æ} Ma^{tis} Tua Mag^{a} eo ipſo die, quo Clementißime audientiam obtinueram, expetijt; quod quale ſit, ipſemet novit.

Porro Mag^{am} tuam cælare non poßum (quod et alias ad ipſam hodie perſcribere in animum induxeram) filium meum natu maiorem, quem cum alio quodam ex familiaribus meis ante ſedecim hebdomadas in Daniam pro auferendis reſiduis iſthic Inſtrumentis ablegâram, nunc primum huc reverſum eße, re omni bene expeditâ. Inſtrumenta enim quatuor, quæ ob magnitudinem diſcedens ibi reliqui, unâ cum quibuſdam alijs, primum Lubecam, deinde ad Albis oſtia Hamburgum, 21r ubi nunc conſervantur, ſarcta tecta tranſferri fecit, || contradicente iſthic in Patriâ nemine: licet eo ipſo tempore, quo Rex Comitia extraordinarie cum toto Regni Senatu et potißimâ Nobilitate celebravit, Haffniam appulerit: ſed omnibus potius cordatis ac ingenuis unâ cum conſanguineis et Amicis noſtris de Cæſ^{æ} Ma^{tis} Clementißimo erga me favore atque horum ſtudiorum promotione mihi affatim congratulantibus, paucis tantum invidis et malevolis dolorem dißimulantibus atque obmuteſcentibus. Quæ pariter indicanda duxi, quo per oportunitatem ipſius Ma^{ti} a tuâ Magâ Inſtrumenta mea omnia, tam ea, quæ prius evehi curâram, quam quæ in Daniâ reliqui, nunc eße in fundo Germanico, atque inſtante vere, favente Deo, huc per Albim non incommode advehi poße, referri queat.

Cœterum ut dictum DANIELEM ſollicitatorem iſthic meum, qui iam ſex ferme hebdomadibus abeſt, quamprimum per graviores occupationes licuerit, expedire et huc remittere non degravetur, officioſe rogo. Valeat Mag^{a} tua quam felicißime et diutißime. Raptim Benachiâ die 20 Ianuarij 1600.

[E codice Florentino Bibl. nat. in codicum Galileianorum tomo 27 (*Accademia del Cimento* part. 3 vol. 12)] †

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FERDINANDO, MAGNO HETRURIÆ, FLORENTIÆ, SENORUM AC PISARUM DUCI, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO AD MANUS PROPRIAS. 6v



ERENISSIME et Potentißime Princeps, Domine Clementißime. 5r Quod Serenißima Celſitudo Tua mihi, licet de facie ignoto et tam longe dißito, adeo clementer et benevole ſuperiori æſtate ſcribere non dedignata fuerit, humillima et obſequentißima mente eidem gratias ago quas poßum maximas. Accepi eas literas, cum primum Pragam ſub initia Iulij, a Sa Cæſareâ Maieſtate, Domino meo Clementißimo, iſthuc e Germania vocatus, et benignißime ſuſceptus advenißem. Quæ ſane non parvâ me affecerunt voluptate, quod inde perciperem tantum Principem, inter Europæos paucißimis cedentem, non ſaltem me immeritum Clementißimo ſuo favore proſequi, ſed et Divinæ illius Aſtronomiæ (cui plurimis abhinc Annis, arduo et indefeßo ſtudio, nec modicis impenſis operam navavi) myſterijs ſolerter et iucunde affici, prout hæc ſublimis et Heroica Scientia, inde ab initio Regibus et Principibus, Heroiciſque Viris, in ſublimi rerum mundanarum faſtigio collocatis, ſemper acceptißima, atque ab ijs in præcipuo honore habita fuit. Quâ etiam de caußâ Auguſtißimus Imperator RUDOLPHUS II me unâ cum Uraniâ noſtrâ, Patriâ, quod ibi debite conſervari et perpetuari nequiret, ſponte excedentem huc in Bohemiam (uti dictum) ubi nunc in Arce quâdam Cæſareanâ, itinere ſaltem dimidij diei Pragâ remotâ, eius fundamina et culturam denuo inſtauro, arceßiri voluit, atque huic Regali Studio, Regaliter quoque et liberaliter proſpicere non degravatus eſt. Libros quos Serenißimæ Tuæ Celſitudini humillime miſi, eidem gratos fuiße, mihi plurimum congratulor.

Quoniam vero ex prædictis Serenißimæ Celſitudinis Tuæ literis percepi, illam plura ex meis in re Aſtronomicâ Operibus Clementißimo animo requirere, nullatenus intermittam, quin per primam quamque oportunitatem, ipſius optimæ voluntati, quâ poßum reverentiâ, morem geram; et præſtitißem id iam antea quam lubentißime, ſi ſupellex mea libraria, quæ Magdæburgi in Germania etiamnum reſervatur, huc allata fuißet, quod tamen inſtanti vere, ubi Albis fluvius hoc hyberno tempore congelatus, denuo erit navigabilis, futurum ſpero. Sic enim a Cæſareâ Maieſtate Magdæburgenſibus per literas iniunctum eſt. ‖ 5v Ex quo inſuper Serenißima Celſitudo Tua Nobilem et Eruditum Adoleſcentem,

Adoleſcentem, FRANCISCUM TENGNAGLIUM, meum aliquandiu domeſticum, qui dictos libros Serenißimæ Tuæ Celſitudini ſubmiße a me obtulit, ex aliquali noſtrâ humillimâ commendatione Clementißimo favore non indignum cenſuit, ſed ita ſibi acceptum habuit, ut nuper huc ad me reverſus Serenißimæ Celſitudinis Tuæ Clementißimam et ſingularem erga ſe benignitatem ſatis deprædicare nequiverit, id equidem tanti beneficij loco reputo, ac ſi a Tuâ Serenißimâ Celſitudine mihi ipſi præſtitum foret. Et quia vel inde Serenißimæ Celſitudinis Tuæ Clementißimum erga me animum haud obſcure intelligam, non verebor Serenißimam Tuam Celſitudinem in alio quodam haud dißimili negotio eo audentius demiße compellare, præſertim cum Ipſamet in ſuis ad me Clementißimis literis benignißima ſua officia mihi ultro offerre dignetur. Eſt autem eiuſcemodi.

Cuperem quam maxime non ſaltem in Italia, ubi minor eſt quam hîc Sphæræ Mundanæ inclinatio, ſed et in Ægypto apud Alexandriam, ſiquidem ibi adhuc rectior eſt, nonnulla in Aſtrorum Obſervationibus, quæ hîc non ita patent, perficere. Quamobrem filium meum natu maiorem ex me ipſo denominatum, adoleſcentem 18 Annorum, quem inde ab ipſa pueritia ad hæc exercitia aßuefeci, adiuncto illi pro comite quodam ex meis ſtudioſis, qui uſque in tertium Annum in rebus Aſtronomicis factitandis fideliter et ſedulo mihi inſervivit, harumque non vulgarem peritiam ſibi interea comparavit, favente Divino Numine, inſtanti vere, vel quamprimum fieri poterit, ad S^{mam} Tuam Cel^{nem} in Hetruriam mittere, tradito illi uno vel altero Inſtrumento ex meis, quod portatile ſit (ſi modo id commode effici queat) unâ cum inſtructione, quomodo plura, prout opus fuerit, iſthic paranda ſint, et quænam ijs cœlitus denotanda. Daboque ſimul operam, ut is aliquos librorum meorum a S. T. Cel^{ne} clementißime deſideratorum ſecum adferat. Deinde ſtudioſus ille, relicto in S^{mæ} Tuæ Cel^{nis} Aulico ſervitio (modo S. T. Cel^{ni} ſic placuerit) filio meo, in Ægyptum navigabit, atque ea quæ iſthic ulterius obſervari poterunt, iuxta meam præſcriptionem pariter deſignabit. Qua in re Inclyta Venetiarum Reſpublica, quando aliquam eo navem ablegat, competentem promotionem (uti etiam ſpem aliqualem prædicto TENGNAGLIO, hac de re, dum ibi eßet, meo nomine ſolicitanti fecit) potißimum vero Tuæ Serenißimæ Celſitudinis authoritate et interceßione allecta, non eſt (uti ſpero) denegatura.
6r tura. || Si itaque S^{ma} Cel^{do} Tua filium meum unâ cum adiuncto ipſi comite, per annuum tempus aut circiter in Aula ſua apud ſe retinere, ſibique commendatum habere, pro ſingulari ſuo et Clementißimo erga me favore, non averſetur, quibus poßum precibus demiße oro, ut de ſua Clementißima hac in parte voluntate me per literas certiorem reddere non degravetur, aut etiam id Generoßißimo

et Magnificentißimo ſuo apud S^{am} Cæſ^{am} Ma^{tem} Legato, qui Pragæ eſt, ſignificare. Fecerit ſic Serenißima Celſitudo Tua non ſaltem mihi humillimo ſuo ſervitori, ad omnia obſequia pro virili præſtanda paratißimo, ſed et ipſi Cæſareæ Maieſtati, cui hæc ſtudia cordi ſunt, rem (uti non dubito) inprimis acceptam et Serenißimæ Tuæ Celſitudini (modo ipſius laudibus aliquid accedere poßit) glorioſam et apud omnem poſteritatem commendabilem.

Sed deſino Serenißimam Tuam Celſitudinem, gravißimis Ditionum ſuarum rebus gubernandis intentam, ulterius interpellare. Deus Opt. Max. eam quam diutißime ſoſpitem et florentem conſervet.

Dabantur ex Arce Cæſareanâ Benaticâ Die 24 Ianuarij An. 1600.

Serenißimæ Celſitudinis Veſtræ
humillimus ſervitor
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[E codice Baſileenſi G I 35] †

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO, 23r

DOMINO IOHANNI FRIDERICO HOFFMANNO, LIBERO BARONI IN *GRUENPUECHEL* ET *STRECHAW*, PRÆFECTO PROVINCIÆ DUCATUS STYRIÆ ET ARCHIDUCATUS AUSTRIÆ MARSCALCHO UBIQUE HÆREDITARIO BURGRAVIO IN *STEYER* NEC NON SAC. CÆS. MAIESTATIS AULÆ CONSILIARIO ET SERENISSIMI ARCHIDUCIS MAXIMILIANI CUBICULARIO PRIMARIO, DOMINO ET AMICO SUO INPRIMIS HONORANDO.

ILLUSTRIS ET GENEROSE VIR, DOMINE ET AMICE HONORANDISSIME. 22r



MAGNO equidem gaudio affectus ſum, cum heri veſperi ex meis Domeſticis huc Pragâ revertentibus percepißem Illuſtr. Generoſ. Tuam ex Auſtriâ nuper ſalvam et incolumem redijße. Quo nomine non ſaltem Illuſtri Generoſitati Tuæ, ſed et mihi ipſi quamplurimum congratulor, ſiquidem de Generoſitatis Tuæ erga me et ea, quæ tracto ſtudia Aſtronomica, ſincera et benevola affectione vel ex pauculo, quem ſuperiori æſtate invicem habuimus congreßu, ita mihi optima quæque polliceor, ut in tanti viri, qui non ſaltem Genere clarus ſit, ſed et doctrinis liberalibus inſigniter excultus, familiaritatem incidiße,

diße, non poſtremæ felicitatis loco ducam. Cumque nunc Pragam Nobilem et Eruditum adoleſcentem FRANCISCUM TENGNAGLIUM, mihi domeſticum, qui ante paucas hebdomadas ex Italia huc reverſus eſt, unâ cum filio meo natu maiore ex me denominato certis de caußis amandem, non potui intermittere, quin haſce pro felici reditu candido animo Illuſt. G. T. congratulantes unâ mitterem, atque ijs ſimul iniungerem, ut Tuam Illuſt. Generoſ. captata oportunitate accedentes eam ex me officioſißime ſalutarent. Pergratum vero eſt, quod Illuſtris Dominatio Tua Excellentem Mathematicum Dominum M. IOHANNEM KEPLERUM in ſuo Comitatu huc ad nos in Bohemiam ad-
22v duxerit, qua etiam in parte non obſcure elucet Illuſt. G. T. ‖ erga ſublimia illa et a vulgi captu remota Mathematum ſtudia eorumque alumnos ſingularis et nunquam ſatis laudatus favor atque benignitas ab omnibus hiſce excellentioribus Scientijs addictis merito ſemper deprædicanda. Interceßit mihi cum illo viro, poſtquam Daniâ emigravi, nonnulla per Litteras eademque pergrata familiaritas, quæ ex mutua præſentia, quam brevi futuram mihi perſuadeo, augeri poterit. Quicquid vero voluptatis et commodi ex hoc noſtro congreßu promanare poterit, Illuſtri Dominationi Tuæ præcipua ex parte acceptum ferendum grata mente agnoſco. Pluribus Illuſt. Generoſ. T. multiplicibus alias pariterque gravißimis occupationibus diſtentam remorari nolo. Cætera, quæ hîc omitto, ij, quos ablego, ſi Illuſt. Dom^{ni} Tuæ eos admittere commodum fuerit, ſupplebunt atque ex me referent; quibus ut benignam aurem pro ſolita ſua humanitate præbere non dedignetur, qua poßum reverentia, oro et obſecro. Valeat Tua Illuſt. Generoſitas quam felicißime et diutißime, huncque noviter inchoatum Annum Iubilæum plurimoſque alios inſequentes incolumis et florens tranſigat. Dabantur ex Arce Cæſariana Benatica die 26 Ianuarij Anni labentis Epochæ Chriſtianæ Dionyſiacæ 1600, quam duobus deficere IOSEPHUS SCALIGER probare nititur. Iterum et ſæpius T. Illuſt. Gen. quam optime valeat, meque et meos ſibi commendatos habeat. ‖

23r Illuſtri Generoſitati Tuæ
addictiß.
TYCHO BRAHE.

[E codice

[E codice Vindobonensi lat. 10702] ‡

CLARISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO 159v
DOMINO M. IOHANNI KEPLERO ILLUSTRIUM STYRIÆ ORDINUM MATHEMATICO EXIMIO, AMICO SUO PLURIMI FACIENDO.



REVERSI heri veſperi ſero ad me domeſtici illi mei, quos 158r Pragam miſeram, tuas, Ecc^{me} et amantißime Domine KEPLERE, ex inſperato attulere humanißimas literas, quibus lectis, te Pragæ nunc eße, perlubenter comperi. Invite tamen ex ijſdem colligebam, te necdum meas, quas ultimis Tuis affatim reſpondentes ante menſem circiter Viennam, ut inde per Dominum Doctorem BLOTIUM tibi, ubicunque invenireris, mitterentur, direxi. Quæ ſi interea tibi traditæ fuißent, hac reiterata proteſtatione et excuſatione in re iſta, quæ tot verba non meretur, ſuperſedißes, atque actutum citra diuturniorem deliberationem et cunctationem huc (ſiquidem in vicinia es) advolaßes. Quod ut etiamnum facias, te etiam atque etiam rogo. Poteris in eodem vehiculo comitari Nobilem et eruditum adoleſcentem FRANCISCUM TENGNAGLIUM domeſticum noſtrum, et filium meum TYCHONEM natu maiorem, quos Pragam ob negocia quædam peculiaria, meo nomine iſthic expedienda, nunc ablego. Illi enim intra paucos dies, volente Deo, huc revertentur, et locum pro te in curru facile invenient.

De meo iſthuc adventu necdum certi quid concludere poßum, antequam Cæſaream Maieſtatem Dominum noſtrum Clementißimum eo reverſum eße intellexero. Neque enim quid alias iſthic magnopere agam, habeo, nec libenter accedo, niſi a Cæſarea Maieſtate clementißime vocer: ſiquidem id citra temporis, cuius, tanquam theſauri irrecuperabilis, ſum parcißimus, aliqualem iacturam, et ſtudiorum, quæ præ manibus habeo, remoram fieri nequeat.

Explorandi etiam hiſce noctibus acronychij ſitus Martis et Iovis, tum quoque Mercurij, quem poſt occaſum Solis diſcrete apparentem ter proxime elapſis crepuſculis obſervavimus, tum quoque ad Venerem Eoam, quæ etiam nunc interdiu unâ cum Sole, adeoque in ipſo Meridiano exiſtens, ſpectatur, et obſervationi, prout aliquot quoque annis præteritis a nobis factum, patet, advertendum. || Taceo quod Saturnus 158v non longe a □ ⊙ mane iuxta Meridianum apparens, pro Parallaxi orbis (uti vocat COPERNICUS) et Latitudine ſua (ſiquidem appropinquet ad limitem maxime Boreum) rimanda, non inconvenientem exhibeat occaſionem, donec adventante Aprili plane pernox redditus, Apogæum et Eccentricitatem, unâque ipſam Latitudinem maximam,

prout

prout hæc a nobis iam antea explorata ſunt, comprobet. Accedit et hoc, quod in proxime futuro plenilunio Luna Eclipſin, licet minutulam, iuxta ipſum occaſum paulo ante ortum Solis patietur, cui etiam (ut prioribus ſedulo deſignatis adijci queat, atque reſtitutio motus Luminarium a nobis prius facta, ulterius examinari) attendendum, modo ſerenitas oportuna id permiſerit.

Vides itaque, mi KEPLERE, quot et quanta exercitia noſtra Aſtronomica ingerant obſtacula, nobis tamen haud ingrata (ſiquidem ijs diſtineri volupe eſt) quo minus Pragam tam cito, uti opinatus es, excurrere queam. Tuum itaque erit prævenire, meque hîc mature (uti dictum) inviſere. Advenies non tam hoſpes quam amicus gratißimus, noſtrarumque in cœleſtibus contemplationum, per ea quæ nunc ad manus habeo, inſtrumenta ſpectator et ſocius acceptißimus. Tunc, volente Numine, coram de pluribus. Vale et Illuſtrem ac Generoſum Dominum Baronem IOHANNEM FRIDERICUM HOFFMANNUM, cui etiam nonnulla congratulationis caußa pro felici reditu ſcripſi, ex me officioſißime reſaluta. Dabantur properanter ex arce Cæſareana Benatica die 26 Ianuarij 1600.

Tui Amantißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

† [E codice Basileensi G I 23]

38v DEM EDLEN VNND GESTRENGEN
HERRN TYCHO BRAHÆ, HERRN AUF KNUDTSTRUPP
VNND VRANIBURGKH, MEINEM SONNDERS-
LIEBEN HERRN VNNDT GUETTEN
FREUNDT.

37r S.


ITTERAS tuas, Vir nobilißime, quibus me tam ſplendide per egregios iuvenes, internunctios tuos, ſalutas, mei amore et commendatione plenas, imo in excultioribus meæ tenuitatis nimiam pæne laudem continentes, accepi, cum voluptate profecto, dubius tamen, tot inter gratulandi occaſiones palmam cui concederem. Ecce autem animi tandem occurrebat ſinceritas, omnibus alijs non immerito præferenda. Cætera, tanquam illius effectus et ſigna civilitati ac humanitati Tuæ adſcribens, pari, ſi non calamo, mentis tamen integritate et ſtudio compenſanda.

Quod D. FRANCISCI TENGNAGELIJ, familiaris tui, virtutem ac valorem, quem ipſa facies et mores exprimunt, etiam litterarum tuarum teſtimonio

teſtimonio apud me augere tibi placuerit, nil miror. Eſt tamen mihi quod gratulor et tibi, qui tantum Adoleſcentem cognoſcendum dederis, gratiam ut referam. Rationem conſilij eius de Bohemica hac ora tui procul dubio cauſa non tam brevi relinquenda plurimum etiam noſtro ex intereße approbamus et lætamur, ac ipſi et filio tuo quam valemus et habemus exilitatem in hac aula noſtram fideliter et cum libertate offero. ‖

Magiſtrum KEPLERUM, omni præconio maiorem, favoreque tuo 37ᵛ
et patrocinio multis rationibus dignum, tibi iam commendatum amplius nunc non commendo, ſed ipſum ſe ſpectandum et fruendum potius præmitto, apud te, mihi, ut ſpero, multarum rerum præconem et conciliatorem. Intermediatoris tamen quod officium ita amanter et benigne cum gratiarum actione ſuſceperis, ad me pertinet, Domine TYCHO, ac facis in eo, te certe ac humanitate tua, quin noſtra, ad te perpetuo amandum et colendum benevolentia haud indignum.

Addo idipſum, noſtri gratia quicquid porro acceßerit, id omne non tam ad cumulum tuorum in nos meritorum eße referendum, quam alta et grata memoria proſequendum. In ſpecie vero, quæ et ipſius KEPLERI ratione conferenda eßent aliqua, in occaſionem noſtri conventus differre cogimur, quem nobis efficiat Deus propediem, ut ſpero et opto. Vale ac reliqua ex ipſo KEPLERO et tuis.

Pragæ 3 Februarij A. D. 1600.

T. D. ex animo
IOHANNES FRIDERICUS HOFFMANN,
L. Baro.

[E codice Basileensi G I 35] †

TYCHO BRAHE AD PAULUM MELISSUM.

ILLUSTRIS ET MAGNIFICE VIR. 26ʳ



UM Vitebergæ aliquantiſper ſuperiore Anno ſubſiſterem, nactus ibi per Tabellarium quendam Danicum mittendi commoditatem, librum quendam e noſtris Mechanicam Aſtronomiæ partem complectentem tecum communicavi. An literas unâ adiunxerim, non ſatis recordor. Eram enim tunc (uti et plærunque alias) occupatißimus. At TAUBMANNUM Poëtam, amicum communem, meâ etiam de caußâ, ad te eodem tempore ſcripſiße, ſimulque Carmina nonnulla noſtram e Daniâ migrationem concernentia miſiße, ſatis memini. An vero hæc omnia tibi certo reddita ſint, fluxa Tabellarij iſtius fides me ancipitem reddit, præſertim cum nihil tanto intercedente tempore nec TAUBMANNUS nec ego a te reſponſi acceperimus, atque id, quod maxime

ambo

ambo in votis habuimus, nimirum ut tu, inter Poëtas huius ſeculi principem locum merito tenens, noſtram etiam Uraniam eiuſque peregrinationem argutâ et mellifluâ tuâ, quâ præpolles, venâ exornare non degravareris, necdum effectui, quantum ſciam, datum ſit. Nam ut de tuâ in me voluntate atque favore benigno quidpiam addubitem, eximia illa humanitas, quâ me adhuc in Daniâ hærentem, licet de facie ‖
26^{v} ignotum, ſubinde complexus es, vetat. Neque enim te ob loci aut fortunæ mutationem a te ipſo mutatum credi fas eſt, cum maior in te conſtantia, integritas et candor id non admittant. Nec etiam (ut dicam id quod res eſt) hæc vitæ alteratio, licet in hac ingraveſcente ætate magnâque familiæ copiâ durior cenſeri queat, mihi, qui rerum terreſtrium fluctuationibus et vicißitudinibus non moveor, multo minus infringor, quidpiam mali intulit. Locus meis ſtudijs aptior et clarior reſtitutus, fortuna, quoad ea, quæ vivendi commoditatem reſpiciunt et ſtatus dignitatem, priori non cedit; imô benignior ex Clementißimo Cæſaris favore ac liberalitate affulſit, ut aurum cum ære mihi commutaße videar, ſic dirigente et in melius omnia diſponente Divini numinis proviſu, utut nonnulli in Daniâ, qui Fata publica regere præſumunt, ab invidiâ et malevolentiâ pari inſcitiâ permixtâ occœcati, id non præviderint, maiore nunc eorum dolore et pœnitudine, licet dißimulent.

Cœterum ut illuſtris tua Muſa hanc noſtram vicißitudinem eleganti aliquo Poëmate decorare eique accinere non averſetur, et ego etiamnum rogo, et mecum prius TAUBMANNUS atque BRASCHIUS Poëtæ tui obſervantißimi rogârunt, prout me per literas hac de re cer-
27^{r} tiorem fecerunt. Quare te ‖ triplici huic voto ab Amicis te ſincere colentibus profecto non defuturum nobis pollicemur. Si ad Cæſ^{am} Ma^{tem} congratulationis et elogij nomine, quod Uraniæ noſtræ extorri atque in Daniâ naufragium paßæ tam clemens hoſpitium tutioremque portum indulſerit, venam dirigere malueris, erit id ipſius Ma^{ti} proculdubio non ingratum, cum et cœtera in mei gratiam concinnata Carmina ipſius Ma^{tas} perlegere, ſibique quod placerent reſervare non dedignata ſit. Mihi ſane hoc tuum in me ſtudium erit longe acceptißimum, quovis vicißim officio pro viribus compenſandum. Appoſui quoſdam alios verſus hac ipſâ de re, quos (uti opinor) prius non habuiſti. Adeſt ſimul D. D. CRAMERI Stetinenſis Oda (uti mihi quidem videtur) non inelegans, pariter ad Cæſ. Ma^{tem} directa. Ambit is per me lauream in Aulâ Cæſaris ſibi impertiendam, quâ ſi a te quoque dignus cenſebitur (quod vel ex hac ſolâ Odâ tanquam ex ungue leonem æſtimabis) eo facilius, quod cupit, aßequemur. Ego vero de ſingulis, potißimum ijs, quæ Carmina expetita attingunt, a te per primam quamque opportunitatem commonefieri aveo. Vale. Dabantur ex Arce Cæſareanâ Benaticâ 5 milliaribus Pragâ diſtante, quæ in-

 indigenarum

digenarum linguâ Venetiæ Bohemorum appellatur, die 17 Febr. ſt. n. Anni 1600.

Ex quo in Amplißimâ Heidelbergenſi Bibliothecâ multos veteres libros Aſtronomicos manuſcriptos extare perceperim, rem apprime gratam præſtiteris, ſi ut Titulos omnium eorum, in quâcunque ſint linguâ, actutum nanciſcar, effeceris.

[E codice Bononiensi Archivi *Malvezzi dei Medici*; cf. Io. Ant. Magini *Tabulæ Primi Mobilis* (Venetiis 1604) foll. 86—87] †

IOHANNES ANTONIUS MAGINUS AD TYCHONEM BRAHE.



UAS ad me literas 3° Ianuarij datas et mihi opera Clarißimi Domini IOANNIS FRANCISCI SAGREDI Patricij Veneti et amicißimi mei redditas accepi die 22 Februarij. Eæ mirum in modum, et quantum dici vix poteſt, gratæ fuere; ſed ijs reſpondere ſtatim non potui ob præmaturum tabellarij diſceßum; nactuſque otium integræ hebdomadis ad te pluribus quam umquam antea ſcribendum putavi. Tuum illud præcipuum negotium mihi tanta fiducia mandatum pro eo ac debeo curabo, nihilque prætermittam, quod ad dignitatem tuam pertinere videatur. Res eſt maximi ponderis, proinde haud negligenter tractanda, ſed conſideranda accuratißime. Huc uſque, ut fatear ingenue, ut etiam tu ipſe affirmas, non aliam tibi operam dedi, niſi ut vertendas Latine curarem epiſtolas illas Germanice ſcriptas, quæ ad octo ſunt, quod mihi præſtitit Germanus quidam medicinæ ſtudioſus, idque in gratiam Tranſylvani cuiuſdam mei auditoris: ubi diu laboraßem in inveniendo eius rei interprete, propterea quod nullum familiariter noßem eorum, qui Bononiæ ſunt e natione Germanica, qui perpauci ſunt. Ac certe tum domeſticis, tum ſcholaſticis et publicis et privatis negotijs, tum valetudine parum firma impeditus, (cum diſtillatione laborarim dies complures huiuſce hiemis culpa; quæ omnium quas umquam meminerim inclementißima huc uſque fuit ob nivium incredibilem vim omnia obſidentium, ut vix aliud agere, quam ad ignem pellendo frigori ſedere potuerim, libellum aliquem ibi incommode legendo) etſi maxime voluißem, non multum tamen in rebus Dominationis tuæ promovere potuißem. Sed deinceps miteſcente cælo, ſpero me non pœnitendam operam tibi navaturum. Primum etenim ex omnibus hiſce ſcriptis excerpam brevia aliquot capita et quaſi ſummam conficiam ad facile alios edocendos idoneam, cuius plura exempla ubi fecero, ad varios amicos tranſmittam.

Aßentior

Aßentior tibi de narratione rerum tuarum non in dialogo facienda ſed occaſione panegyrici. Sed venit mihi tamen in mentem quod rationi noſtræ multo ſit conducibilius atque aptius. Intelligo BERNARDINUM BALDUM Urbinatem Guaſtallæ Abbatem, qui olim edidit † HERONIS opus de machinis ſe movendis e Græco a ſe ipſo tranſlatum, multis abhinc annis provinciam ſuſcepiße ſcribendarum vitarum præſtantium Mathematicorum. Hominem quidem de facie non novi, ſed tamen ſcio, cum aliquando Bononia tranſiret, domum ad me veniße, ut me de facie noßet, ut mihi poſtea dictum, nam me non invenit. Ex hoc ſpero, ſi quid ab eo petam, tamquam a mei ſtudioſo, facile impetraturum. Itaque ſcribere ad eum cogito et cum eo agere, ut vitam tuam diligenter conſcribat, et ad me eius hiſtoriæ exemplum mittat: illud poſtea cum encomijs tui poëticis coniungere licebit, et qui encomia illa collegerit, idem ſibi ab illo eius hiſtoriæ copiam factam dicere poterit. Sed is tamen prius diligenter de omnibus rebus, quæ argumenti eius erunt, edocendus eſt. Ego quæcumque huc ſpectantia colligere potero, non prætermittam; ſed bimeſtre ſpatium puſillum eſt, quando ij, quorum opera indigemus, ſuas quoque habent occupationes, quibus diſtinentur. Hoc mihi in huiuſmodi negotio optimum conſilium videbatur: quod meum tamen iudicium tuæ prudentiæ permitto. ‖

1v Eclipſin Solarem anni 1598 inſtrumentis mathematicis non obſervavi, cum hîc præ manibus non haberem idoneum inſtrumentum. Horologio tamen ex pulvere, quod quadrantes horarum indicabat, accomodato ad horam exortus Solis, percepi eclipſin ipſam tardiorem fuiße hora pene una, quam prodat calculus Prutenicus, et eius magnitudo novem puncta non exceßit, quamvis expectaretur hîc maior obſcuratio. Hoc idem et Romæ et Patavij obſervatum fuit, ſcilicet tardiorem fuiße ad integram fere horam et minorem fuiße obſcurationem. Exemplar epiſtolæ Illuſtrißimi Cardinalis SS. QUATTUOR, nepotis felicis memoriæ INNOCENTIJ octavi Summi pontificis, in qua mihi de illa eclipſi, prout Romæ contingit, hiſtoriam narrat, ad te mitto, ut videas, ſi ex illa quidquam haurire potes, et ſi tibi bona occaſio de illo honorifice loqui patere poterit, mihi gratißimum erit; eſt enim patronus meus humanißimus, cui maxime debeo ob innumera beneficia in me collata. Nullas præteritis temporibus feci obſervationes ob varia impedimenta, cum ſemper integras epiſtolas conſcripſerim apud aliquos Cardinales et Principes, quando ſcilicet hîc erant a ſcholis vacationes. Quod tempus maxime huic negotio erat idoneum.

Laboravi non parum, ut perciperem tuam rationem ſupputandi Lunarem curſum ex quinternione mihi relicto a D. FRANCISCO TENGNALIO, a pag. 113 incipiente. Notandum vero quod hæc omnia, quæ de revolutionibus etc. uſque ad pag. 120, ſed non ſine magno labore

bore rem tandem aßequutus ſum, cum nullum extet exemplum dictæ computationis, et cum apud me non ſint, quæ de octavæ ſphæræ ac de Solis motu exaraſti, tamquam præcedentia hunc Lunarem motum. Unde pro habendo Solis motu ex tuis fundamentis confugi ad Ephemeridem tuam motus Solis ad annum 1591 mihi a te olim liberaliter communicatam, notavique in ea Solem attigiße locum Apogæi, nempe gr. 5. 32′ ♋ die 17 Iunij, h. 13,44 p. m., hîcque nulla eſt differentia inter verum motum et medium: excerpſi deinde motum Solis medium ex meis tabulis congruentem dicto temporis momento ‖ et inveni quidem 2r ipſum ſcr. 2′ 52″ minorem, dempta prius a loco ⊙ tuo æquinoctiorum præceßione, quam gr. 28 17′ 42″ tunc te præſuppoſuiße arbitratus fui. Quocirca mihi videtur his temporibus poße elicere medium Solis motum ex meis tabulis addendo eidem 2′ 52″, ut cum tuis radicibus concordet. Poſthæc varia ratione ſupputavi locum ☾ ex tuis tabulis, idque † ad diem 9 Ianuarij anni 1587 atque etiam ad 15^{m} et 16^{m} eiuſdem, quibus obſervaſti verum ☾ locum per inſtrumenta, ut recenſes pag. 56 tuarum Epiſtolarum aſtronomicarum, cuius libri reliquit mihi folium D. GELLIUS tuus a pag. 49 uſque ad 56. At veram ſupputationis ☾ formam ſecundum tua placita non recte prius cognovi, quam confugißem ad triangulorum operationes, quibus certior factus fui, te æquationes illas exactißime colligere non curaße, facturum poſtea id meliori occaſione, ſcilicet in tuo Theatro abſolutißimo, cum ex angulo maximæ 2^{i} epicicli æquationis gr. 7 41′ 15″ a te per obſervationes deprehenſo colligatur recta AD a centro Terræ ad centrum primi circelli par. 98677 qualium DE datur 1100. Sed ex angulo minimæ æquationis perigeæ elicitur recta AD 101312. Forſan lato modo pro dictis æquationibus definiendis ſumpſiſti dictam rectam AD tanquam ſinum integrum, quod etiam mihi confirmat variatio centri maxima a te poſita m. 45′ 20″, cum recta AB ſemidimetiens ſcilicet parvi circelli ad mundi centrum ſit 1320, qui numerus ſinus eſt m. 45′ 20″ vel 45′ 24″. Experiri volui, quantam efficeret varietatem ſemidiameter CD parvi circelli, ſuper quo moveri ſtatuis centrum primi epicicli, et inveni angulum maximæ æquationis primi epicicli gr. 7 27′ 43″, centro primi epicicli verſante in Apogæo parvi illius circelli, ſtatuendo ſcilicet rectam AD particularum 101640 iuxta tuos numeros. Idem angulus maximæ æquationis in Perigæo illiuſmet circelli prodit gr. 7 30′ 35″; different. a priore m. 2′ 52″. Sed uterque horum angulorum ſenſibili differentia ab angulo maximæ æquationis a te definito gr. 7. 41¼ diſcrepat, ut ſuſpicer commenſurationes orbium Lunarium a te poſitas aliqua correctione indigere, præſertim quod videam etiam calculum ex tuis tabulis prodeuntem ad unguem tuiſmet obſervationibus non congruere, quod in bonam accipias partem velim, tanquam a ſincero et ingenuo viro ‖ prodiens, 2v

qui

qui zelotypia tui honoris laborat. Ab initio variationem orbis non ſolum ſubducebam a medio motu ☾ a Sole, vel eidem addebam iuxta tabulam, ſed etiam a medio argumento vel anomalia: ſed poſtea ex calculo triangulorum cognovi te æquationem anomaliæ ex duplici illa variatione, quam argumentum medium ſubit, compoſuiße, quod mihi valde placuit. Suppoſitio hæc tua Lunaris mirum arguit tuum ingenium et præſtantiam: ſed maxime præcavendum eſt, ne numeri ex ipſa derivantes ab obſervationibus vitio tuorum ſupputatorum diſcrepent. Non me latet magnum ac permoleſtum eße laborem in ſupputandis hiſce æquationum tabulis. Ego tamen, cum compendia quædam mira in computationibus triangulorum poßideam a me nuper excogitata, exiguam perſentirem moleſtiam in his tabulis de novo ad 2ª ſcrupula exactißime conſtruendis. Quod libenter tibi ſignificare volui, ut ſi mea opera poſthac indigueris, libere poßis uti, præſertim pro reliquis quinque planetis, quorum unamquamque tabulam in decem diebus perfecte abſolverem. Quod tibi incredibile videri non debet. Tabulam enim primi mobilis univerſalem habeo a me ad ſingula decem minuta (ad inſtar illius REGIOMONTANI, quæ eſt ad ſingulos gradus) ſupputatam, et alias inſuper tabulas, quibus calculationes triangulorum ſphæricorum per ingreßus laterales abſolvo. Et in planis triangulis quando anguli inquirendi ſunt, eademmet tabula utor artificio quodam a me invento, quod etiam locum habet in triangulo obliquangulo, in quo, datis duobus lateribus cum angulo ab ijs comprehenſo, inquirendi veniunt anguli, qua operatione indigemus tantopere in æquationibus planetarum definiendis.

Scias profecto me adeo tui eße ſtudioſum et obſervantißimum, ut nihil aliud cogitem, quam ut tibi me gratum probem. Quin et hoc te non latere volo, tantopere mihi eße in optatis, ut me adhuc vivo prodeat in lucem correctio cæleſtium motuum, ut nulli parcendum labori exiſtimem, quo id aßequi liceret, etſi nihil ex eo ad gloriam profici putem, ſed ſatis habeam fructum illum, ut ſcilicet mihi tantum uſui ſint in exercenda Aſtrologia iudiciaria vulgo dicta, qua mirum in modum delector. ‖

87ʳ Ephemeridum mearum unum tantum tomum ab anno 1598 incipientem et in annum 1610 deſinentem denuo impreßum evulgavi, in quem nihil novi repoſui, præter auctuaria quædam in Iſagogicis, cum compendio directionum ſecundum viam rationalem, et Quadrante Directorio ad mentem PTOLEMÆI. Exemplar ad te libenter mitterem, ſi congrua mihi eßet occaſio; æſtate hac proxima alter tomus, viginti ſequentes annos complectens, excudetur; et tunc enixe curabo, ut ad te utriuſque tomi Exemplar deferatur.

Vidi nuper quæ contra me inutiliter effutivit DAVID ORIGANUS in

in editione ſuarum Ephemeridum, et exactißime cognovi illum unum eße ex illis, qui ex inſectandis et cenſurandis alijs gloriam ſibi quærere conantur; ſed pœnitebit aliquando ſe de me quicquam protulißе, ubi oſtendero ipſum gravius in ſuis Ephemeridibus a calculo Prutenico aberraße, quam a me factum ſit, præſertim in poſtremis illis annis, ultra ſcilicet 1620, cum meas ibi deſinentes Ephemerides non habuerit præ oculis, quod maximo argumento erit, et aperte ſatis demonſtrabit, ipſum plurima ex meis deſumpſiße. Pro emerſionibus et occultationibus Planetarum ac Fixarum mutuavi arcus viſionum a PTOLEMÆO † definitos, quos parum a vero recedere in fixis puto, ſed in Planetis credo cum STADIO eße varios, penes differentiam ipſorum Planetarum a Terra. Si quid notatu dignum ex tuiſmet obſervationibus circa hoſce arcus habes, illud mihi humanißime communicare ne graveris; quod te ſubnixe oro ac deprecor: polliceor enim ingenue, quidquid illud erit, a te recepiße teſtaturum. Vale, vir præclarißime, et me, ut ſoles, ama ac addictißimum habe. Bononia 4 Martij MDC.

Perilluſtri Dominationi
tuæ addictißimus
IO. ANTONIUS MAGINUS,
Patavinus.

[E codice Basileensi G I 35] †

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO, 31v

DOMINO IOHANNI FRIDERICO HOFFMANNO, LIBERO BARONI IN *GRUENPUECHEL* ET *STRECHAU*, PRÆFECTO PROVINCIÆ DUCATUS STYRIÆ ET ARCHIDUCATUS AUSTRIÆ, MARSCHALCHO UTROBIQUE HÆREDITARIO, BURGRAVIO IN *STEYER* NEC NON SAC. CÆS. MAI. AULÆ CONSILIARIO ET SERENISSIMI ARCHIDUCIS MAXIMILIANI CUBICULARIO PRIMARIO, DOMINO ET AMICO SUO INPRIMIS HONORANDO.

ILLUSTRIS ET GENEROSE VIR, DOMINE ET AMICE HONORANDISSIME. 30r



QUOD Ill^{ris} Dn^{o} tua Nobilem et Eruditißimum Adoleſcentem FRANCISCUM TENGNAGLIUM et filium meum TYCHONEM non ſolum adeo comiter et benevole exceperit (neque enim Ill^{ris} Dn^{is} tuæ eximiam humanitatem ſibi exhibitam huc reverſi ſatis deprædicare poterant) ſed et cultißimis ſuis literis ſincerâ erga me benevolentiâ

benevolentiâ refertißimis mihi reſcribere non degravata ſit, pro eo Ill^{ri} Dn^{i} tuæ gratias ago quas poßum maximas: ſi quâ in re mea opella illi unquam uſui eße poßit, quam lubentißime pro virili relaturus.

Quæ M. KEPLERUS (cuius ingenium et conſuetudo mihi perplacent, ut dignum eum cenſeam, qui ametur et ad optima quæque promoveatur) oretenus ad me retulit, percepi. Et quantum ad primum attinet, de ſtudioſo illo hîc alendo et informando, actutum reſpondi, me non ſaltem in hoc, ſed longe maioribus Ill^{ri} Dn^{i} tuæ pro meo modulo gratificaturum: alterum ſatis prævidi confici non poße, prius quam expreßum ab Aulâ Cæſareâ decretum in Cameram mitteretur; quod iam conſcriptum eße intellexi. At ubi hæreat, me latet. Quia vero a dicto TENGNAGLIO cognovi, quod, cum ante quatriduum Brandeiſium conceßißet, ut cum Domino Capitaneo quædam meo nomine loqueretur, eumque illic non repertum Pragæ quæſivißet, Ill^{rem} quoque Dn^{nem} tuam pauculis alloquutus ſit, quodque conſilium illud de KEPLERO atque illo alio, cum illud Ill^{ri} Dn^{i} tuæ paucis exponeret, ‖
30^{v} eidem placuerit, deque eo ipſamet mecum ulterius loqui velit, dabo operam, ut quamprimum nonnulla, quæ pro Cæſareâ Ma^{te}, Domino noſtro Clementißimo, elaboro, confecta fuerint (nam prius hinc abire vix auſim) aßumpto mecum M. KEPLERO Pragam excurram, quo apud Ill^{rem} Dn^{nem} tuam hac de re, prout ea ſuaſerit, deliberemus et certi aliquid ſtatuamus. Neque enim ipſe KEPLERUS Ill^{ri} Dn^{one} tuâ inconſultâ quicquam concludere voluit. Quod et ego probo, ſiquidem abſque eiuſdem conſenſu et ſuaſu nihil nobis faciendum cenſeam. Intellexi quidem quodammodo, nonnullas difficultates ſeſe inſinuare, quibus tamen (uti ſpero) ex Ill^{ris} Dn^{is} tuæ prudenti proviſu facile occurremus, ijſque medelam adhibebimus. Quare omnia circa hoc negocium, donec cum Ill^{ri} Dn^{e} tuâ præſentes de eo egerimus, differenda arbitramur.

Quæ de Mechanico illo Artifice ab Ill^{ri} Dn^{ne} tuâ accerſendo antedictus TENGNAGLIUS pariter mihi expoſuit, cognitu grata erant. Si eum Ill^{ris} Dn^{o} tua, ubi acceßerit, ad me (uti conſtituit) amandârit, efficiam, ut in Inſtrumentis ad obſervationes ratas idoneo modo fabricandis componendiſque inſtructior ad ipſam redeat. Excogitavi iam nuper quoddam ad varios uſus minimo negocio conducens, quodque ſimul per longinqua itinera commodum ſit portatu: idque eam præ-
31^{r} ſertim ob cauſam, ‖ quam TENGNAGLIUS noſter Ill^{ri} Dn^{i} tuæ ſecreto aperiet. Præbebit et hoc circuli Sextantem, et non ſaltem Altitudines et Siderum diſtantias etiam ultra ſextam Cœli partem uſque in Quadrantem, imo etiam eo ampliores, quoad intercapedines, ſolerter et ſatis ſubtiliter rimabitur, atque inſuper longitudines ac latitudines Planetarum per totum Zodiacum minimo labore et abſque tædioſâ ſupputatione;

putatione; tum quoque adſcenſiones rectas et declinationes Stellarum non longe ab Æquatore utrinque dißitarum promet. Quin et, quod plus eſt, earundem a Meridiano Æquatorias diſtantias pro temporis momento inter obſervandum perquirendo et ſubinde examinando ſuppeditabit: ut de alijs quibuſdam minoribus utilitatibus nihil addam. Ubi vero artifex ille advenerit, illi ſtructuram eius proponam, et ſi confectioni abſolvendæ idoneus (uti exiſtimo) fuerit, cum Ill^{ri} tuâ Dn^{ne} id, quicquid eſt, lubens communicabo, atque ſuccinctum et multiplicem eius uſum eidem reſerabo. Plura nunc non addo, ne Ill^{rem} Dn^{em} tuam nimium remorer. Si quæ hîc deſiderantur, a TENGNAGLIO uberius, ſi vacârit, percipiet. Valeat itaque Ill^{ris} Dn^{o} tua quam optime et diutißime. Dabantur ex Arce Cæſareanâ Benaticâ die 6 Martij A. 1600.

[E codice Basileensi G I 35] †

TYCHO BRAHE AD ANONYMUM.

NOBILISSIME ET MAGNIFICE VIR, 32^{r}
DOMINE ET AMICE
HONORANDE.



ETSI tam propriâ notitiâ quam relatu familiaris mei DANIELIS FELS, qui aliquandiu Pilſnæ apud vos ſubſtitit, ſatis exploratam habeo molem occupationum Mag. tuæ, quæ parum illi temporis legendis et ſcribendis epiſtolis relinquit: non eße tamen illi ingratas meas literas, tanto confidentius mihi perſuadeo, quanto minus, urgentibus rebus, a ſcribendo abſtinere poßum.

Mitto ad Mag. tuam Nobilem et egregie doctum Iuvenem FRANCISCUM TENGNAGL, quo de iam antea, cum Pragæ eßem, cum Mag^{a} tua locutus ſum, quod nonnulla mihi negotia, quæ M. tuæ recenſebam, apud Reverendißimum et Serenißimum Archiepiſcopum et Electorem Colonienſem expediverit. Fuit is primum in Dania meus aliquandiu domeſticus, inde meæ migrationis comes in Germaniam. Cum Latinam et Gallicam linguam calleret, Italiam etiam adivit, eamque linguam primum in aula Magni Ducis Hetruriæ, poſtea Romæ in aula R. Cardinalis a *Dietrichſtein* probe addidicit. Nuper vero inde reverſus in animum induxit primo patriam, quæ eſt in extremis Weſtphaliæ finibus, [et] parentes ſuos inviſere, poſt, ubi huc, favente Numine, redierit, ‖ S. Cæſ. M^{ti}, Domino noſtro clementißimo, ſi Maieſtas 32^{v}
eius hac ipſum clementiâ dignata fuerit, in miniſterijs aulicis, quibuſcunque eidem uſui eße poßit, operam fidelißimam ſubiectißime offerre. Eſt in eo, præter ſingularem doctrinam ſtudiorumque cum politicorum tum

tum philoſophicorum cognitionem, virtutis amor, morum integritas et gratia: quod facile M. tua deprehendet, ubi notitiam eius qualemcumque ceperit. Rogo itaque M. tuam quam officioſißime, uti ſibi hunc iuvenem admodum commendatum habeat, conſilioque et interceßione ſuâ ad optima quæque promoveat. Commiſi præterea illi paucula quædam de meis negocijs nondum omnino expeditis, quæ M. tuæ, quando commodum erit, vel in memoriam revocet, vel a me ſignificet. Quæ M. tuæ ad ea reſpondere placuerit, huic concredat, ſi non per ipſum, quem an hac viâ remeaturus ſit, incertus ſum, tum per antedictum DANIELEM, quem unâ mitto, ad me referenda. Valeat M^{a} tua quam diutißime et felicißime. Dabantur ex Arce Cæſareanâ Benaticâ die 6 Martij 1600.

Mag^{æ} Tuæ ſtudioſiß.
TYCHO BRAHE.

† [E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD RUDOLPHUM CORRADUCIUM.

33^{r} ILLUSTRIS ET MAGNIFICE VIR, DOMINE ET AMICE OBSERVANDISSIME.

QUANTUM me ſollicitum habuit vagus quidam rumor de adverſâ Ill^{ris} Dn^{is} tuæ valetudine, tanto maiori gaudio ſum affectus, poſtquam eam ſalvam et incolumem e longinquo et difficili itinere Italico, legatione perfunctam amplißimâ, in Bohemiam reverſam accepi. Quo nomine Deo Opt. maximo gratias ago, eumque precor, ut in poſterum quoque D^{em} T^{am} incolumem ac florentem Reip. et literis reſervet. Non dubito, quin iam antea D^{o} T^{a} ex alijs cognoverit, quomodo Clementißimæ voluntati S^{æ} Cæſ^{æ} Ma^{tis}, quam per literas mihi, † cum adhuc Witebergæ ſubſiſterem, D^{o} T^{a}, priuſquam in Italiam iret, ſignificavit, ſuperiori Iulio (ſiquidem remoræ quædam inopinatæ id prius non permiſerint) ſubiectißime paruerim, et poſtquam huc in Bohemiam veni, in S^{æ} Cæſ^{æ} Ma^{tis} clientelam benignißime ſim receptus. Quare huius rei prolixiori commemoratione apud D^{em} T^{am} alias occupatißimam ſuperſedeo.

Id potius agam, ut Ill^{rem} D^{em} T^{am} debitâ cum reverentiâ obnixe rogem, ut in eâ benevolentiâ, quâ me nihil tale antea promeritum ſic complexa eſt, ut S^{æ} Cæſ^{æ} Ma^{ti} (quod et ultro facturam confido) me commendare meaque ſtudia promovere non ſit degravata (quamobrem etiam gratias ago quas poßum maximas, et acturus ſum, quoad vixero) in eâ, inquam, benevolentiâ in poſterum quoque perſiſtat, meque, ſi-

33 cubi

cubi fuerit opus, auxilio conſilioque adiuvet. Nam licet de Cæſ^{æ} Ma^{tis}, cuius Clementißimum erga me favorem ratis indicijs expertus ſum, in me perſeveranter fovendo conſtantiâ, quâ alias Heroice prædita eſt, nullatenus addubitem, cum tamen ego hîc peregrinus habear, et inſtituto vitæ, ſtudiorum ratione, non minus quam locorum intervallo ab Aulâ veſtrâ ſim remotus: facile prævideo, quam multa incidere poßint, quæ ab Ill^{ri} D^{e} Tuâ, prudentiâ, rerum uſu, authoritate, dignitate inprimis pollente, longe melius, || quam per me ipſum caveri, et, 33^{v} prout res poſtulârit, emendari queant. Neque enim poßum mihi omninô polliceri, tutiorem me hîc fore, quam antea in Daniâ, ab invidorum morſibus, eorumque, qui ſiniſtre de ijs, quæ tracto, ſtudijs loquentur et ſentient, oblocutionibus. Etenim ſi iſthic, ubi radices altius et firmius egeram, ac Conſanguineorum, qui in præcipuâ dignitate ibidem conſtituti, non exiguâ manu ſtipatus et munitus eram, hoc tamen inertiæ et invidiæ virus amoliri non ita dabatur, quin hæc mea ſtudia faſtidiret et non ubique obvios plurimorum Annorum labores irritos reddere tentaret, aut (quod potius elegi) me meamque domum univerſam in peregrinas oras cum magnâ rei, maiori temporis irrecuperabilis iacturâ importunitate ſuâ migrare faceret: quanto igitur magis huic communi omnium, qui præter vulgarem conſuetudinem aliquid arduum exantlare ſatagunt, fortunæ iam hîc in exteris locis expoſitus ero, nullâ familiæ avitæ potentiâ fultus, niſi mihi Deus Opt. max. de fidis, candidis, Dominationiſque Tuæ ſimilibus Amicis et fautoribus proſpexerit, qui, aut quâ dexteritate cavendi, aut quâ lenitate conſopiendi, aut quo animo excipiendi ſint, ſi qui erunt eiuſcemodi adverſarij occulti vel aperti, oportune nôrint. Quod ut D^{o} T^{a} tantâ promptitudine faciat, quantum ipſi eſt ad id faciendum facultatis, atque ut hoc, quod molior, Aſtronomicum exercitium, huc in honorem Cæſaris et Imperij a Tuâ inter primos D^{ne} tranſlatum, tutari etiam et promovere non deſinat, id equidem rogarem illam operoſius, niſi mihi de præclarißimâ et ſpontaneâ eiuſdem voluntate iam antea liquido conſtaret. Quæ brevitatis caußâ hîc omiſi, quodque ea calamus non facile ſuſtineret, illa D^{o} Tua, ubi vacaverit, oretenus audiet ab exhibitore harum, Nobili et Erudito Iuvene FRANCISCO TENGNAGEL, meo domeſtico, nuper ex Italiâ ad me redeunte, quem Ill^{rem} D^{em} Tuam iam antea Romæ proculdubio vidiße exiſtimo. Qui cum || D^{i} T^{æ}, cuius eſt obſer- 34^{r} vantißimus, conditiones ſuas, et quid maxime optet, exponere cupiat, eius caußâ D^{em} Tuam etiam atque etiam quam officioſißime rogo, uti pariter et illum ſuâ benevolentiâ complectatur et ad optima quæque promoveat. Quicquid in ipſum beneficij contulerit, id veluti mihi quoque præſtitum perpetuo gratâ mente agnoſcam.

Valeat Ill^{ris} Dn^{o} tua quam diutißime et felicißime, et hanc meam in

ſcribendo

ſcribendo audaciam ac prolixitatem pro ſuo candore ſincere interpretetur. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ 8 Martij 1600.

Ill^{ri} D^{oi} Tuæ deditiß.
TYCHO BRAHE.

Mitto per prædictum TENGNAGLIUM duos libros ex meis unâ cum Globo quodam Cœleſti ad reſtitutionem ſtellarum a me factam accurate elaboratum. Quæ ut Ill^{ris} D^{o} Tua hac vice, donec plura in hoc ſtudiorum genere ad colophonem, volente Numine, diduxero, boni conſulat, reverenter oro.

† [E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD ANONYMUM.

35^{r} NOBILISSIME ET EXCELLENTISSIME VIR, DOMINE ET AMICE OBSERVANDISSIME.



UOD tam amanter Dn^{o} V^{a}, quo tempore Wandeſburgi adhuc in Holſatiâ hærebam, humanißimis et pariter doctißimis ſuis literis me prævenire voluerit, tanto gratius id mihi accidit, quanto Clarißimorum et Præſtantißimorum virorum amicitias cœterorum familiaritati ſemper præferendas duxi. Quod vero prius ijs a me reſponſum non ſit, D^{o} V^{a} non meæ, quæ nulla ad Amicis par pari referendum eße ſolet, negligentiæ, ſed locorum intervallo, peregrinationibus meis continuis, et quod vix ulla interim ad Ser^{mam} eius Cel^{nem} ſcribendi certa occaſio hucuſque ſeſe obtulerit, tribuet. Quam nunc per Nobilem et Eruditum Iuvenem FRANCISCUM TENGNAGEL nactus, qui apud vos prius erat et nuper ex Italia reverſus iter iſtuc in Patriam parat, et Ser^{mam} eius Cel^{nem}, ſi ullo modo ob viarum et prædonum graßantium pericula licuerit, humillime compellare animum induxit, has gratitudinis erga ſe meæ teſtes exarare volui, etiam atque etiam rogans, ut D^{o} V^{a} negocia illa, quæ Ser^{mæ} eius Cel^{ni} dictus TENGNAGLIUS oretenus (ſi eam ſubmiße accedere contigerit) vel literis expoſiturus eſt, authoritate et interceßione ſuâ promovere non gravetur. Quæ ipſemet (ubi, uti ſpes eſt, acceßerit) TENGNAGLIUS clare et ſeorſim inſinuare poterit, quo reſponſum mature nanciſcar. Fecerit D. V. mihi hac in parte rem inprimis acceptam, et quibuſvis, quæ a me proficiſci unquam poterunt, officijs vicißim pro virili compenſandam. Valeat Dn^{o} V^{a} quam felicißime. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ die 8 Martij 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

GENEROSO, MAGNIFICO ET NOBILI VIRO, 36v
DOMINO I. BONGARSIO, SERENISSIMI ET POTENTISSIMI GALLIARUM REGIS APUD GERMANIÆ PRINCIPES LEGATO DIGNISSIMO, AMICO SUO VETERI ET INPRIMIS HONORANDO.

MAGNIFICE ET NOBILISSIME VIR. 36r



TSI ſub finem ſuperioris Anni per Magiſtrum quendam natione Danum, Conſobrinum meum, CLAUDIUM BILLEUM, in Gallias comitantem et Francofurtum (uti ſtatuerat) tranſeuntem, ad te literas dederim, ac de quibuſdam negocijs commonefecerim, cum tamen hic Nobilis et Eruditus Iuvenis FRANCISCUS TENGNAGLIUS, meus domeſticus meæque e Dania emigrationis Comes, ex Italiâ nuper ad me reverſus ad Nundinas Francofurtenſes ire cogitet, ut inde in Comitatu mercatorum tutius Patriam ſuam, quæ eſt in extremæ Weſtphaliæ finibus, accedere atque Parentes inviſere queat, poſtmodum, favente Numine, huc reverſurus: non intermittendum duxi, quin unâ cum eodem (qui rerum mearum apprime gnarus eſt, eaſque plenius ad te referre poterit) denuo ſcriberem. Nec tamen ea, quæ de Privilegio a Ser^{mo} et Potentiſsimo Galliarum Rege impetrando, deque debito Optimæ memoriæ DANZÆI nobis ſolvendo tunc temporis rogavi, iterum pluribus inculcare lubet, cum de tuâ erga me voluntate tam in his quam alijs nihil addubitem, et prædictus TENGNAGLIUS hæc ipſa oretenus promptius expoſiturus ſit. Id ſaltem te hac vice officioſe rogatum cuperem, ut de quâdam aliâ re, quam is ſecreto tuæ fidei ex me committet, quid fieri poſse vel ſecus exiſtimaveris, diſpicias, quo is tam de hac quam cœteris, ubi ſe huc receperit, || mihi referre queat. Quem 36v
etiam, prout amicitiâ non indignum experieris, ut tuâ benevolentiâ complectaris, quæſo. Plura non addo. Neque etiam calamus omnia tuto ſuſtinet. Sed is inſtar vivæ Epiſtolæ omnia rectius expediet. Vale. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ die 9 Martij 1600.

M^{æ} Tuæ ſtudioſiſs.
TYCHO BRAHE.

[E codice

† [E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD ANONYMUM.

37r GENEROSE AC MAGNIFICE VIR, DOMINE ET AMICE INPRIMIS HONORANDE.

CUM hic Nobilis et Eruditus Adoleſcens FRANCISCUS TENGNAGLIUS, quem tua M^{a} iam antea novit, nuper ex Italiâ huc in Bohemiam ad me reverſus, in Patriam ſuam Parentum inviſendorum gratiâ nunc cogitet, et in itinere aut reditu Ser^{mum} Electorem Colonienſem, Dominum noſtrum Clementißimum, denuo humillime accedere, niſi nimia viarum pericula id vetent, omninô conſtituerit: idcirco vacuum meis ad M^{am} tuam literis venire non ſum paßus, ex quo M^{æ} tuæ erga me humanißima officia gratâ mente etiamnum recolam, et perpetuo eorundem meminerim, paria relaturus, ſi vires ſufficiant, aut occaſio ulla ſeſe exhibeat. Licet vero quæ ad M^{am} tuam perſcribam, præter ea, quæ is commodius et tutius oretenus exponet, non habeam, tamen M^{am} tuam hiſce officioſißime ſalutare volui, utque dictum TENGNAGLIUM ſibi quam commendatißimum habeat, et utriuſque noſtrûm negotia apud Ser^{mum} Principem, prout antea quoque perlubenter et benevole præſtitit, promovere atque expeditionem maturam impetrare non gravetur. Cumque idem TENGNAGLIUS ||
37v inſtar vivæ Epiſtolæ futurus ſit, et tam me quam ſe ipſum concernentia M^{æ} tuæ plene et ſecreto indicaturus, ulteriore ſcriptione ſuperſedeo, ac per eundem, quam primum fieri poßit, favente Numine, ad me revertentem reſponſum expecto. Deus opt. max. M^{am} tuam Reip. et bonis literis quam diutißime proſperam et incolumem ſervet. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ, quam nunc unâ cum meis inhabito, die 9 Martij 1600.

M^{æ} tuæ ſtudioſiß.
TYCHO BRAHE.

[Ex apographo in codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

159r NOBILISSIMO VIRO TYCHONI BRAHE

IOSEPHUS SCALIGER IULIJ CÆSARIS F. S.

QUONAM fato meo accidiße dicam, Vir nobilißime, ut qui amicis meis diligentiam, ſtudium et officium meum omnibus in rebus, omni tempore probare paratus ſim, non ſolum omnibus modis, quibus id præſtare poßim, deſtituar, ſed omnia penitus adverſa mihi experiar?
† Ecce ex quo literas tuas accepi, quas Witebergâ diſcedens

dens ad me dediſti, nunquam conquievi, quin de te et tuarum rerum ſtatu ſolicite quæſiverim. Nam poſtremæ tuæ, quæ mihi omnem ſcrupulum eximere debebant, eæ vero incertiorem me tuarum rerum reddiderunt. Nanque ex illis neque quando conſtiteris neque ubi lares poſueris, colligere potui. Nunquam tamen ab eo tempore deſtiti percontandi de te, præſertim quum quidam te in Sileſia eße et ibi ſedem fortunarum tuarum ſtatuiße, tam conſtanter affirmarent, ut ſoli tua negotia ſcire et curare viderentur. Quamdiu M. CHRISTIANUS Danus, vir optimus et tui ſtudioſißimus, hîc fuit, aliqua ſpes relinquebatur aut meas literas ad te tuto dandi, aut tuas eliciendi. Sed ille prius diſceßit, quam poſtremas tuas acciperem. Nunc eæ, quas hodie accepi, centum triginta diebus poſtquam datæ ſunt, omnino bearunt me, quod me omni cura de te, quæ me anxium habebat, liberarunt, quum hactenus penderem animo, quo terrarum meas ad te mitterem, qui ubi conſiſteres neſciebam. Quanquam vero virtus tua et eruditio eximia non ſinit te latere, neque tuas res ignorari, tamen tanta eſt locorum intercapedo, quæ te a nobis dividit, ut quod de Sole neceßarium eſt, eum prius apud Eoas nationes, quam Heſperias oriri, id omnino tibi conveniat, cuius lucem nobis ſerius ſentire continget quam ijs, qui te fruuntur hoſpite et a te præſente hauriunt, quod nos ipſis, ne quid dißimulem, invidemus.

Quanta vero lætitia iſtæ poſtremæ nos perfuderint, uno verbo non dixerim. Hoc unum credas velim, nihil mihi gratius eße potuiße, quam tibi otium contigiße, quod et tuis ſtudijs et dignitati tuæ convenientißimum eßet. Hoc enim unum ſemper ſpirarunt vota mea. Felicem te, mi TYCHO, qui non ſolum univerſam Europam teſtem eruditionis tuæ, ſed etiam Cæſarem fautorem, adiutorem, et, quod cœlum ipſum invidere poßit, ſtudiorum ſocium nactus ſis. Patriam, quam natales dederant, deſeruiſti, ut eam, quam doctrina tua meruit, adipiſcereris. Regem ſuum Danis Natura dedit: uni Dano TYCHONI virtus Imperatorem adoptavit. Ab altero te abeße dolendum erat, niſi maiorem, in quo vota tua conquieſcerent, haberes. Te vero, magne amice, per ius amicitiæ noſtræ oro, ut me de ſtatu, inſtituto et ratione rerum tuarum frequentius certiorem facias, ne qua in poſterum mihi de te dubitatio relinquatur. Nam quæ videri poßet ceßatio aut negligentia in officio literarum, ea potius fuerit ignoratio ſtatus rerum tuarum.

Multa vero erant, de quibus te convenire per literas vellem, ſiquidem per properantiam iſtius liceret, qui mihi tuas reddidit: qui, ut ad tuas ſtatim reſponderem, a me exegit, et ita in ipſo articulo oppreßit, ut vix ſpatium reliquerit his exarandis. || Diatribam enim meam de 159v
præceßione æquinoctiorum et confutatione motus octavæ ſphæræ ad te mittere cogito, in qua et innumera veterum teſtimonia a nemine

hactenus

hactenus animadverſa ſtudioſe collegimus, et ſtellam illam, quam Polarem vocant, ante mille nongentos ſexaginta ſex annos in eo loco hæſiße, ubi hodie eſt, quinque luculentis vetuſtißimorum ſcriptorum † teſtimonijs demonſtramus. Præterea tot ἀτοπήματα et abſurditates, quæ ex illa hypotheſi motus octavæ ſphæræ ſequuntur, adducimus, ut nemo ſit niſi imperitus aut invidus, qui contra hiſcere audeat. Addo etiam, quod hactenus omnes latuit, præceßionem æquinoctiorum a THALETE uſque et ANAXIMANDRO ad HIPPARCHUM admißam fuiße, primumque omnium HIPPARCHUM eam reieciße, inducto ſphæræ octavæ motu in conſequentia, adeo ut contra fidem oculorum extremam in cauda Cynoſuræ ſive Polarem, ut vulgus vocat, eße omnium ſeptem, quæ in aſteriſmo illo ſunt, auſtralißimam prodiderit, quæ tamen fuit ante illum, et eſt hodie, eritque ſemper borealißima omnium. En quo poſteritatem perduxit tanti viri autoritas. Nam ab illo uſque hactenus vos ita creditis, et non alia re quam quod αὐτὸς ἔφα, quod in Matheſi nunquam locum habere debet. Nulli hominum generi hodie magis nocuit antiquitatis imperitia quam nationi Aſtrologorum. Nihil magis mirari mihi ſuccurrit, quam nemini Aſtrologo de vitio illius hypotheſeos ſuboluiße, neque quot et quanta abſurda ex illa propagari neceße ſit, ſi unum excipias COPERNICUM, qui et præceßionem æquinoctiorum et obliquitatem circuli æquinoctialis animadvertit, ſed ignoratione rerum vetuſtarum ad abſurdas hypotheſes confugit. Sane regularem et æquabilem Solis maximæ declinationis decreſcentiam ab unica anticipatione æquinoctiorum pendere neceße eſt, quod a nobis optime demonſtratum eſt. Aliter non poteſt, niſi per falſas hypotheſes. Hinc ſequitur polum mundi alium eße a polo æquinoctialis, et lineas meridianas moveri, neque in eadem ſede ſemper hærere. Id nos egregie ex veteribus ſcriptoribus demonſtramus. Denique tota diſputatio eſt hiſtoria mathematica, prius teſtimonijs ab ultima memoria petitis collecta, deinde geometrice demonſtrata. Ea adhuc in litura eſt. Quum per occupationes licebit in mundo deſcribere, mittam ad te. Unum totam rem tranſigit, ſi ſtella polaris ſemper eidem loco hæſit, nullum locum eße pertinaciæ: omnia neceßario, quæ dixi, conſequi debere, atque adeo nullum eße motum octavæ ſphæræ.

Quod de nobili viro GEORGIO HERWARTO ab HOENBURG ſcribis, is iam dudum mihi de literis ſuis ad me notus eſt. Sed de ſtella Veneris quod ſcribit, videndum ne illi falſum aliquod Chronicon impoſuerit homini eruditißimo, ſed pro illo munere, quod gerit, occupatißimo, ut illi meliores auctores conſulere non licuerit. Nam ut taceam abſurditatem, quis, amabo, eſt iſte Romanus Poëta ſine prænomine et nomine? Anno quarto ante Chriſtum natum hoc accidiße unde habet? 160r Quis veterum hoc prodidit? ‖ Nam nullus eorum quidem, qui hodie ſuperſunt,

ſuperſunt, eius meminit, et quidem pauci ſuperſunt, qui meminiße potuerint, OVIDIUS et MANILIUS, et neſcio an alius præterea. Nam HORATIUS anno quinto ante primum Dionyſiacum Chriſti obijt. Et PROPERTIUS nihil tale. Denique decepit hominem eruditum aut memoria aut ſcriptor malæ fidei.

De ALBATEGNIO utinam tibi ſatiſfacere poßem. Tantum abeſt, ut exemplar Arabicum nanciſci poßim, ut ne Latini quidem copia mihi ſit impræſentia. Equidem mihi conſtat multa apud illum auctorem partim obſcure, partim imperite reddita, quæ fidelius et lucidius explicari poterant. Mitto tibi MANILIUM noſtrum, quem per otium ut tibi liceat legere, opto. Nam ex eius gemmis poteritis aliquando aſtrologiæ veſtræ emblemata inſtruere. Nullus ſcriptorum neque apud Græcos neque apud Latinos tam male acceptus fuit, vel a mendis, vel a traiectionibus, vel ab ignoratione priſcæ Aſtrologiæ.

Tuas literas rectius Auguſtam Vindelicorum mittere poßis ad nobiliß. virum MARCUM VELSERUM, patritium et Reip. Auguſtanæ Septemvirum. Is Amſtelradamum recte curabit eas. Nam profecto via Hamburgenſis longinquior eſt: niſi aliter tibi videtur; hoc enim arbitrij tui facio. Tantum opto, ut literæ tuæ non ſolum tuto mihi, ſed etiam cito reddantur. Vale unice Aſtronomiæ vindex. Lugduni Batavorum VI Eid. Martias, ſtylo novo CIↃ IↃ C.

Nondum mihi diatribam tuam ad literas nobiliß. GEORGIJ HERWARTI niſi obiter legere contigit, quia ſtatim a lectione tuarum literarum me ad has conſcribendas contuli. Nunc ſedulo omnia legam. Iterum vale.

[E codice Basileensi G I 23] †

ILLUSTRI ET GENEROSO VIRO, DOMINO 50v
TYCHONI BRAHE, ASTRONOMORUM NOSTRI SECULI PRINCIPI, DOMINO ET PATRONO DILECTISSIMO.

S. P. D. 50r

LLUSTRIS et Generoſe Domine TYCHO, patrone obſervandißime, ex litteris, quas proxime per M. CHRISTIANUM miſi, Generoſitati Veſtræ innoteſcere potuit, quo in ſtatu ſint res Tranſylvani, qui ad Generoſitatem Veſtram excurrerat. Petijt is interim aliquoties a me, ut eum apud Generoſitatem Veſtram humiliter excuſarem. Idoneum alium nullum poßum exquirere, ut ut percuperem. Forſan autem in viciniâ veſtrâ aliquis oblatus eſt.

Benedictus ſit Dominus Deus noſter, qui iam tandem Angelo percutienti iuga Bohemica ex miſericordiâ ſuâ frenum iniecit. Is clemen-

tißime

tißime Halcyonia et aërem ſaluberrimum unâ cum longâ vitâ Generoſitati Veſtræ concedat, ut in emolumentum publicorum ſtudiorum et ad gloriam nominis divini omnia illa, quæ feliciter cœpit, ad exoptatißimum finem perducere poßit. Speramus etiam rabiem Theologicam interim ibi nonnihil deferbuiße. Etſi vero nihil ſcriptione magnopere dignum nunc temporis habebam, tamen D. D. IESSENIUM, communem amicum noſtrum, tanquam planetam ab Eclipticâ Witebergenſi nunc iterum in latitudinem meridionalem Bohemicam excurrentem, ſine aliquibus meis ad Generoſitatem Veſtram pervenire nolui. Commendo Generoſitatem Veſtram cum omnibus eidem addictis divinæ † protectioni fideliter. Witebergæ dominicâ Lætare, non ſecundum Lilianos, ſed ſecundum Iulianos faſtos, licet nunc concurrant in paucis, anno Chriſti 1600, quem tamen præter IOSEPHUM SCALIGERUM etiam BARTHOLOMEUS SCULTETUS 1601 eße comprobat.

G. V. ſtudioſiß.
WOLFG. FRANZIUS.

† [E codice Basileensi G I 23]

49ᵛ

MAGNIFICO ET NOBILISSIMO VIRO
DOMINO TYCHONI BRAHE, UNICO STUDIORUM MATHEMATICORUM HUIUS SECULI RESTAURATORI, CÆSA .... DOMINO ET AMICO SIC .... LENTER OBSERVANDO.

48ʳ

S.



ARDIUS mihi redditæ ſunt literæ tuæ X Ianuarij ſcriptæ, Magnifice Domine TYCHO, Vir præſtantißime: tardius etiam ad illas reſcribo, partim propter adverſam meam valetudinem (conflictor enim cum febri tertiana, quæ me graviter adhuc affligit) partim etiam quia Typographus non potuit citius de voluntate ſua reſpondere, quam eßet edoctus ab ijs, cum quibus egit de papyro ſive charta. Dici autem non poteſt, quam gratæ fuerint literæ tuæ, e quibus libentißime cognovi de ſede fortunarum, vel potius ſtudiorum, hoc tempore tibi aßignata ab Auguſtißimo Cæſare. Deum precor toto pectore, ut hæc omnia tibi velit eße ſecundißima, atque tuos laudatißimos conatus provehat ad optatißimum finem in tota Republica Chriſtiana.

Doctor FISCHERUS agit tibi reverenter gratias, quod eum dignaris tua benevolentia, cui ſeſe totum addit et commendat: forte non indignus, quem complectaris, præſertim ubi melius hominem noße cœperis.

Ad libros Wittichianos quod attinet, ſcire te volo, eo ipſo tempore, quo huc allatæ fuerunt literæ tuæ, ſororem PAULI WITTICHIJ iam ætate provectam celebraße nuptias ſecundas, quarum hic fuit exitus, ut nova nupta poſt LX dies moreretur. Filium unicum reliquit hæredem, cui nondum conſtituti ſunt certi tutores: quod ubi factum fuerit, videbo, an et quid cum illis agi poßit. Fuißet mihi res facilior, ſi ipſa Wittichiana vixißet diutius: videbo tamen, quid fieri et impetrari queat. ‖ Audio ab ijs, qui ſuperſtite adhuc ſorore PAULI WITTICHIJ inſpex- 48v erunt libros Wittichianos: illi aiunt, omnia eße varie confuſa et diſtracta tanquam Sybillæ folia, nec miror. Erat mulier illa prorſus mirifica et ſuo ſenſu abundans.

Quod ad alterum illum Mathematicum attinet, qui ante aliquot annos hîc vixit, ſi non eſt moleſtum, hortor te, ut epiſtolam non magnam ſcribere velis ad Medicum huius urbis fortißimum et doctißimum Doctorem DANIELEM BUCRETIUM. Ei ſunt noti hæredes, quos reliquit ille Mathematicus, et ſcio eum tui tam amantem et obſervantem atque ſtudioſum eße, ut moturus ſit omnem lapidem, et operam daturus, quantam poterit maximam, ut deſiderio tuo ſatiſfiat, quantum fieri omnino poterit.

Quod ad negocium typographicum attinet, egi cum noſtro, quem habet hæc civitas, typographo, et ei ſignificavi, quid de ipſo ſcire velis. Is reſpondet ſcripto peculiari, quod mitto, et ſimul curavit fieri probam, ut nominant, typorum ſuorum. Tu hæc, mi Domine, leges et cogitabis, et quæ ſit tua voluntas, nobis ſignificabis. Ego, ſi quid hac in re facere potero, quod tibi gratum ſit, aut uſibus tuis ſerviat, faciam hoc ſumma voluntate.

Si quid ad me ſcribere voles, fac per certos homines mittas Pragam ad Dn. SIMONEM LUCK, *Regiſtrator vnd Taxator Ihrer Kay. Mt. bey der Hoffcammer*. Is quicquid acceperit, bona fide ad me curabit. Pro verſibus nunc mißis, quos ad priora carmina aggregavi, magnas ago gratias. ‖ Si plane perducta eſt ad finem editio operis illius tui, 49r quod aliquando vidi, ſed adhuc mancum et mutilum, cui titulus TYCHONIS BR. Dani Aſtronomiæ inſtaurandæ progymnaſmata volumen primum Uraniburgi 1592: peto a te magnopere, ut exemplum Bibliothecæ meæ donare velis, ſicut etiam feciſti (quo nomine adhuc magnas tibi gratias ago) cum volumen primum Epiſtolarum Aſtron. ad me miſiſti. Mea officia et ſtudia paratißima tibi ſemper conſtabunt pro viribus.

Non licet nunc plura propter febrim, quæ licet nonnihil per Dei gratiam remittat; tamen, nondum adhuc receptis viribus priſtinis, admodum langueo. Ille me ſanabit, qui me percußit, qui idem eſt vita † noſtra, et longitudo dierum noſtrorum: in quo etiam ſumus, vivimus,

et

et movemur. Oro te, vir præſtantißime, ut veniam d[are velis] epiſtolæ ſic ſcriptæ, ut facile agnoſcatur author eius f . . . .

Bene et feliciter vale in Domino Deo noſtro, a quo tibi ex animo precor omnes felicitates et quæcunque animus tuus poteſt, iuxta illius divinam voluntatem, optare.

Datæ ſubito XIIIJ Martij 1600.

T. M.
omni ſtudio et obſervantia
unice colens et amans
IACOB MONAW.

† [E codice Basileensi G I 23]

44ᵛ

ILLUSTRI ET PRÆSTANTISSIMO VIRO
TYCHONI BRAHE, IMPERATORIS RUDOLPHI II ASTRONOMO, AMICO S. S. IN AULA IMPERATORIS VEL BENATICA
5 MEILEN VON PRAG.

43ʳ 

ÆPIUS de te mihi percontanti, BRAHEE nobilißime, nihil certi potuit ſignificari a gentili tuo, qui heic commoratur ſtudiorum gratiâ. Nam ſeſe intellexiße aiebat, fore ut in Galliam te penetrares, niſi res tuæ in aulâ Cæſareâ optatißimum ſortirentur exitum. Nunc autem vehementer gaudeo, Uranien tuam repperiße locum ſpeculationi commodißimum, idque beneficio munificentißimi Imperatoris RUDOLPHI II. TAUBMANNUS et BRASCHIUS, Poëtæ laureati, me ſubmonuerant de quibuſdam carminibus in Tychen tuam componendis, quæ nunc cum hiſce litteris accipies, et cum reliquis amicorum lucubrationibus, ſi placuerint, coniunges. Antea quoque a DAVIDE CHYTRÆO v. cl. reddita mihi fuerant exempla nonnulla epiſtolarum inter te et cancellarium Danicum commutatarum, ex quibus ſtatum (vel potius ruinam) rerum tuarum, cum etiamnum in patriâ degeres, plus ſatis intellexi. Ea CHYTRÆO remiſi, ita illo volente.

43ᵛ De exemp-||lari Aſtronomiæ inſtauratæ, in quo plurimæ coloribus depictæ machinæ viſuntur, magnas tibi et ago et habeo gratias: ut et de faſciculo elegantißimorum carminum unâ coniunctorum, quæ ſanê libenter legi: ſed tamen vehementer indolui, rem eo perveniße, ut ſponte exilium ſuſciperes: quod nihilominus tibi ex animi ſententiâ ſucceßit, fruituro meliore commoditate quam ipſâ in patriâ. Nuper fui adſiduus in manuſcriptis quibuſdam codicibus, ut viderem, nunquid reperirem antiqui de lapide illo Philoſophico, ad quem inveniendum tot labores hactenus fruſtra deſudavere. Inveſtigabo etiam, ſi forte quid ad nos

 pervenerit

pervenerit a veteribus de rebus Aſtronomicis. Hoc enim te maximê expetere video. Faſciculo, quem TAUBMANNUS iußu tuo ad me tranſmiſerat, epiſtola tua non fuit addita. Hanc unicam nuperrimê abs te exaratam a Dano quodam nobili accepi, cui vicißim hanc meam concredidi. Rectê fecißes, ſi Pragæ mihi quempiam nominaßes, cui faſciculum committerem, tibi porro tranſmittendum. Amicus illic eſt mihi ſummus WENCESLAUS LAVINIUS ab OTTENFELDO, medicus excellentißimus, cum quo Lutetiæ familiarißimê vixi; ‖ ubi tum 44r ſimul erat illuſtris Baro CAROLUS a ZEROTINO Moravus; Norimbergæ autem eſt CÆSAR CALANDRINUS, vir ornatißimus, quem adhuc vivere arbitror. Hic litteris tranſmittendis operam nobis ſuam haudquaquam denegaturus erit.

Scripſi hæc feſtinabundus, cum Oda quæpiam ZEROTINO Baroni inſcripta ad prelum adornanda eßet. Tu bene vale et me ama.

Dat. Haidelbergæ die V. Martij veteris, anno MDC.

P. MELISSUS.

CRAMERUM vellem in Senarijs ſuis obſervare quarto loco Iambum, qui etiam in ſecundo requiritur neceßario. Corriget igitur, ubicumque ſpondeus poſitus eſt, ſi vult imitari HORATIUM et SENECAM in Trag. Produxit ſyllabam *no* in *Pannoniæ* et *ge* corripuit in *Indulge*. Et hoc limandum. †

[E codice Basileensi G I 23] †

NOBILISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO VIRO, DOMINO TYCHONI DE BRAHE, EQUITI ET DOMINO IN KNUDSDORP, SOLLERTISSIMO ASTRONOMIÆ INSTAURATORI ASTRONOMORUMQUE NOSTRI SECULI PRIMARIO, IN ARCE CÆSAREA BENATICA IAM |AGENTE, DOMINO SUO DEBITÆ OBSERVANTIÆ STUDIJS COLENDO. 52v

S. P. D. 51r



UANTO me gaudio affecerint litteræ MONAVIJ mei, Vir magnifice atque excellentißime, Domine et amice obſervande, vix queo dicere. Non enim ſolum te veniam mihi dare nunciabant, qui ignotus ad tantum virum meas mittere auſus fueram, ſed et eas tibi gratas fuiße, meque in amicorum tuorum numerum abs te ſuſceptum eße, ac memoriam mei animo tuo ſervare, quemadmodum tuis ad ipſum litteris ſis atteſtatus. Gratias itaque tibi ago, quas mente meâ concipere

cipere poßum maximas, pro tantâ tuâ humanitate tantâque in me benevolentiâ, et tam benignâ tamque amicâ ad amicitiam tui admißione. Amavi equidem te et colui, ſuſpexi, miratuſque ſum iampridem tacito quodam ſenſu, qui nunc lubens ſe promit, magiſque aſpirat ad tam ſuavem iucundamque tuæ benevolentiæ auram. Merentur id virtus tua, ingenium, eruditio, experientia, dignitas, maieſtas, quibus me velut adamantino vinculo nexuiſti, quod nulla vis laxabit aut dißolvet umquam, nulla, crede mihi, obſcuratura eſt oblivio, donec

† *Lumine ademto animam moribundo corpore fundam.*

Quod tibi hîc non ſcriptum, ſed veluti per ſyngrapham ſponſum volo.

Rogavi, opera tua a typographo ut mihi comparares tuo, quæcunque abs te edita, debitoque precio me illa perſoluturum dixi. Vidi apud nonnullos quædam, non omnia, quod non ad nos perferantur a Bibliopolis noſtris, quo divina huius ſcientiæ ſtudia precio nunc apud pleroſque ſint, non male perſpicientibus. Ea quantopere deſiderem, nequeo ſcribere. Age ergo, Vir magnifice, domine et amice obſervande, ut tuâ
51v operâ || ab illo ea impetrem, et quamprimum Pragam ad ERNESTUM HEINCIUM, Cameræ Cæſareæ Regiſtratorem et Expeditorem, coniugis meæ fratrem germanum, vel Vratiſlaviam ad MONAVIUM mitte, nec me, quod callidæ amantes ſolent, diu deſiderio iſto torque. Precium, quod volet ille, ſtatim numerabitur. Velim addi Inſtrumentorum tuorum delineationem, quam nuper mihi oſtendit Medicus D. BARTHOLOMÆUS SWALBIUS, intimus meus, qui et verſus meos tibi gratos fuiße narrabat, ſed a te recoctos ad ſalivam et guſtum tuum, quod gaudeo; tamen me tanto viro placuiße, ſummæ laudi duco. Verum, pace tuâ, paucis mentem meam explicabo. Senſus meus eſt, te errores aſtrorum motuſque dißipatos, quales fuere hactenus, ſingulari arte et mirâ induſtriâ in ordinem redegiße certiorem, Deumque tibi uni, quem eruditio et virtus in ſublime vexerunt, quod antehac paucis particulatim conceßit, nunc divite et pleno Cornu plenâque manu, quaſi nimis tantarum opum largum profuſorem, ſuggerere, ut quem-
† admodum Sibylla paucis contingere dicit apud MARONEM, ut ex Orco ad ſuperas revertantur, et ijs tantum,

quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus:

ita etiam tu ſolus repertus ſis, cui digne iſta contigerint ante omnes, teque merito nunc, quæ tam large accepiſti, largâ manu quoque poſteris
† largiri debere. Particulam *Cœlitus* pro *In*, vel *Sub Cœlo,* ſemper ego de loco cum omnibus autoribus intellexi, et obſcuriorem mihi reddere
52r videtur ſenſum, quam ſi legatur: *aſtra ſub cœli gemino axe.* || Sed ignoſce,

ignoſce, per Deum te oro, excellentißime domine, quod tam libere hæc ſcribo. Tibi enim manum do, tuo iudicio acquieſco, tuæ cenſuræ ſubſcribo, teque valere et aſtronomiæ ſtabulum, Herculeis tuis laboribus, abs te magis magiſque expurgari cupio,

Quæque opto, rata ſint, faxit rex ætheris alti,
Ingeniumque tibi, vires, vitamque miniſtret.

Vigore animum nervoſque robore impleat.

Vale ergo, Vir excellentißime, domine et amice, perpetuis debitæ obſervantiæ ſtudijs a me colende. Dabam Suidnicij Sileſiorum XIIX die Martij anno epochæ Chriſtianorum MDC.

Excell. atque dignitatis tuæ
obſervantißimus
TOBIAS FISCHERUS,
Philoſ. et Med. Doctor,
manu propria.

Editi ſunt a MERCATORE anno 1541 Lovanij duo globi, Cœleſtis et terrenus, quos ego ipſe meis manibus nuper reduxi. Nunciatum autem mihi eſt, paucis abhinc annis eoſdem correctiores editos eße Coloniæ, et formâ adhuc maiore, nec in alia loca chartas iſtas divulgari. Peramanter itaque etiam atque etiam te oro, num vera hæc ſint, et an non a typographis illis comparari, ſi non per me, per aliquem excellentis autoritatis virum queant, ſignifica.

D. ERNESTUS HENCIUS affinis meus ſingulis hebdomadibus ad me ſuas poteſt mittere litteras.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

IOHANNES IESSENIUS A IESSEN AD
TYCHONEM BRAHE.

S. P. 1r



UDIUS tertius, Nobilißime Domine TYCHO, Witebergâ ante octiduum profectus, Pelſenam veni, acturus ſenis mei patris caußam diuturnam atque difficilem, quam peracturum me etiam et felicius et citius ex eo ſperaram, quod apud Cæſaream Maieſt. Illuſtriß. Princeps, Saxoniæ Adminiſtrator, Dominus meus Clementiß. pro me literis diligenter interceßerit. Sed uti ſolent lento gradu abſolvi omnia, ita quoque ex his præludijs aliquantulum tardius negotium meum confecturum ſuſpicor, præſertim cum aula diſtracta incommoditates

commoditates et moras plurimas inijciat, nihilominus urgeo, inſto, ad tædium etiam et moleſtiam illorum, apud quos mihi ſollicitandum negotium. Capio tamen et ex his remoris nonnullam voluptatem, cum a pluribus Cæſaris Conſiliarijs non tantum benevole admittor, ſed ultro etiam accerſor. Ad quos, quæ inter te et me eſt amicitia, tam facilem mihi parat aditum, quamprimum enim tui mentionem facio, illico in ſingularem quendam blandorem ipſorum vultum mutari ſentio; habeſque tu certe plures, qui te hîc abſentem venerantur, quam alij in os laudatores, aut adulatores potius. Atque inter alia unum iſtud ſaltem brevitatis caußâ habe.

Nuper cum Dominum GYPHANIUM I. C. celeberrimum et Imperij Aulicum Conſiliarium antehâc mihi etiam notum compellarem, inter cætera colloquia tui quoque (quem tamen de facie nunquam vidit) honorificam fecit mentionem, mihi recitans, quid a Magnifico Domino
1v CORRADUCIO Imperij || Procancellario ipſi non ita pridem memoratum: nimirum Cæſaream Maieſtatem Dominum CORRADUCIUM ex Italicâ Legatione reverſum interrogaße, num is Romæ et alibi iſtic aliquid de TYCHONIS BRAHEI in has oras adventu inaudierit; cui cum reſpondißet, omnino id ſe tam Romæ quam alibi percepiße, mox perrexiße Imperatorem, quid ſibi et alijs de hac re videretur. Tum CORRADUCIUM libere reſpondiße: Eſt Vir TYCHO BRAHE, cui in Aſtronomicis diſciplinis nec hoc neque priora ſecula aſpexere parem, vixque poſteriora habitura ſimilem. Unde gratulari ſe, non tam ſibi, qui ex ipſius Cæſareæ Maieſt. mandato illum huc vocarit, ſed longe potius Suæ Sacræ Cæſar. Maieſt. de adepto hoc tanto Viro, cuius induſtria et laboribus vulgaria excedentibus et ipſa Cæſarea Maieſtas apud omnes poſteros Nominis ſui decus et Famam auctura ſit indelebili memoria; quibus dictis Cæſarem et ipſum annuiße, virumque hunc apprime ſibi placere charumque addidiße. Hæc clarißimus ille GYPHANIUS maximo cum applauſu mihi tum recitavit, ſuoque addito ſuffragio confirmavit, teque ipſius nomine plurimum ſalvere iußit, avide tuum expectans, ubi Pragæ conveneritis, alloquium. Sed plura, cum de his, tum de alijs, ubi V. D. convenerimus, quod propediem ſpero futurum, quandoquidem Cæſaream Maieſtatem mox peracto Paſchate Pragam cogitare conſtanter aßeritur. Vale, et quod te non
2r prius inviſerim, || feſtinationi meæ, ſiquidem parentis cauſam laborare animadverterem, imputa, excuſatumque habe. Dabantur Pilſene 24. Martij Anno 1600.

Tuæ Generoſitati addictißimus
IOHANNES IESSENIUS A IESSEN,
Ducum Saxoniæ Med. et Profeßor Witeb.

Conſentire hoc cum originali meo fateor ego Doctor IESSENIUS m. pr.

[Ex

[Ex apographo Kepleri in codice Vindobonensi lat. 10703] †

FRANCISCUS TENGNAGLIUS AD
TYCHONEM BRAHE.

.... Heſternâ veſperâ Domino CORADUCIO adfui in cœnâ poſt me- 130^{r}
diam noctem uſque, et iam primo diluculo mihi abeundum. Doleo itaque, quod colloquia varia noſtra non poßum de varijs rebus habita recenſere. Heri poſt meridiem Cæſaream Ma^{tem} Dominus CORADUCIUS convenit, ‖ memoralia principalia de Feudo, de ædificijs Be- 130^{v}
naticenſibus, de KEPLERO, de negocio Alexandrino apud Venetos promovendo expoſuit. Quibus omnibus Cæſarea Ma^{tas} clementißime annuit, prout latius ipſemet CORADUCIUS ad M^{am} T. perſcripturus eſt. Negocij Alexandrini cauſas a Domino CORADUCIO quæſitas ipſius Ma^{ti} is humilime expoſuit. De prædio in mandatis habet, ut ſevere ad Dominum Capitaneum Brandeiſenſem perſcribat. Etiamſi MOLLERUS advenerit, nihiloſecius conſentire in petitionem de KEPLERO et cum ipſo ad eum ire per primam oportunitatem. De his omnibus fuſius CORADUCIUS ....

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD NICOLAUM
CRAGIUM.

S. P. 73^{r}



REDDIDIT mihi filius TYCHO, ſtatim poſt huius Anni initia huc ad me domum reverſus, literas tuas, Excellentißime et Amantißime Domine Doctor NICOLAE KRAGIE, quæ mihi gratißimæ erant, utut circa initia expoſtulationem meam, ob diutinam literarum intermißionem, gravius quam forte decuit, ferre videaris, et Amici in iocando libertatem nonnihil perſtringere, quaſi veterem tuum TYCHONEM, licet ſic amicos nonnunquam alloqui ſoleat, candide tamen de ijs ſentire et conſtantem eße non noveris. Ago autem tibi gratias, quod meos emißarios tam benevole exceperis atque tractâris: noluißem tamen, ut meâ de caußâ eos ſumptus faceres: ſi quid vicißim in tui gratiam a me præſtari poterit, inveniar huius etiam unâ cum cœteris beneficij memor.

De ſtatu rerum mearum, cum ex ijs, quæ ad teipſum, tum etiam ROSÆKRANTZIUM noſtrum perſcripſi, et inſuper filij relatione luculenter iam antea cognoviſti, nolo hîc quidpiam repetere, quodque conditiones a S^{a} C^{a} M^{te} Clementißime mihi oblatæ et deputatæ vobis ita placuerint, ut te et tuam ELISAM non mediocri affecerint gaudio, gratum

gratum habeo. Creſcit (ſit Deo gratia) indies erga me Cæſaris beni-
gnißimus favor, tum quoque eorum, qui ei ſunt ab intimis atque hîc
authoritate prævalent, licet apud quoſdam moroſulos non abſit in-
vidia, virtutis, uti fit, umbra. Cæſar per ſemeſtre Pragæ non fuit, ſed in
civitate quadam munita, quæ 10 milliaribus inde removetur, Pilſena
73^{v} dicta, cum præcipuis ſuis conſiliarijs interea moratus eſt, || idque ob
luem Epidemicam, quæ totam Bohemiam et vicina loca graviter præ-
cedente Anno uſque in ſolſtitium hybernum infeſtavit, quâ etiam de
caußâ ego unâ cum meis in non modico fui diſcrimine, peſte et dyßen-
teriâ tam in vicina urbe quam toto territorio Benatico atrociter ſævi-
ente. Quo nomine S^{a} Cæſarea Ma^{tas} proprio motu, Clementißimo
animo, imo quaſi Paterno quodam affectu erga me et meos non parum
fuit ſollicita, adeo ut aliquoties huc mitteret expiſcatum, quomodo
valeremus, et ſponte obtulit copiam alio tranſeundi et pericula decli-
nandi, ſi ſic mihi placuißet, nominatim vero Viennam Auſtriæ indigi-
tavit, ſiquidem ea urbs contagionis expers erat, et commoditates opor-
tunas, tam quoad habitationem, quam cœtera neceßaria ſe iſthic per
ſuos mihi ordinaturam, modo eo proficiſci luberet, Clementißime ob-
tulit. At ego, actis humillime gratijs, me potius hîc manere et omnia
Divinæ proviſioni committere atque meis exercitijs vacare velle re-
74^{r} ſpondi. Quod etiam ipſius Ma^{ti} non diſplicuit. || Et antidota, quæ intel-
lexerat me contra iſtos morbos efficacia in promptu habere, unâ cum
præparationis ratione expetijt, quæ et ſubiectißime communicavi. Se-
ceßi vero tandem, formidini mearum muliercularum (uti fert ſexus
iſte) indulgens, in aliam quandam Arcem Cæſaream 3 milliaribus
hinc diſtantem (ſiquidem mihi liberum erat, quamcunque in viciniâ
vellem, inhabitare) ubi, interea dum mei in Daniâ abſunt, per aliquot
hebdomadas non incommode manſi. Ago autem Deo opt. max. gratias,
quod me et meos omnes, toto eo periculoſo tempore, ſalvos et incolu-
mes ſervârit. Spes eſt Cæſ^{am} Ma^{tem} ſtatim a Paſchatis feſto Pragam
redituram, prout plurimi avide deſiderant. Cum nuper ibi fuißem, re-
ſcivi a multis, quod et pariter in itinere a Capitaneo Brandeiſenſi meo
vicino cognoveram, non ſaltem cives et mercatores, ſed et præcipuos
quoſque mihi tribuere, quod Cæſar tam diu Pragâ abſit, tanquam is hac
in re ex meo penderet conſilio, quodque acceßum ante finem Martij
74^{v} dißuaſerim, nec patuit || excuſationi locus, licet id ſerio inficiatus ſim:
† *Saaledis er mig nu her kommen for ordt.* Hinc talia ſuſpicantur,
quod nonnunquam ipſius Ma^{ti} de quibuſdam, ipſâ ſic cupiente, ſcribere
ſoleam, nec liceat conſiliarijs, uti alias mos eſt, literas meas reſignare.
Inſtrumenta mea, quæ in Dania reliqui, avecta eße, et unâ cum
cœteris nunc in fundo Teuthonico conſervari, Cæſarea Ma^{tas} libenter
intellexit, eidemque gratum fuit, quod nullas hac in re iſthic moverint
difficultates,

difficultates, alias Regi veſtro hoc nomine ſcriptura. Dedit autem literas || tam ad Hamburgenſes quam Magdeburgenſes, ut quæcunque [75r] apud eos repoſita habeo, unâ cum reliquâ meâ ſupellectile ſuis ſumptibus in gratiam ipſius Ma^{tis} huc per Albim advehi faciant, cumque in prioribus literis ſubterfugium quoddam aſtute invenißent Magdæburgenſes, denuo alteras miſit, quæ priores dilucidius exponerent, cumque ijs acceptis ad me reſcriberent, ut eos hac in re apud Cæſaream Ma^{tem} excuſatos haberem, ſiquidem durities obſidionis, quam olim paßi ſunt, eos adhuc ita premeret, ut abſque ſuo incommodo ijs ſumptibus ferendis non eßent pares: quod cum a Domino BARVITIO ſupremo Secretario intellexißet Cæſar, admodum ægre tulit, conſiliarij vero eius in κακιννος reſoluti ſunt, quod obſidio ante 50 Annos peracta adhuc tantopere ijs incommodaret, ut exiguas iſtas impenſas ſuſtinere nequirent; excepitque ſic quidam ex Cæſaris intimis, venturum forte tempus, quo ipſius Ma^{tis} operâ indigeant, tunc tergiverſationum diverticula adhuc plauſibiliora, quam illi effinxerunt, adinveniri poße.|| Iußit vero mox Cæſar ad capitulum Magdæburgenſe literas, hac de [75v] caußâ, ſcribi, quas ex ſuo ore nunc paratas e Cancellaria adferri procuro, mox ad Reverendum illud capitulum dirigendas, quod ſponte ſuum erga Cæſaream Ma^{tem} hac in parte obſequium ſubiectißime obtulit, poſtquam reſcivißet Senatores id detrectare; eſt enim (uti fieri ſolet) nonnulla inter eos æmulatio. Spero itaque me tam inſtrumenta quam cœteras res meas primo quoque tempore huc recepturum, nam de Hamburgenſibus nihil addubito, quin voluntati Cæſ^{æ} Ma^{tis} promptius ſint obtemperaturi; interea ædificia pro Inſtrumentis ordine et ſigillatim diſponendis ante hyemem inchoata, et illius frigore ſuperveniente, intermißa, complere ſatagimus.

Epigrammata duo, quæ iuxta calcem ſunt eorum quæ mitto carminum, Cæſar, ut duabus præcipuis valvis, ex dorico et ionico opere factis, ſuperius marmori inſculperentur, mandavit. Cumque ego in primo, ut ab initio legeretur || *Quæ Boreas renuo,* et in altero ſuo [76r] loco *Arctois* pro *Danis,* quo Patria mea non nominaretur, Cæſar iußit, ut expreße ſcriberetur *Dania quæ renuit,* et in altero Epigrammate *Danis* pro *Arctois.* Sed hæc non niſi ſecretioribus Amicis revelanda ſunt. †

Parant varijs in locis plures venâ Poëticâ pollentes eiuſcemodi carmina, in mei gratiam, inter quos eſt IOSEPHUS SCALIGER, qui ſubinde mihi ſcripſit, et MELISSUS, Poëtarum noſtri temporis anteſignanus: et quia memini me aliquando tibi pollicitum, eorum quæ accepero, ubi in aliquam copiam excrevißent, communicationem, hæc nunc impertior, donec plura nactus fuero, tibi ſoli reſervanda, et non niſi OLIGERO noſtro et alias integris atque ſincere ſentientibus monſtranda.

De

De ijs quæ mihi in Daniâ evenerunt, non eſt quod exiſtimes, me
quidpiam ſcripturum aut publicaturum, niſi extrema ſic urſerit neceßi-
tas, atque veſtrates occaſionem præbuerint, utinam alij æque ſilere
76ᵛ vellent; ſunt enim ‖ nonnulli, qui meâ ſorte plus afficiantur atque
ægrius hanc mutationem ferant (ob Aſtronomiæ præſertim, quam af-
fectant, inſtaurationem) quam ego, qui omnia infracto animo perfero;
nec mihi adverſi quid ſic eveniße autumo; ſic neque Polemica ſcripta
unquam êditurus ſum, utilioribus et magis ſerijs intentus, ut non opus
fuißet eâ quam adducis admonitione, mihi tamen non ingratâ. Ob-
ſtrepent veritati et calumnientur, nobiſque illudant, aliorumque ſcur-
† rilibus convitijs applaudeant, quicunque volent: *Stans tegor in ſolido*
etc. Si tamen alij ſponte ſua pro veritate aßerenda in mei honorem
quidpiam ſcripſerint, incivile et inhumanum foret idipſum averſo ani-
mo improbari. Quod vero tu in gratiam iſtius Scotuli veritatem tibi,
ſi cui alias, ſatis perſpectam dißimulare et vinclis conſtringere malis,
ferendum duco, neque enim invito libenter quidpiam extorſerim, et
perinde erit, ſive id quod res eſt aperte profeßus fueris, ſive non; id
tamen, etiam te dubitante, certo conſtat, eum in publica quadam et im-
preßa intimatione, valvis Collegij Helmſtadij affixa, cuius exemplum
penes me eſt, ſibi meam arrogaße inventionem, præter ea, quæ priva-
tim effutijt; quod quo iure fecerit, nemo melius quam tu (ſi velles) qui
adfuiſti, cum ipſi eam Hypotheſin aperirem, teſtari poterit. Sed mißum
facio iſta, tibi, uti video, moroſa. ‖
77ʳ De MULÆO veſtro quæ ſubiungis, te metuere, ne mora illa longior,
quam apud vos traxit, ab Italicâ profectione per hyemem iam præteri-
tam eum ſit remoratura: id equidem ſic eſt; neque enim aliqua concede-
batur occaſio, quâ commode eo, poſtquam huc redijt, proficiſceretur: ſed
tamen, appropinquante iam vere, modum adinveni, quâ id nihilominus
fieri poße ſperem; commendavi enim ipſum diligenter Serenißimo Elec-
tori Colonienſi, qui mihi Clementißimâ propenſione favet; per eius Cel-
ſitudinem ipſum promotum iri, ut tam Italiam quam Gallias, prout in vo-
tis habet, perluſtrare commode queat, mihi perſuadeo. Conſtituit autem
prius ad ſuos in Daniam ire, ut iſthic ſibi acquirat viaticum; et res ſuas
ad iter iſtud diſponit. Quin et ego pariter ut tu ſentio ex re ipſius non fore,
ut de me nihil dicam, ipſum diutius hîc iuveniles ſuos Annos conſumere,
quibus potius peregrinationibus et ſtudijs vacandum, neque enim eæ,
quas ego tracto, diſciplinæ ipſi uſui ſunt, uti etiam earum minus capax. ‖
77ᵛ TENGNAGLIUS meus ſub Brumam huc ad me ex Italia, ubi intra
annum linguam probe didicit, moribus et favoribus auctus, reverſus
eſt; ante octiduum in Patriam ſuam ivit, Parentes iſthic ſalutaturus;
poſtea, volente Deo, huc rediens, in Aula Cæſaris honeſto loco ali-
quamdiu futurus.

Quæ de honoribus Politicis mihi ex Aulâ Cæſarea indicatis, cum adhuc Wittebergæ eßem, mones, ut prius in poßeßionem feudi veniam, recte quidem mones, nam et ego in ea ſum ſententia, ſed non plane intelligis, quid innuere voluerim, neque enim hoc eſt, de quo tecum ante abitum meum in Dania locutus ſum, ſed quiddam inſuper aliud, de quo prius non cogitavi, prout ſuo tempore [D.] V. percipies.

Apud TYPOTIUM de eo, quod ſcis, te iam antea ſufficienter purgavi, et ubi convenerimus, id etiamnum ulterius faciam. Eſt is mei amantißimus, et ubicunque occaſio datur, de me et meâ familiâ honorifice ſentit et loquitur. Studia vero noſtra a meipſo probanda, cum eorum non ſit gnarus, aßerit.

Non dubito, quin multa in Legatione tam Polonicâ quam Anglicanâ, a Doctis hinc inde || audieris, haud dißimilia ijs, quæ MICHAELIDES †78r narravit, licet is Wordingburgi apud Arcis Præfectum calumnias effutire, nec tamen impune, non erubuerit, prout forte a TYCHONE meo percepiſti; ideoque eo promptius carmina, ob quæ iſta fingebat, tecum communico, ut diſpicias, nihil in ijs reperiri in Regem, de quo ſemper honorifice loqui, eumque excuſare ſoleo, aſpere et indecenter prolatum. Narratum mihi eſt a quibuſdam Danis, cum Wittebergæ eßem, eos, cum per Bohemiam aliquando peregrinarentur, a Parocho quodam Pontificiæ doctrinæ admonitos fuiße, ne ſe Danos eße profiterentur, ſed potius ex aliqua Germaniæ parte oriundos dicerent, partim quod Rex in coronatione Pontificis Romani habitum ludicre imitatus fuißet, partim quod me ſic amiſißent. Quid IVARUS FRIIS per Ungariam et Auſtriam, præſente Regis fratre (qui tamen, quis eßet, ignorabatur) meâ de caußâ, audire et decorare neceße habuit, ipſemet, cum tibi ſit familiaris, aliquando forſitan narrabit; dum ea Dreſdæ me inviſens inter alia ſuggerere voluit, datâ operâ orationem alio declinavi, nolens certis de caußis iſta mihi referri, qui uſque ad nauſeam ſimilia ſæpius inaudivi. Viderint illi, qui in culpa ſunt. || Deus in Patria noſtra animo- 78v rum coniunctionem largiatur et ſtabiliat, dißidia et bellorum ſemina auferat. Quid Legati veſtri in Suecia expedierint, a te cognoſcere cupio, tum quoque quid præterea apud vos et in toto illo Boreali tractu geratur.

Nova, quæ hinc tibi ſignificem, pauca in promptu habeo. De recuperata Tranſylvania te iam antea intellexiße opinor. Aiunt autem BAIUODAM, qui eam fortiter pugnando pro Cæſare recepiße putabatur, ſibi feudi loco reſervare conſtituere, ipſo etiam Cæſare invito, quamobrem Legati eius nuper Pilſnæ fuerunt, qui cum ſe impatienter et pervicaciter geßißent, mißus eſt qui eos apud BAIUODAM accuſaret, increpante Cæſare admodum ſevere ſenem quendam eorum primarium. Turcam maiorem quam unquam antea parare contra Ungariam exercitum, rumor eſt. Deus Armipotens furorem et vires eius retundat:

retundat: Cæſar noſter vicißim ſe equitibus et militibus, quotquot nanciſci poterit, illi obviaturus, munit. Imperij Principes, maiori ex parte, ſuppetias detrectant, Hiſpanos potius quam Turcas formidantes. Deus author concordiæ et pacis nos protegat et a malis liberet.

Doleo vicem conſiliariorum Sueticorum, ſi graviter in eos ſævierit CAROLUS; ſibi ipſi minus prudenter conſuluerit, quâ etiam de re, ut in ultimis tibi indicavi, TYPOTIUS, me conſentiente, ipſum per literas admonuit, exemplum ERICI fratris proponens.

MOSCUS apud Cæſarem et Archiducem MAXIMILIANUM nonnulla tacite molitur, quæ ſi ſucceßerint, Rex Poloniæ maluißet utique ſe avito regno non exceßiße. Quod meâ etiam opinione vix recupera-
† bit unquam. Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

Plura iam non addo, neque enim publicas tumultuationes, quibus hic fluctuans terrenus Orbis iamdudum aßuevit, multum moror; nihil novi ſub Sole, eadem fere ſemper luditur fabula, ſub alijs atque alijs Perſonis. Si paulo fuſius quam forte velles, tibi hac Epiſtola ſcripſiße videar, ſcias id conſulto admißum, ut et tu copioſe reſcribas. Tantum abeſt ut prolixitas, quam in tuis ultimo excuſas, mihi diſplicuerit. Rariores nunc conceduntur internuncij, plenius itaque per literas collo-
79r quemur, ſiquidem oretenus non detur. ‖ Nam quod tu, ut aliquoties ad vos excurram, optas, ita facile, ac lubenter vellem, fieri nequit. Conſtitueram quidem ad comitia huius Anni, ſi qua apud vos celebrarentur, proficiſci: at quia de ijs incertus ſum, nec Cæſar hoc primo Anno veniam in Daniam eundi mihi concedere volet, id in alterum Annum, ſi Deo ita viſum fuerit, differendum erit. Quomodo vero id meo cum bono, uti inſinuas, futurum ſit, a te apertius intelligere aveo. Vale quam optime, ſalutatâ tuâ coniuge a meâ et filiabus peramanter. Dabantur ex Arce Cæſarea Benatica Die 24 Martij ſtylo renovato Anni 1600. ‖

79v POSTSCRIPTA.

QUONIAM ſoror mea, URANIA illa Terricula, in ultimis ſuis nonnulla inſinuavit de ☿rio veſtrate (ſcis quem notet) quod is Landſkroniæ quædam de Cæſarea Mate minus honorifice locutus, poſtea etiam de Conſiliarijs præcipuis aliqua ſubiunxißet, quæ omnia eo vergebant, ut illam de ſucceßu rerum mearum dubiam et diffidentem redderet, tanquam neminem hîc inventurus eßem, qui me meaque promoveret, et illos, a quibus maxime ſperabam quidpiam auxilij, in mala eße apud Cæſarem gratia nulliuſque authoritatis: licet vero ipſa ſatis percipiens, quorſum iſta tenderent, dilueret, quantum tunc temporis potuit, ipſius prolata minus candida, atque regereret, quæ incidebant, uti eſt ingenioſula, neque multum interſit, quid ille vel ſui ſimiles iudicent, ſcimus enim, quo animo proveniant: tamen ut URANIAM

NIAM illam per occaſionem inſtruere et adhuc magis confirmare poßis, rem (ſit Deo gratia) longe aliter ſe habere, mitto tibi exemplum literarum, quas TENGNAGLIUS meus nuper, dum Pilſnæ in Aula eßet, ad me ſcripſit, antequam inde in Patriam ſuam diſcederet, ut hinc intelligas, quale ſit non || ſaltem Magnifici Domini BARVITIJ, qui ſingulis 80^{r} pene horis Cæſari præſto eſt, utpote Secretarius ſummus, ſed et Illuſtris ac Amplißimi Domini CORADUCIJ, Imperij Procancellarij, qui præcipuæ in Aula merito eſt authoritatis, erga me ſtudium et favor. Addidi etiam Domini Doctoris IESSENIJ, qui hoſpes meus Wittebergæ in ædibus Philippæis erat, circa eadem tempora Pilſnæ caußam quandam agentis, literas in eandem ferme ſententiam, paulo tamen fuſius de Domino CORADUCIO exaratas, eſtque ipſa Ießenij manus. Poteris contenta utriuſque Epiſtolæ ſorori, ubi conveneritis, exponere, ut habeat materiam, quâ inſtabilem illum et verſipellem ☿^{rium} figat atque retundat, ſi forte quando ſimilia denuo ſuggeßerit, vel apud alios pro ſuâ dicacitate effutierit. Miſi nihilominus et ego in literis meis ad eandem URANIAM quaſdam Germanice, a quodam meo domeſtico, paulo antea Pilſnâ ad me ſcriptas, quæ de ſingulari Domini CORADUCIJ erga me benevolentia et candido affectu inter alia mentionem faciunt; de quibus illa vicißim ad te referre poterit. Sunt et alij in Aulâ Cæſareâ Illuſtres et eximiæ dignitatis viri, qui mihi in meis rebus bene cupiunt, ut de || ipſa Sa^{a} Cæſ^{a} Ma^{te}, quæ in propoſito conſtans eſt, nec 80^{v} aliorum, ſi quæ forent, ſiniſtra iudicia tam leviter, uti alibi fit, non moratur. Nihil nunc addam. Habeo Deo Opt. Max. pro hac mea ſorte gratias, mihique ut in poſterum ſuâ tutelâ et benedictione adeße dignetur, oro. Iterum vale. Datum ut ſupra in literis.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MELCHIOREM
IŒSTELIUM.

S. P. 81^{r}



RUDITISSIME et Amantißime Domine Magiſter IŒSTELI, accepi quidem literas tuas cum filio paulo poſt huius Anni initia huc reverſo; verum nihil ad eas hactenus reſpondi, partim ob penuriam tabellariorum, partim quod ſperaßem te deſiderijs noſtris, prout ibidem pollicitus es, brevi ſatiſfacturum: at cum nuper Pragam (uti audio) venerit Dominus Doctor IESSENIUS, communis noſter Amicus, et tuas huc miſerit, percipio ex ijs te necdum in diſpoſitione circuituum ♀^{ris} et ☿^{ij} calculoque huic congruente ſatis eße reſolutum,

utut

utut non contemnendam in ijs locaveris operam. Ne igitur res nimis diu protrahatur, cum diſpendio Libri 2^{di} Epiſtolarum, in quo nonnulla ex ijs conveniente loco, uti ſcis, inſerere animus eſt, te peramanter rogatum velim, ut ſaltem ea, quæ in tribus ſuperioribus Planetis explorata habes, iuxta triplices illas Hypotheſes mox conſignes et dilucide explicata mihi mature mittas. Si unâ adiunxeris quæcunque in ♀ et ☿ varie tentâſti, et quouſque in ijs progreßus ſis, qualeſque inveneris remoras, et quid dubij potißimum in ijs ſit, reſcribam eo promptius, quid faciundum reſtet, et quomodo illis difficultatibus obviandum; neque operæ precium cenſeo, ut ex meis obſervatis dimenſiones circulorum ♀^{ris} et ☿^{ij} motuumque rationes perquiras; id enim non mediocris eſt negotij, a meipſo D. V. elaborandum; ſed ſolummodo ut numeris Coperniceis, quamvis errori obnoxijs, quamproxime conveniant, tum quoque Alphonſinis, ſecundum diverſimodas tamen aßumptiones, applicentur. Omnem itaque move lapidem, mi M. IŒSTELI, ut, quamprimum fieri poterit, id, quicquid erit, obtineam, nec expectationem noſtram diutius remoreris quæſo. Miror M. ŒSTWALDUM tam diu in unius Anni Ephemeride Luminarium ſupputandâ hærere; quorſum nobis uſui erit, ubi magna pars huius Anni præterierit? Si paratam habet, mittat actutum; mercedem addictam illi ſolvas, quam per affi-
81^{v} nem tuum Dreſdenſem recipies. ‖ Concederem illi plura pro me calculanda, non abſque ſuo commodo, modo non ita tardus eßet, et certo ad præſtitutum tempus rem abſolvere vellet. Si uxoratus non eßet, vocarem illum huc, ut apud me calculo vacaret, conſtituto illi annuo ſalario. Cumque nullos habeat liberos, poßet, ſi ei ſic luberet, æque commode Pragæ atque Wittebergæ degere, et ibi etiam ex privatis prælectionibus victum et amyctum acquirere, ubi meo quoque ſubſidio non deſtituetur, et efficiam, ut iſthic in veteri collegio commodum habeat locum. Quæ illi ex me proponere poteris, atque ipſius expiſcari ſententiam, mihi per primam occaſionem indicandam. Ubi intellexero hanc conditionem non diſplicere, providebo ei de viatico neceßario. Tu vero, quantum in te eſt, ipſum adhorteris, ut obſecundet.

Literas adiunctas Domino Doctori WOLFGANGO FRANTZIO trade; et Poëtam TAUBMANNUM diligenter ex me ſaluta. Scripſit is ſemel atque iterum mihi, ſe tale carmen in mei gratiam denuo concinnaturum, ut experiar eum non eße raucâ voce præpeditum. At, quantum video, non ſaltem rauxedine laborat, ſed et plane mutus eſt; niſi forte hiſce temporibus occupatur in conſcribendo carmine de Sanctis Angelis, qui alias omnis ſorditiei et avaritiæ expertes ſunt, quo eos Altari adſtantes et donaria pecuniarum numerantes atque conſignantes, vel invitos et talia faſtidientes introducat, ſicque hyperbolice poëtiſet et quibuſdam placentia dicat.

Quæ

Quæ in ultima Eclipſi Solis obſervaſti, ex te ſcire cupio; brevi percipies alias rationes in motu ☾[næ] et Luminarium diametris, quibus omnia accuratius quam antea apparentijs conſentiant. Vale. Dabantur properanter ex Arce Cæſaris Benatica Die 27 Martij Anni 1600 ſtylo novo.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD WOLFGANGUM FRANZIUM.

S. P. 82r



LARISSIME et præſtantißime Domine Doctor WOLFGANG FRANCI, Amice plurimi ſemper mihi faciende. Ex utriſque tuis literis, tam prioribus quam nuper per Dominum Doctorem IESSENIUM, communem noſtrum Amicum, mißis, intellexi de Tranſylvani illius negocio; quem inſtabilem eße et, dum hîc aderat, ſerio non egiße, iam præſenſeram. Is forte meas ob id expetebat literas, ut eo facilius iſthic ad illud, quod ambibat, officium promoveretur; ſed bene eſt, quocunque tandem modo illi profuerim; apud me vero perinde ubicunque ſit, utut effecerit, quod interea alium eius loco non obtinuerim, veluti alias non fuißet difficile.

Morbi Epidemici, qui graviter ſuperiori Anno hanc Regionem infeſtârunt, iam, Dei benignitate, ſopiti ſunt. Cæſar tamen necdum Pragam reverſus eſt, ſed Pilſnæ adhuc moratur, brevi tamen, uti exiſtimant, eo venturus. Scabies, de quâ loqueris, eorum, qui Theologiam et religionem Chriſtianam profitentur, ſævior eſt, et diutius durat; nam apud homines non eſt miſeratio et relaxatio, quemadmodum apud Deum. Attamen quæ nonnulli moliuntur, ut ſuis indulgeant cupiditatibus, inſcio Cæſare, pro maiori parte, fiunt, et ſpes eſt, ſucceßum non habitura, reluctantibus præcipuis quibuſdam in hoc regno et libertatem avitam aßerentibus; neque Cæſar tam improvidus erit, ut regnum, tam periculoſo præſertim hoc tempore, irrequietari permittat.

Res meæ ita ſe habent, ut antea intellexiſti: Deus inpoſterum eas conſervet. Dominus Doctor IESSENIUS, quem Planetam vocas, a veſtrâ Ecliptica (iuxta quam Luminaria deliquium pati ſolent) huc quidem per Auſtralem ‖ latitudinem in Bohemiam digreßus, me tamen 82v
nondum inviſit, nec ſcio an facturus ſit; habet enim, inſtar Planetæ ☿[ij], quaſdam deviationes et reflectiones, aliter quam ponderoſiores Planetæ incedunt. Intellexi Patris eius caußam periclitari, quod ſatis mature is non acceßerit, nec forte ob hyemem commodum erat. Relatum mihi eſt, te etiam erraticum futurum et alio conceßurum; ſi ita habet, indica;

indica; nam et ego ſum unus ex ijs, qui tibi quamoptime cupiunt: optarem te ſemel hîc videre, prout aliquando futurum dixiſti; ſed multa † cadunt inter ciatos ſupremaque labra. Vale et me tui eße amantem, ubicunque fueris, perſuaſum habe. Dabantur properanti calamo ex Arce Benatica ſextiduo poſt Æquinoctium vernum Anni 1600, quem non ſaltem IOSEPHUS SCALIGER et MERCATOR in ſua Cronologia, tum quoque BUTINGERUS atque SCULTETUS uno Anno, ſed idem SCALIGER in novo opere de temporum emendatione duobus deficere probare conatur, ut ſit nunc reverâ 1602. Rationes eius in dicto libro invenies. Iamque iterum et multoties vale.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD IOHANNEM
IESSENIUM A IESSEN.

83r S. P.



CLARISSIME Domine Doctor IESSENI, amice plurimum ſemper colende, ſcripſit quidam domeſticus noſter, quem nuper Pilſnæ in Aula habui, in rebus meis ſolicitantem, ſe a præcipuo quodam Sa^{æ} Cæſ^{æ} Ma^{tis}, Domini noſtri Clementißimi, Conſiliario ſubintellexiße, URSUM quendam Dithmarſicum ſupplicationem iam pridem de me conquerentem Conſiliarijs porrexiße, ſed ignominioſe, acri adhibitâ obiurgatione, reiectam: cumque is, qui hæc mihi inſinuavit, nihil præterea de contentis ſupplicationis iſtius addiderit, et idem Pilſnâ in Patriam ſuam, quæ ad Weſtphaliam eſt, abierit, nec eius reditum intra tres vel quatuor menſes expectem, ac nihilominus mea interſit tempeſtive ſcire, quid impudens iſte de me conqueri auſus fuerit, cum illum nullo pacto, imo ne verbulo quopiam, ſive per me ſive per alios, toto tempore quo in Bohemiâ ſum, læſerim, utut iam antea intolerandas ab ipſo perpeßus iniurias atque calumnias, quas in iſto famoſo, quod ante triennium Pragæ contra me in publicum edidit ſcripto (quo putidius et vanius, cordatorum iudicio, hoc ſeculum vix vidit) conglomerare non erubuit; ſed peculiari conſilio, tum quoque ob graviorum occupationum diſtractionem, omnia, ac ſi ea ignorarem, dißimulavi: et certe, ſi mihi obviam fieret URSUS iſte, eum non nôßem, nec mihi 83v conſtitit, an is interea ‖ Pragæ, an vero alibi fuerit, nam de ipſo percontari non dignatus ſum, ut niſi eius ſupra modum perfricta frons et ſcurrilitas, mentiendique inverecundia mihi non alias conſtarent, mirari ſatis non poßem, quid ille de me, ita taciturno, nullâque moleſtiâ illum afficiente, querelæ loco, apud Amplißimos Dominos Conſiliarios

adferre poßit: Neque enim quidpiam habet, quod veraciter dicat, niſi hoc ipſum obijcere velit, quod taceam, atque ex alto ipſius nugas hactenus deſpexerim, ſuo tamen forte tempore in ipſum retorquendas, quamvis per eas non tam meæ famæ atque exiſtimationi (quæ mille eiuſcemodi Sycophanticos allatratus non moratur) nocuerit, quam quod ſuam petulantem dicacitatem et ſcurrilem naturam, convitijs et maledictis ſcatentem, toti Mundo omnibuſque ſincere iudicantibus, ſuo ſe iudicio, tanquam ſorex, prodens, propalaverit. Licet vero Prudentißimi Domini Conſiliarij illius levitatem morum et verborum forte non ignorantes, querelas iſtas non admiſerint, ſed ipſum obiurgatum dimiſerint: ne tamen aliqua ſuſpicio adhuc latitare poßit, ipſum nonnulla, haud iniuria, conqueſtum fuiße, ſed occaſiones illi, a me vel meis, ut hoc faceret, datas eße: noſti enim illud nimis in mundo tritum: *Calumniare audacter, ſemper aliquid adhæret;* te per amicitiam noſtram, quibus poßum precibus, rogo, velis omnem movere lapidem, ut exemplar ſupplicationis eius adipiſcar, vel ſi id commode fieri nequeat, ſaltem ut ſummam eorum, quæ continebat, reſciſcam. Quod ſi alio modo obtineri || non poßit, ſpero te apud Mag^{cum} et Nobilißimum Dominum 84r
MECKERUM (quem non dubijs inditijs, et etiam te, cum ultimo Pragæ ſimul eßemus, idipſum referente, mihi ſincere faventem perſuaſum habeo) id, quicquid eſt, percepturum. Feceritis ſic non ſaltem ille, ſed et tu mihi rem admodum acceptam, atque ut mihi a talibus ſubdolis et immeritis delationibus inpoſterum præcavere valeam, haud inutilem, imo fortean etiam neceßariam. Sic enim fieri conditiones meæ nunc exigunt; ſum enim hîc peregrinus, nec Illuſtrium aut authoritate præcellentium Virorum conſanguinitate et neceßitudine, ut antea in Patriâ, fultus, quin et præterea hîc extra Aulam vitam ago umbratilem, ignarus, quid iſthic de me in quamcunque partem dicatur, nec alias libenter rebus me immiſceo alienis, ſed meis ſolummodo vacans ſtudijs, Spartam, quam nactus ſum, pro virili ornare ſatago, ut in honorem optimi Imperatoris atque Imperij ea, favente ſupremo Numine, moliri atque exequi queam, quæ ad omnem poſteritatem utilia et memorabilia futura confido. Sed tu, mi amantißime IESSENI, pro ea quæ nobis intercedit familiaritate, omnia ſatis perſpicis, ut ulteriore commemoratione non ſit opus, et te noſtris hac in parte deſiderijs non defuturum omnino mihi polliceor. Vale et prædictum Mag^{cum} Dominum MECKERUM ex me officioſißime ſaluta. Dabantur feſtinanti calamo ex Arce Cæſareâ Benaticâ Die 28 Martij Anni 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD DAVIDEM CHYTRÆUM.

85^{r} S. P.

EVERENDE et Clarißime vir, Amice inprimis honorande. Literas tuas iuxta initia Novembris ſuperioris Anni Roſtochio ad me datas paulo poſt huius primordia per filium huc revertentem accepi, proque ſingulari tua, quam iſthic affatim declaras, erga me affectione et benevolentiâ gratias habeo plurimas. Reſpondißem citius et quæ in mei gratiam annuis tuis Hiſtorijs inſerere decreviſti paulo aliter formata miſißem, nî mihi tuæ tardius quam exiſtimabas fuißent redditæ; defectus etiam tabellariorum effecit, ut id prius exequi non licuerit. † Remitto autem nunc chartam illam, iuxta quam ea, quæ de Cæſ^{a} Ma^{te} ob me huc vocatum et benignißime exceptum memorare conſtituiſti, in quibuſdam, uti vides, certis de caußis mutata conſignavi, omnia tamen tuo arbitrio, an ſic vel aliter ſcribi velis, relinquens; acceptumque mihi eſt, quod hoc officium in mei gratiam non detrectes, et ſpero id Cæſ^{æ} Ma^{ti} placiturum. Quia vero relationi de hoc præterito Anno illa immiſceri non poterant, haud incongruum duxerim ad huius 16 Centenarij, quem Iubilæum vocant, eadem applicare, ſumptâ occaſione, quod hoc anno Progymnaſmata mea Inſtaurationis Aſtronomicæ et nonnulla alia Opera, in Daniâ prius inchoata, ſub auſpicijs Auguſtißimi Imperatoris RUDOLPHI Secundi, Domini noſtri Clementißimi, eius præſidio et liberalitate fultus, in publicum ediderim; ſic enim, Deo conatibus noſtris aſpirante, me effecturum ſpero. ‖

85^{v} Habeo inſuper gratias, quod ea, quæ iſthic in Orbe Arctoo proximis temporibus geſta ſunt, communicaveris. Inaudivi CAROLUM Ducem totâ Sueciâ iam potitum; utinam victoriâ illâ moderate uti vellet, nec nimis in eos, qui illi reſtiterunt, ſævire, et Regni Senatoribus (inter quos eſt optimus ille ERICUS SPARRÆUS noſter) parcere, ut pacatius et firmius eius ſit in poſterum Regimen, ne exitum infelicem ſortiatur effera vindictæ cupiditas. Exemplum habet domeſticum in ERICO fratre.

Quid in Dania Patria mea geratur, et an novas res iſthic moliantur, qui fatis præſunt publicis, necdum mihi liquet. Optandum, ut pace hac, quâ multis iam Annis gaudent, diu frui poßint, nec internis aut externis irrequietudinibus turbentur. Batavos pacis conditiones quaſcunque ſuſpectas habere et renuere, accepi, adeo ut quidam apud eos Primarius nuper Hamburgum in hunc modum (prout eius formalia verba ad me relata ſunt) perſcripſerit: Si concederetur Statibus Hol-

landiæ in membranâ, quæ æquaret magnitudine bovinum tergus, quaſcunque ipſimet vellent pacis conditiones, conſignare, eaſdemque ratas ſe habituros addicerent adverſarij, tamen pacificationem omnem averſaturos, cum toties ſub tali prætextu deluſi ſint.

De Ungaricis rebus nihil hîc, relatu dignum, ſcitur; per hyemem tranſactam || parum a Cæſareanis effectum eſt. Dicitur Turca maiorem 86r parare exercitum quam unquam antea. Cæſar noſter vicißim, quantum poteſt, ſe contra ipſum armat, utut Imperij Principes pro maiore parte propter Hiſpanorum incurſiones ſubſidia denegent et quædam alia agant. WAIUODA pro ſe recuperatam Tranſylvaniam feudi loco retinere laborat, cuius Legati admodum inſolenter et tumultuarie nuper Pilſnæ ſe geßerunt, idque Imperator indigne ferens miſit quendam ex ſuis, qui ea de re apud WAIUODAM conquereretur. Dicunt aliquot millia Gallicorum equitum et vicinarum Regionum adventare contra Turcas in gratiam Cæſaris belligeraturi. Quantam ſtragem ediderint ſuperiori Anno Tartaricæ incurſiones in ſuperiori Ungaria et parte aliqua Moraviæ, exiſtimo te iam antea percepiße. Deus tam eorum quam Turcarum furores et Tyrannidem reprimere atque a cervicibus Chriſtianorum avertere dignetur. Ubi plura de rebus, quæ ibi atque in viciniâ geſta ſunt, intellexero, te eorum reddere conſcium non intermittam.

Cæſar adhuc Pilſnæ abeſt, ubi ultra ſemeſtre proxime elapſum manſit, ob luem Epidemicam, quæ gravißime antecedente anno totam Bohemiam et propinquas regiones infeſtavit, paulo poſt Paſcha, uti exiſtimant, Pragam rediturus. || Deus ipſius Ma[tem] nobis quam diutißime 86v florentem atque incolumem conſervet. Cui etiam Divino Numini te tuoſque commendo. Vale et generum tuum Dominum Doctorem IOHANNEM FREDERUM, cui pro carminibus mißis gratias habeo, ex me peramanter ſaluta; ſcripſißem ei, ſi otium ſuppetijßet. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ Die 28 Martij Anno 1600 ſtylo novo.

CIRCA hoc tempus inclaruit apud Auguſtißimum et potentißimum †88r Imperatorem RUDOLPHUM eius nominis ſecundum in Bohemia et circumiacenti Germania ac vicinis regnis TYCHO BRAHE ex illuſtri et perantiquo ſtemmate nobilitatis Danicæ oriundus interque fratres ſuos in regno illo viros ſplendidos et dignitate præpollentes natu maximus. Is enim, cum plurimis retro annis divinæ Aſtronomiæ a mendis repurgandæ et redintegrandæ incredibiles labores et ſumptus exantlaßet, hoc anno ſua Aſtronomicæ inſtaurationis Progymnaſmata et quædam alia in hoc ſublimi ſtudiorum genere ſub auſpicijs dicti Imperatoris optimi publici iuris fecit, ut Aſtronomia quoque ſuum ſic quoddam inveniret Iubilæum. Occaſio autem, quod is e Daniâ Patriâ

ſuâ

ſuâ primum in Germaniam, deinde Bohemiam præter omnium expectationem migravit, hæc fuit. Ante annos 24 ex clementißimâ proviſione laudatißimæ memoriæ Regis Danorum FRIDERICI II TYCHO in inſula Helleſponti Danici Huænna arcem Uraniburgum pro exercitijs ſideralis ſcientiæ iſthic commode peragendis decore et ſumptuoſe extruxit et in eâ plurima inſtrumenta Aſtronomica adeo magnifice et ſolide elaborata, ut vix ſimilia orbis alibi viderit, a ſe inventa et confecta diſpoſuit (veluti etiam in Hiſtoriâ noſtrâ Arctoâ ſuo loco aliqualem huius Uraniburgi fecimus mentionem) quæ omnia, quoad vixit dictus Serenißimus Rex, iſthic in debito uſu liberaliter conſervabantur, quemadmodum etiam poſt eius luctuoſum obitum per totum octennium in Interregno, ſpe inſuper facta, tam a Clementißimo Rege illo FRIDERICO, quam poſtmodum Regni eius cunctis Senatoribus, quod illa omnia in honorem Regni et Regis ibidem competenter ſuſtentanda et perpetuanda forent. Verum cum non ſaltem præter ipſius TYCHONIS, ſed et multorum aliorum, tam intra quam extra Regnum illud, opinionem id poſtmodum aliter ceciderit, ille, ne tantus apparatus Aſtronomicus tantique ab illo per 21 annos ibi exantlati labores paulatim collabaſcerent tandemque prorſus interirent, maluit Patriâ dulcißimâ et plurimis de nobilitate primariâ ſanguine iunctis cæteriſque amicis charißimis derelictis, ſponte unâ cum tota domeſticâ familiâ in peregrina tranſire potius quam huius tam inſperatæ et dolendæ ruinæ ſpectator eße, ideoque ante triennium, anno nimirum 1597, circa ſolſtitium æſtivum, aßumptâ ſecum (uti dictum) totâ domo ſuâ, primum huc Roſtochium enavigavit, ubi per anni quadrantem ſubſtitit, quo in hac viciniâ Danis ſuis rem rectius diſpiciendi, Patriæ adhuc ſtudens, tempus relinqueret. Quâ etiam de caußâ hinc ingruente hyeme in Holſatiam, Daniæ pariter conterminam, ſe recepit, eo per literas Nobilißimi et optimæ memoriæ Herois, Domini HENRICI RANTZOVIJ, Regij iſthic Vicarij, affinis ſui, invitatus, a quo arcem Wandeſburgum,
88v urbi Hamburgæ vicinam, cum ſuis inhabitandam accepit, || ibique annuum tempus moratus eſt. Neque enim longius indicatâ de caußâ ſe, utut conditiones non incommodæ interim oblatæ eßent, conferre voluit. Dum itaque ibi ſubſiſtit, ad nunquam ſatis laudatum Imperatorem RUDOLPHUM de hoc TYCHONIS e Patriâ diſceßu rumor perfertur. Quare ipſius Cæſarea Maieſtas, uti eſt erga omnes liberales diſciplinas, inprimis vero hoc ſublime Aſtronomiæ ſtudium, quod omnibus ætatibus regales animos, cœlo nata pectora movit, ut id in precio habuerint, animo favorabili et benignißimo TYCHONEM, de quo antea inaudierat, eum hiſce ſerio invigilare, multumque operæprecij locaße, ad ſe vocatum in Bohemiam cum totâ familiâ traduxit, ipſumque Clementißime acceptum in arce quadam e ſuis, quinque miliaribus Pragâ,

Regni

Regni Metropoli, dißitâ, Bennaticâ dictâ, ut iſthic otio fruens philoſophico inchoatam Aſtronomicæ reſtitutionis telam pertexeret, alijſque ingenuo homine dignis exercitijs vacaret, collocavit, et ſumptibus ad tam arduos labores requiſitis liberaliter et benignißime ei proſpexit, utut ob belli Turcici diuturnitatem difficiliora quam alias tunc forent tempora. Res ſane ſummi Orbis Monarchæ liberalitate et munificentiâ dignißima, atque ad omnem poſteritatem deprædicanda. Quin et de novo Uraniburgo, quod Danico illi non cederet, ſe convenienti loco et tempore, pro TYCHONIS Inſtrumentis ibi collocandis et rite uſurpandis, ſe proviſurum, atque ipſi et familiæ eius Feudo idoneo, ne alienigenæ redditi in poſterum ad honeſtam ſuſtentationem neceßarijs deſtituerentur, benignißime proviſurum, Clementißimâ voluntate addixit, quemadmodum hæc et ſimilia ad nos et alios hinc inde viros præſtantes et eruditos non ſine omnium voluptate a fide dignis relata et ſcripta accepimus. Sic Generoſus ille TYCHO BRAHÆUS, Aſtronomiæ cultorum noſtri ſeculi anteſignanus, cuius ſublime ingenium et indefeßum in hiſce præcipuis diſciplinis, quæ circa ſiderum motus verſantur, illuſtrandis ſtudium, quod toti Daniæ ſingulari ornamento et honori ſuperioribus annis fuerat, eâ relictâ, in Cæſaris ditiones conceßit, ibique portum quietum ſuis ſtudijs, non ſine Dei peculiari proviſu, a potentißimo Imperatore adeptus eſt. Faxit author Univerſi, cuius gloriam cœli enarrant, et opera manuum oſtendit æther, ut in Augu- †
ſtißimi Imperatoris RUDOLPHI II, qui hoc negocium ſuo clementißimo favore et liberalitate promovit, totiuſque Imperij Germanici decus et honorem utilitatemque, quo ad ſidera durant, nunquam intermoriturum omnia vergant et ſtabiliantur.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD ANONYMUM.

S. P. 89r



EVERENDE et Præſtantißime Vir, Amice honorande, quas cum filio meo huc revertente mihi reſcripſiſti literas, circa huius labentis Anni initia accepi, et pro Amicâ atque candidâ congratulatione de conditionibus, quas Deus Opt. Max. apud hunc Auguſtißimum Imperatorem mihi et meis ſtudijs proſpexit, proque benevolo tuo voto, quo precaris, ut omnia inpoſterum feliciter ſtabiliantur et adaugeantur, maximas quas poßum tibi habeo gratias. Elucet hinc ſincerus ille tuus affectus, quo me diu multumque proſecutus es; invenies me pari perpetuo erga te tuoſque animo. Et certe ſic eſt, uti ſcribis, agnoſco Divini

Divini Numinis ſingularem providentiam et benignitatem, quâ me a difficultatibus, quibus in Patriâ obnoxius fui, Clementer ereptum in portu tranquilliore hîc locavit. Et ſane non poßum ſatis deprædicare huius optimi Imperatoris non ſaltem Cæſareum, ſed et Paternum (ſi ſic loqui liceret) erga me animum; qui vel inde perſpicitur, quod licet ipſius Ma^{tas} ob Epidemicos morbos, qui gravißime Bohemiam hoc antecedente Anno afflixerunt, Pragâ abfuerit, et in civitate Pilſna hinc 15 miliaribus diſtante ſeſe continuerit, durante adhuc infectione illâ, atque in hoc quoque loco, quem inhabitandum mihi conceßit, totâque viciniâ ſæviente, tamen proprio motu de me et meis ſollicita fuerit, adeo ut aliquoties huc, quomodo valeremus, expiſcatum miſerit, ſimul Clementißime offerendo, ſi in quamcunque aliam ipſius Ma^{tis} Arcem, ubi tutius degere foret, ſecedere vellem, id mihi licere, liberum etiam
89v relinquendo, ſi Viennam Auſtriæ me conferre luberet, || ubi tempeſtive de commodâ habitatione cœteriſque neceßarijs mihi proſpicere vellet. Atqui ego, actis humilime gratijs, me hîc potius in ſtatione meâ manſurum et Divinæ protectioni ac voluntati omnia commißurum reſpondi. Agoque eidem Deo miſericordi protectori toto pectore gratias, quod me totamque domum meam, in tantis periculis, quibus undique cingebamur, incolumes conſervârit, oroque, ut inpoſterum ſuâ gratiâ nobis adeße dignetur.

Recte a te factum, quod Hiſtoriolam noſtræ in Bohemiam migrationis, et eorum, quæ poſtea mihi hîc evenerunt, quam OLIGERO ROSÆKRANTZIO, communi amico, ob eam quæ nobis intercedit amicitiam intimam, ut de conſanguinitate et affinitate nihil dicam, paulo luculentius retuleram, reſignaveris atque perlegeris. Cumque inde ſtatum mearum rerum ſufficienter perceperis, in quo etiam Dei benignitate nunc perſiſtit atque inpoſterum, eodem favente, plenius augeri poterit, non duco operæprecium quidpiam de eodem hîc repetere. Expecto brevi ſupellectilem meam et Inſtrumenta Magdæburgi relicta, tum quoque ea, quæ Hamburgi ſunt, quæ per meos emißarios e Dania ante hyemem eo tranſferri curavi; ſcripſit enim Imperator ad utriuſque Civitatis Magiſtratum, ut in ſui gratiam illa omnia huc per Albim advehi faciant: cumque Magdæburgenſes Senatores ſubterfugia quædam quærerent, ipſius Ma^{tas} ad Capitulum eiuſdem loci hoc nomine alias dedit literas, quod ſe lubentißime ipſius Cæ^{æ} Ma^{tis} volun-
90r tati obtemperaturum promiſit; interea ſtructuræ pro Inſtrumentis || hîc debito modo diſponendis parantur.

Quod M. CHRISTIERNO LONGOMONTANO hortator fuiſti, ut me accederet, idque ei perſuaſiſti, pergratum mihi eſt; dabo operam, ut ipſum huius itineris non pœniteat, liberumque ei relinquam vel hîc apud me vel Pragæ eße, quam diu voluerit.

De

De cœteris, quæ ſcribis, bene inter nos convenit, prout æquum et oportunum fuit. Audio apud vos eße Suecum quendam Aſtronomicis ſtudijs addictum, nomine . . . . qui etiam Obſervationibus Cœleſtibus delectatur; ſi efficere poteris, ut is huc veniat, erit id mihi acceptum et ipſi non inutile; iuvabo eius conatus, quantum potero.

Audio Regnum Suecicum illud, continuis bellis et tumultuationibus iam diu conquaßatum, in poteſtatem CAROLI Ducis veniße. Deus flectat eius cor, ut hac victoriâ et potentiâ moderate utatur, atque ijs, quos pro adverſarijs habet, clementer parcat.

Nova, quæ ex his oris communicem, vix aliqua, quæ momentum habeant, in promptu ſunt. Bellum Ungaricum magnâ vi continuatur et in futuram æſtatem utrinque apparatum. Dicunt Turcam longe maiori exercitu adfuturum quam unquam antea; noſter Imperator, licet a Principibus Imperij maiori ex parte nullas ſperet ſuppetias, ‖
quantacunque tamen poterit militari manu ei reſiſtere eiuſque vires 90v
et minas infringere, pro eo quem Deus largitus fuerit ſucceßu, conſtituit; ideoque equites et pedites varijs e locis conſcribit, ut iuſto exercitu tam atroci hoſti obviare queat et ſuos defendere. Deus Opt. Max. omnia in bonum finem dirigat; cui etiam te tuoſque commendo. Vale. Dabantur ex Arce Cæſarea Benatica Die 29 Martij Anni 1600 ſtylo novo.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD ANONYMUM.

S. P. 91r



TTULIT literas tuas, Nobilis et Eruditißime Vir, filius meus natu maior, in principio Ianuarij ſuperioris huc rediens, ex quibus caußas diutini tui ſilentij et intermißionis literarum, ob abſentiam in Livoniâ, cognovi, quare te eo libentius excuſatum habeo, nihil interim de tuâ conſtantiâ et ſemel incepto erga me amore addubitans; invenies et me eundem TYCHONEM meique ſemper ſimilem in te redamando. Utinam tu ſedes Paternas, quas iure merito affectas, æque feliciter recuperare poßis, et tranquillum invenire portum, atque mihi et meis ſtudijs, Divinâ Clementiâ, hîc apud Auguſtißimum Imperatorem pro his primordijs benignißime proviſum eſt, ſpero in poſterum, eodem Numine favente, adhuc uberiora. Si qua in re apud Magnates hîc in Aula tibi aliquando uſui eße potero, non deerit tui honorifica mentio ſecundum noſtram in te propenſionem. Filius tuus, ubi acceßerit, erit mihi acceptus; optarem et te Patrem, ſi fieri poßet, hîc ſemel videre.

Occupatio

Occupatio Regni Suetici, quo CAROLUM nunc potiri audio, meâ quoque opinione maiores turbas dabit, modo SIGISMUNDO non † defuerint vires. Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri. Deus aliquando pacem Regionibus illis, diu tempeſtate bellorum et aliarum calamitatum conquaßatis, largiatur. Ubi occaſio huc mittendi tibi data fuerit, non intermittas, quæſo, tam de publicis, quæ in iſtis oris geruntur, quam privatis tuis rebus, ſcribendi officium. Vale. Dabantur ex Arce Cæſarea Benatica Die 29 Martij ſtyl. nov. Anni 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

† TYCHO BRAHE AD CHRISTOPHORUM HENNIOCHUM.

92r

S.

REDDIDIT mihi literas tuas ſub initium huius Anni ad me reverſus filius TYCHO; eſtque mihi gratum, conditiones meas, quas Divino proviſu hîc in Bohemia apud Cæſ^{am} Ma^{tem} adeptus ſum, tibi probari. De Chymico illo in Sileſia, cuius meminiſti, qui Metamorphoſin iſtam Paracelſicam in libro vexationum indicatam callet, per Dominum Doctorem THADDÆUM HAGGÆCIUM nuper inde Pragam redeuntem inquiri faciam; et ſi quid certi ab eo reſcivero, te eius reddam participem.

FRANCISCUS SCRÖDERUS Sundenſis ne verbulum mihi, ſive Wittebergæ ſive hîc degenti, reſpondit, aut ſi id fecit, interciderunt eius literæ: admoneas eum iterum ſui officij, ſi forte reſipiſcere voluerit, quamvis non multum interſit, ſive ſcribat ſive non.

Recordor te ſemel mihi ſcripſiße de Granatis Bohemicis, quod ex ijs Chymicum quoddam artificium elicere nôſti; cuperem igitur ex te ſcire, quale illud ſit; reperiuntur enim hîc Granati in ſatis magnâ copiâ, et tibi, ſi volueris, aliquos per oblatam oportunitatem mittam. Vale. Dabantur ex Arce Cæſarea Benatica Die 29 Martij ſtylo renovato Anni 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MARTINUM BRASCHIUM.

S. 93r



CCEPTISSIMÆ mihi fuerunt tuæ literæ, Eruditißime et amantißime Domine Magiſter MARTINE BRASCHI, quas circa initia huius Anni filius meus e Daniâ rediens inter alias ab Amicis Roſtochienſibus profectas attulit: ac pro benevolâ et candidâ congratulatione, quam de ſucceßu rerum noſtrarum apud Auguſtißimum Imperatorem RUDOLPHUM Secundum, Dominum noſtrum Clementißimum, a principio refers, tibi peramanter gratias habeo.

Probâſti etiam tuum erga me ſincerum affectum carmine illo Elegiaco unâ tranſmißo, ubi Uraniam Imperatorem meâ de caußâ adloquentem eique gratias agentem introducis. Adiungam quidem id cœteris tuis mecum antea communicatis, quæ a multis probantur, ſed cum in hoc non ita ſelectis per omnia utaris verbis, et tali concinnitate, quam requirit hoc genus carminis, ad imitationem venæ Ovidianæ aut aliorum Poëtarum, qui in hac facilitate excelluerunt, adeo ut reſpectu antecedentium carminum te ipſo (liceat enim mihi quod cenſeo ingenue profiteri) minor videaris: et ſint præterea in ipſâ Hiſtoricâ relatione, quam preßius ſequi voluiſti, nonnulla, quæ nimis diffuſa, quoad particularia, nec ſatis decore prolata exiſtimem; idcirca Elegiam hanc ſuperioribus verſibus, Heroicis et Lyricis, necdum adiunxi ‖ aut alijs 93v monſtrare lubuit. Sed ſi tuâ bonâ veniâ id fieri poterit, uti fieri poße mihi polliceor, quædam prius in eadem recognoſcam et paulo aliter mutabo, quædam vero prorſus omittam, prout in cœteris quoque hanc mihi libertatem ſumpſi, quæ etiam tibi non diſplicuit; nemini enim res meæ rectius perſpectæ eße poterint quam mihi ipſi. Perplacet alias inventio et ductus carminis, ſed bonus interdum dormitat HOMERUS. Vides, quantâ erga te utor libertate et confidentiâ: ubi vero aliquale mihi ſupererit otium, remittam carmen illud, iuxta meam intentionem paulo aliter formatum; vel ſaltem loca indicabo, quæ a te ipſo alterari vellem. Satius itaque erit, ut interea tibi ipſi hoc reſervans, nemini exemplum impertiaris, multo minus ut publici iuris facias.

Excellentißimus ille MELISSUS necdum mihi quidpiam miſit, ſpero tamen ipſum, pro eâ quâ præditus eſt humanitate et erga me affectione, id officij mihi non denegaturum. Si Cæſ[æ] Ma[ti] ſcriptum aliquod, uti innuis, aliquando humillime dedicare conſtituiſti, de quo meum exquiris conſilium, cuperem prius ſcire, quale id eßet, et quâ de re, ac Exemplum, ſi fieri poßit, introſpicere, tum demum, an gratum ſit futurum,

94r rum, ‖ partim ex aliorum, qui ipſius Ma^{ti} ab intimis ſunt, partim meâ ipſius æſtimatione, coniecturam faciam, tibique id, quicquid erit, ſolitâ ingenuitate pandam. Vale. Dabantur properanter ex Arce Cæſarea Benatica Die 29 Martij Anno 1600 ſtylo novo.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD DANIELEM
CRAMERUM.

101r S. P.



LARISSIME et Præſtantißime Vir, Amice plurimi mihi ſemper faciende: Literæ tuæ, pari eruditione et benevolâ erga me affectione affatim certantes, quas circa initia Decembris ſuperioris Anni ad me dediſti, paulo poſt huius labentis primordia mihi redditæ ſunt, unâ cum ijs, quas communis noſter Amicus, Dominus Doctor LUCAS BACKMESTERUS, per filium natu maiorem, quem in Daniam ablegaram pro auferendis reſiduis Inſtrumentis, huc redeuntem miſerat. Fuerunt eæ mihi admodum gratæ, inprimis vero Oda illa ad Cæſ^{am} Ma^{tem}, elegans ſane et arguta, et quæ vel ſola lauream te mereri teſtari poterit, pro quâ etiam ab ipſius Ma^{te} obtinendâ ego meo calculo tibi non ſum defuturus, arrepta occaſione idoneâ. Ipſius Ma^{tas} per ſemeſtre Pragæ non fuit, ſed in urbe Pilſna, 10 milliaribus inde remotâ, ob luem Epidemicam, quæ totam Bohemiam ſuperiore Anno graviter afflixit, commorata eſt; interea paucißimis patuit ad ipſius Ma^{tem} acceßus; ſperamus eam brevi Pragam reverſuram.

Gratißimum inſuper mihi eſt, quod inſolentem iſtum Scotulum redarguere eiuſque inverecundam arrogantiam compeſcere non detrectes: dignum ſe reddidit, cui vaniloquum et in alios ſcurriliter mor-
101v dax obtruderetur os. ‖ Adfuit mihi Uraniburgi in menſa Dominus Doctor NICOLAUS KRAGIUS, Profeßor Haffniacus et Hiſtoricus Regius, cum DUNCANO tunc ſimul præſenti meas Hypotheſes aperirem; et licet idem KRAGIUS non libenter omnia, quæ hac de re comperta habet, fateatur, quod Scotis, qui de ipſo bene meriti ſunt, contradicere nolit (nam Rex Scotiæ, cum ibi Legatum ageret, eum nobilitavit et inſigni aureâ torque donavit) attamen in literis, quas pridie Nonarum Decembris Anni ſuperioris ad me dedit, hæc verba ſuapte manu
† adſcripſit: »*DUNCANUS certe quicquid tandem privatim egerit, publice nunquam eam* (loquitur de Hypotheſi noſtra) *ſibi arrogavit, qui ne per ſomnium quidem de eâ cogitavit, antequam ex te hanc tanquam myſterium cognoſceret. Quod ſimul ac patefecißes, me-*

 mini

mini a te dictum, plus ei communicatum quam frater fratri edißerere fortean vellet. Atque reperi in paucis hiſce diebus inter ſchedas meas chartam, quâ mihi petenti eam ſignâſti; ſive ante DUNCANI adventum, ſive quo tempore apud te ille fuit, incertus ſum.« || Hæc ille nolens volens fatetur; quo Anno id fuerit, ex literis ipſius 102r DUNCANI ad me, poſtquam Roſtochium redierat, quibus Hypotheſin illam meam ſibi apprime placere ſcribit, eamque Ptolemaicæ et Coperniceæ præfert, quarum te exemplum habere exiſtimo, facile colliges. Eſt mihi ipſius DUNCANI autographum ad manus, quod inficiari non poteſt, etiamſi in mille ſe verteret formas; et quantum ſubſidij habeat ex meis, de quibus tam frivole gloriatur, literis, vel lippis oculis loci periſtaſin conſideranti diſcernere facillimum. Rem apprime gratam nec indecentem præſtiteris, ſi quæ contra eum veritatis aßerendæ caußâ meditatus es, compleveris, mihique, prius quam publicentur, tranſmiſeris, ut ſi quæ præterea eo facientia ad manus habeam, annotem, tibique mox reſtituam.

Exiſtimo te vidiße ſcurrile quoddam et ſupra modum calumnijs atque convitijs ſcatens, omninoque famoſum ſcriptum cuiuſdam efferi Dithmarſi, Urſi potius quam hominis (uti ſeſe vocat) contra quod, ſi per otium, quæ refutationis loco tibi in mentem venerint, conſignare non degravatus fueris, quæ ego poſtea locupletabo, cum nihil ſit in eo, quod non minimo negotio refelli queat, || etiam ubi invictis Geometriæ 102v demonſtrationibus triumphum agere præſumit, ſingulare mihi præſtiteris officium, et maiori quam antea beneficio me tibi devinxeris, meque vicißim tui nominis atque honoris ſtudioſum et gratum experiere. Ego contra tam rabioſum allatratorem quidpiam ſub meo nomine, dilutionis loco, edere indecorum exiſtimo, ſed potius legibus iſtud contra Imperij conſtitutiones inverecundum facinus caſtigari ſuo tempore permittam. Hactenus rem omnem dißimulavi, partim propter aulam longe dißitam et pro maiori parte diſtractam, partim quod gravioribus occupationibus diſtinerer; ſed quod differtur, non aufertur. Feceris OLIGERO noſtro rem inprimis acceptam, ſi et hac in parte deſiderijs noſtris morem geßeris: dici etenim vix poteſt, quam moleſte is tulerit, cum primum illi de putido illo libro innotuit; et fuſtibus ac plagis excipiendum authorem cenſuit, ſed præſtat legibus. Verum deſino te ſerioribus occupatum talibus nugis remorari: extorſit iſta mea erga te confidentia ſinceruſque et mutuus amor. De me vero vicißim tibi quidvis audacter pollicearis. Vale. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ pridie † Paſchatis Anno 1600, qui Romæ habetur Iubilæus.

Quæ in Oda tua per ſe ſatis concinne elaborata paulo aliter legi malui, in ſubiuncta charta notavi, quod licet tuâ bonâ veniâ admitti poße mihi perſuadeam, tamen indicandum duxi, quo conſcius eßes.

[E codice

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS
AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.

45r CCIPIES, Vir nobilißime atque Mathematicorum omnium longe præſtantißime, Catalogos ambos librorum, qui in his nundinis vernalibus Francofurti ad Mœnum venales extiterunt. Si quos ex his petas, velim eos mihi deſignari, priuſquam exemplaria divendantur, et curabo ſedulo, ut quamprimum eos accipias. Mitto etiam tabulas ELISABETHÆ Reginæ Angliæ, GEMMAM FRISIUM de radio Aſtronomico, et Aſtrologiam græcolatinam IOACHIMI CAMERARIJ No. 106. Tabulas perpetuas longitudinum et latitudinum Planetarum Lovanienſes, et Theoricas Planetarum PURBACHIJ ab ORONTIO FINÆO emendatas No. 99. Atque hiſce me tibi commendo, teque florere quam fœlicißime exopto. Datæ Monachij tertia die Aprilis Anno 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD GEORGIUM
ROLLENHAGIUM.

99r S. P.

UAS die 23 Februarij huius Anni ſtylo veſtro ad me dediſti literas, Eruditißime et amantißime Domine ROLLENHAGI, eæ mihi redditæ ſunt, cum nuper Pragæ eßem, unâ cum alijs quibuſdam in fine Auguſti ſuperioris Anni pariter a te mihi ſcriptis; aderant quoque aliæ ad Doctorem RHODIUM, quas ſtatim in ipſius hoſpitium miſi, ſed ipſe peregre aberat; polliciti nihilominus ſunt inquilini eas recte procuraturos. Ad priores mihi deſtinatas nihil nunc reſpondeo, ſiquidem earum præcipua contenta repetuntur in poſterioribus, ad quas ſic habe.

Civem illum Hamburgenſem, quantum potui, per meos homines, qui tunc in Aulam abituri erant, iuvi, tam tuâ, quam Domini Doctoris VITI de caußa, ſed lente iſthic omnia, uti ſcis, et difficulter procedunt ob negotiorum multitudinem.

Pro ſupellectile meâ huc advehenda, non opus eſt, ut amplius ſollicites apud Senatum veſtrum. Cum enim Cæſ^{a} Ma^{tas}, Dominus noſter Clementißimus, a Domino BARVITIO reſcivißet (me tamen id non cupiente, ſed aliquantulum adhuc temporis Magiſtratui veſtro rem

rectius

rectius diſpiciendi, uti me facturum ad te ſcripſi, relinquente) Magdæburgenſes, quos bis per literas hac de re clementißime compellavit, officium illud detrectaße, invite id ipſum tulit, et ſtatim ad Reverendum Capitulum veſtrum de hoc eodem negotio perſcribi iußit, quas literas nunc eo per quendam ex meis ſtudioſis natione Danum mitto. Exemplum earum hîc adiunctum habes, nec dubito, quin Reverendum Capitulum, cui ego etiam ſcripſi, in gratiam Cæſ^{æ} Ma^{tis} effecturum, ut Inſtrumenta mea et omnes res iſthic relictæ huc per Albim ſuis ſumptibus, quamprimum fieri poterit, adferantur. || Confido etiam illud de 99v aßeribus proſpecturum, quibus ea omnia ab iniuria aëris et pluviarum muniantur, quos Nautæ ſecum recipere poterint. Et ſi navem vinis Bohemicis, quæ admodum generoſa ſuperiori anno creverunt, onerari voluerit, aut alijs mercibus, quæ hîc minoris quam iſthic venduntur, poterunt aßeres illi ad hoc denuo uſui eße; conduceret vero, ut fidus aliquis miniſter unâ mitteretur, qui ea, quæ hîc coëmenda eßent, procuraret, et in acceßu curam mearum rerum ſimul gereret, pro qua inveniar erga eundem gratus. Quod ſi factum fuerit, non opus erit, ut ſtudioſus hic meus huc cum ſupellectile illa, quam Magdæburgi habeo, revertatur, ſed is potius rectâ Hamburgum eat, ut pro reliquis Inſtrumentis inde huc pariter advehendis operam Hamburgenſium ſollicitet; ſed tam hæc quam alia tuo conſilio diſponenda relinquo. Et ſi conduxeris pro certo precio hominem, qui cum rebus meis huc accedat, atque earum inſpector ſit, modo Capitulum aliquem adiungere nolit, ſolvam ei quidquid promiſeris. In cæteris Emißarium meum ita inſtrue, ut quid ſibi faciendum vel omittendum ſit, ſciat, daque operam, ut omnia mature et diligenter executioni mandentur. Habebo te in omnibus indemnem, ſi quid pro me expoſueris, vel fidem interpoſueris.

Polliceris in ultimis, te reliquis ſcriptorum meorum poſtulatis per primum quemque Tabellarium reſponſurum, quod ut brevi facias, rogo. ROTHMANNO quod ulterius ſcribam, non habeo, ſiquidem is meis benevole et humaniter ad ipſum datis || 100r quippiam reſpondere gravatus eſt, et videtur is ita moroſus atque impatiens eße, ut vix ſeipſum ferre queat, necdum alios. Quæ de me in ſuis ad te literis conqueritur, facile replicare poßem, ſed nolo cum homine, uti recte ais, impatientißimo et ſibi ipſi præ animi impotentia vix conſtante contendere, aut quidpiam commertij habere. Si ipſemet ſibi deeße vult, quomodo ego eum tueri aut iuvare potero, quin potius propria agam, neglectis alienis. Si exiſtimat eius Epiſtolas non candide et ingenue eße a me editas, habet proculdubio exemplaria, monſtret, quo hîc loco adulteratæ ſint, aut pudeat ipſum de mea integritate tale quid citra occaſionem ſuſpicari. De confeßione eius mihi iudicium non ſumam, neque enim eam ob prolixitatem ſufficienter introſpicere meæ occupationes

hactenus

hactenus permiſerunt, neque ego me Theologicis diſputationibus libenter immiſceo, ut mirer eum meam cenſuram in talibus tam ſæpe tamque ſerio expoſcere, quæ ad ea ſtudia, quæ prius inter nos ventilata ſunt, non pertinent. Duriuſculum mihi videtur, quod ab initio aßerit et definit, Deum nos per ſacramenta ſalvos facere. Id ſane indiget bona gloßa et interpretatione ſobria, ſi idolatriæ ſuſpicio abeße debet, ad quam plurimi cæteroquin homines iam dudum hac præſertim in re (proch dolor) admodum proclives ſunt. Quin et multa ſunt præterea in eodem ſcripto, tam de Baptiſmo quam de cæna, quæ non ita invicte demonſtravit, atque exiſtimat. Sed viderit ipſe et alij, ſi quos habet, ſuæ ſententiæ aſtipulatores; meum non eſt tantas componere lites. Deus liberet ROTHMANNUM ab ijs, quibuſcum conflictatur, miſerijs, et det illi patientiam atque conſtantiam. Ego ſi illi adeßem, ipſius paupertati, quantum res meæ ferrent, non defuturus eßem, quemadmodum etiam antea, quando in Dania mecum fuit, ipſum non inanem demiſi, ſed aliquot Roſeis nobilibus, pro quibus mihi tamen vix gratias agere dignatus eſt 100v (adeo tunc erat inſolens) donavi, cum tamen ‖ ipſius olim Princeps me longe ditior meos homines, quos aliquando ad ipſum miſi, ne obulo quidem, nec etiam eos interea aluerit, quemadmodum ego per 5 vel 6 hebdomadas ROTHMANNUM, cum in Dania eßet. Sed iſta nihil ad rhombum, [ne]que ea, quæ parvi [no]n duco momen[ti]. De fratre eius IOHANNE, qui Doctor medicinæ eſt, cuperem ſcire, an is adhuc in vivis ſit; ſi ſic, optarem, ut me aliquando accederet; erit id illi forte non inutile.

Intellexi nuper, eße quendam in ditione Brunſvicenſi nomine IOHANNEM KRABBEN, de Munden, quem præteritorum aliquot annorum Ecclipſes in utroque Luminari diligenter obſervaße aiunt; ſi itaque ea, quæ is circa has explorata habet, mihi procuraveris, rem † apprime gratam præſtiteris. Sed non ſuffecerint mihi nuda tempora, verum potius media ſcire averem, per quæ in eorum cognitionem pervenit, ſive ſint Altitudines ſtellarum ſive alia huc conducentia. Cupio autem eius obſervata ea potißimum de caußa habere, ut cum meis in ijſdem Ecclipſibus conferre poßem, atque hinc meridianorum differentiam rectius eruere. Eſt etiam aliquando in diverſis locis diſpar ſerenitas. Sed de obſervationum fide certus eße non poßim, niſi compertum habuero, qua ratione, uti dixi, acceptæ ſint.

Apud Cancellarium veſtrum ea, de quibus antea [ad] te perſcripſi, ſpero te effecturum, quo deſiderijs noſtris mature ſatiſfiat. Vale. Dabantur ex Arce Cæſareana Benatica Die 5 Aprilis Anno 1600.

[E codice

[E codice Vindobonensi lat. 10703] †

IOANNES KEPLER AD TYCHONEM BRAHE.



CH M. IOHAN. KEPLER, Einer Er: Landt in Steier 150r *Mathematicus,* bekhenne, demnach Ich mit gnediger Erlaubung wolermelten landtſchafft, ein reiſe in Beheim fürgenommen, fürnemlich den Edlen vnd Geſtrengen Herrn TYCHO BRAHE, Herrn auf Knudtſtrup vnd Vraniburg, wegen Dero Geſt. anſehnlicher vnd weitberühempten *Aſtronomiſchen Inſtrumente* vnd fürhabender bücher zuebeſuchen, Das ich zue dem ende den vierten *Februarij* des 1600 Jahrs allhero gehn Benathka kommen, allda den wollermelten Herrn, gnedig vnd allerfreundtlichst woll empfangen, auch dieſe gantze Zeitt vber aller müglichkeit nach alſo *tractirt* worden, das ich mich hingegen iederzeit, zue aller Vnderthaniger Danckbarkeit ſchuldig erkhennen.

Demnach auch Ir Geſt. alls einen liebhaber aller künſten, vnd denen beygethonen *Cultoribus,* gnedig gefallen, mir einen gueten theill Irer *obſervationum*, ſambt andern anhengigen *Inventionibus* vnd *laboribus Aſtronomicis* freywillig mitzuetheilen: vnd Ich aber ietziger Zeitt böſen ſchädlichen gebrauch anderer leutte nützliche vnd rhuemliche arbeitt eigen nütziger verſchlagener weiße zur hinderlichen den rechten Urhabern zueentziehen, vnd anderen rhümberechtig zuezuſchreiben, zur gemüeth gefürtt: hab ich eigner ſorgfaltigkeit halber, für nützlich vnd rathſamblich geachtet, mit gegenwärtiger meiner ‖ eignen 150v handtſchrifft vnd vndergedruckten Petſchafft dahin mich zuuerpflichten, daß ich alles das, ſo mir von wolermelten Herrn BRAHE *communicirt* oder hernacher, in was wege es wolle, *communicirt* ſoll werden, in hochſter geheim halten. Darmit auch mich andere alß einen liebhaber der *Philoſophia,* gebe vnd offtermelten Herrn BRAHE, alß den rechten *authori* ſelbſten iederzeit gefallen würt, vmbgehen handlen vnd dero mich gebrauchen wölle: alles auff treuw vnd glauben, treuwlich vnd vngefehrlich. In vrkhund meiner handſchrifft, vnd angeporn Pitſchafft, Geben den 5 *Aprilis* im 1600 Jah. Benat.

[Ex

[Ex apographo Kepleri in codice Vindobonensi lat. 10703]

126a^{r} ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO, DOMINO IOHANNI FRIDERICO HOFMANNO, LIBERO BARONI IN *GRUENPUEHEL* ET *STRECHAU*, PRÆFECTO PROVINCIÆ DUCATUS STYRIÆ ET ARCHIDUCATUS AUSTRIÆ, MARSCHALCHO UBIQUE HÆREDITARIO, BURGRAVIO IN *STEYER*, NEC NON SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS AULÆ CONSILIARIO ET SERENISSIMI ARCHIDUCIS MAXIMILIANI CUBICULARIO PRIMARIO, DOMINO ET AMICO SUO IMPRIMIS HONORANDO.

ILLUSTRIS ET GENEROSE VIR, DOMINE ET AMICE HONORANDISSIME.

REDIT nunc Pragam M. KEPLERUS, et licet ſuaſor illi fuerim, ut domeſtici mei, qui etiamnum Pilſnæ eſt, et inter alia in negocio dictum KEPLERUM concernente ſollicitat, reditum, quem intra paucos dies futurum ſpero, expectaret, ut quid fieri poßit, certius reſciremus (præſertim cum ſpes aliqua facta ſit, Sa^{am} Cæſ^{am} Ma^{tem} petitionibus meis humilimis clementißime annuere velle) atque demum aliquid rati concludere poßemus: tamen cum ipſum nihilominus abitum feſtinare intelligerem, reliqui hominem ſuo arbitrio. Quid vero inter nos ventilatum ſit, Ill^{ris} D^{o} Tua e D. Doctore IOANNE IESSENIO, qui has adfert, ſeorſim cognoſcet: is enim interfuit, dum hæc gererentur: quare longiore et tædioſâ eorum commemoratione ſuperſedeo, omnia ad hanc rem facientia Illuſtris D^{nis} Tuæ prudenti conſilio diſpicienda ordinandaque etiamnum relinquens.

Cœterum de puero, quem Illuſtris D^{natio} Tua ad me mittere decrevit,
126a^{v} ſciat me libenter eum, quandocunque ad-‖venerit, recepturum, tum quoque laboratorem Spagiricum. Et expecto pariter fabrum illum Mechanicum, qui e Styria venturus eſt. Quam primum vero per occupationes licuerit, ſpero me Pragæ futurum, ubi plenius cum Ill^{ri} D^{one} Tua de ijs, quæ hîc omißa ſunt, agam. Valeat Tua Ill^{ris} D^{o} quam optime et diutißime. Dabantur ex arce Cæſarea Benatica die 6 Aprilis Anno 1600.

Ill^{ri} Generoſitati Tuæ

Addictißimus

TYCHO BRAHE,

manu propria.

[Ex apographo in codice Vindobonensi lat. 10703]

TYCHO BRAHE AD IOHANNEM IESSENIUM A IESSEN.

S. P. 153r

LARISSIME vir, amice plurimum mihi ſemper dilecte, quæ tuæ fidei concredidi, Generoſo D. HOFFMANNO ſeorſim monſtranda, cupio mihi nunc remitti; litteras tamen illas, quas TEGNAGLIUS ultimo ad me dedit, quæ de Magnifici D. CORRADUCIJ reſolutione faciunt, vellem bene tuo ſigillo munitas ac tuis incluſas unâ cum meis ad DANIELEM mitti, ſiquidem in ijs faciat mentionem eorum, quæ D. CORRADUCIUS apud Cæſar. Mai. meo nomine impetravit, ut ſciat DANIEL, eo rectius ſe facere, ſi apud D. CORRADUCIUM in meis rebus ſollicitet, non minus quam apud D. BARVICIUM, quem quodammodo lentum in ijs promovendis . . . . Dubitat enim ipſe DANIEL in ultimis ſuis ad me datis, an hoc facere debeat nec ne. Ego vero reſcripſi, mihi id non inconſultum videri, caute tamen omnia agenda, ne D. BARVICIUM per imprudentiam offendat, nam amborum retinere benevolentiam, quoad fieri poterit, ſatius duco. Cœterum cum tu hîc ſpectator et auditor fueris eorum, quæ a KEPLERO dicta factaque ſunt, ſub ipſum diſceßus momentum, et ſimul quomodo poſtea, iuxta currum mihi valedicturus, pœnitentia quadam eorum duci præ ſe ferret, atque ea omnia, quod affectus ſuos regere non poßet, excuſaret, egoque a condonatione ‖ non alienus eßem, tibi- 153v
que in aurem ſuſurraverim, ut efficeres illum Pragæ literis ad me datis id ipſum teſtari, quod male ipſum habeat, ſe ſic exorbitaße cupereque mecum in gratiam redire, quod et te facturum aiebas, et ſponte antea mihi ſeorſim dixeras, te in itinere ipſum ſerio admoniturum, imo reprehenſurum, quod ſe tam impotenter et bilioſe geßerit, contra quam decet virum doctum et honeſtum: iccirco mitto tibi hîc incluſas ipſius literas manu eius propria exaratas, quarum effrenem petulantiam et nimis arrogantem dicacitatem nec per meum vinum nec per meum contemtum, nec quicquid eiuſcemodi aliud quod prætendit, excuſare poterit, niſi et tunc furioſus fuit (uti forte huius morbi ſemina, etiam cum ſibi maxime conſtare videtur, clam fovet) cum iſta compoſito animo ſcriberet, et ipſemet calamo, me ignorante (qui ipſi iam ignoſcere cœperam, ſiquidem reſipiſcere voluißet) præeſt. Miraberis, non dubito, hominis in malitia citra omne meum meritum pertinaciam, nec forte habebis aliud, quid dicas, quam me mea humanitate, uti etiam tacite exprobrâſti, effeciße, ut iſte hominem exueret, atque in rabidum canem, quem ſuo ſtomacho ſe æmulari dicere ſolitus eſt (utinam etiam cerebro

et

154r et corde) ‖ tranſformaretur. Inſpice igitur et deſpice, quod et ego faciam. Quis enim ſcienter et volenter furentem facile curaret? Si ipſum in via admonuiſti, et ut rationes inveniret, mecum denuo in amicitiam redeundi, adhortatus es, uti proculdubio feciſti, vide quæſo, quales fructus ediderit hæc tua ſobria, candida et amica admonitio et adhortatio. Ego, etſi facilimum mihi ſit, omnes ipſius oblatratus vera redargutione compeſcere, nolo tamen cum tam procaci lingua prædito, nec modeſtiæ aut virtutis curam habente, contendere, memor illius Catonici:

Contra verboſum noli contendere verbis.

Conſtitui igitur in poſterum nihil cum eo habere commercij, ſive per literas ſive oretenus, et optarem me nunquam habuiße, tunc minus mea humanitate abuti poßet. Iußi quidem, ſtatim ac is abierat, MATHIAM ſtudioſum nonnulla ex chartis illis, quas ad me recepi, deſcribere, ut ea promptius legere, cum ipſo, quando unâ cum DANIELE redierit, conferre poßem, atque mea dubia illi ſubgerere, et quomodo peragendum eßet, expiſcari, atque tum illi a ſe conſcripta, uti ſancte promiſi, reſtituere. Verum cum ex his malitioſis literis plus ſatis percipiam, eum non reverſurum, uti etiam non cupio, ipſemet in culpa eſt, quod pollicitis ſtare nequeam. Et ſuper hoc, quod in Epiſtola iam
154v mißa ‖ iecit fundamentum, vix utar eo tamquam archi[tec]to, cui aliquid ex meis obſervationibus et laboribus ſuperſtruatur. Ille ipſe me iam magis cautum, quam antea fui, reddidit; genio, uti ſpero, bono mei curam habente, et omnia ſic in meum commodum digerente. Nolim tamen, ut cuipiam has Keplerianas literas oſtendas, et ne quidem D. HOFFMANNO, aut cum ipſo KEPLERO hac de re expoſtules, niſi forte ſua quadam importunitate tibi occaſionem dederit, ſed actutum cum hoc eodem nuntio, bene concluſas et iterum obſignatas, mihi remittas. Si tamen ſubolfeceris ipſum apud D. HOFFMANNUM vel alios, ut ſuam probaret innocentiam, me calumniatum eße, aut quippiam veritati minus conſonum effutijße, fac quod bonum et integrum virum decet, quod et non gravatim effecturum mihi polliceor (prout et ego te ſæpius contra aliorum ſugillationes tutatus ſum) ut meam a te defendi cauſam, atque id, quod veritas poſtulat, aßeverari reſciſcam. Interim etiam an apud URSUM iſtum aliquid in mei contumeliam tacite moliatur (quomodo enim illi amplius fidam?) per tertiam vel quartam manum inquire, quamvis nihil morer, quicquid dixerit, modo vera dixerit, et cum Deo V. ſimul fuerimus, tibi aperiam, quidnam id ſit, de quo ita minari videtur, et plura, quæ ad dilutionem illorum, quorum fœcundus et facundus eſt conſarcinator, faciunt, licet ipſe plæraque nôſti, ſuggeram. Vale. Dabantur ex arce Benateka die 8 Aprilis Anno 1600.

[E codice

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°] †

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS
AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.

NTELLEXI, Vir nobilißime atque Mathematicorum omnium facile Princeps, ex Agente rerum Serenißimi Principis mei in aulâ Cæſareâ, ALEX. PRENDTL, qui ad negotia ſua quædam propria expedienda hâc tranſijt, literas illas, quas D. Doctori HELLER ad me dirigendas committis, præpoſito ſeu Magiſtro ſupremo equorum diſpoſitorum Pragæ conſignari. Cœterum novi et expertus ſum eorum, quibus cura Poſtæ ſeu equorum diſpoſitorum incumbit, negligentiam et deſidiam, atque adeo oſcitantiam quoque miram, ita ut literas aliô dirigendas aliorſum nonnunquam tranſmittant. Tenet itaque hæc res me admodum et forte plus nimio ſolicitum, ne forte ea, quæ ad me mittis, intereant. Quare rogo te etiam atque etiam, ut in poſterum, ſi quid literarum ad me dederis, eas præfato Agenti rerum Principis mei, vel in abſentia illius IOANNI MENHARDO S. Cæſ. M. Conſilij aulæ Imperialis Secretario Latino, qui aulam Imperatoris ſequitur, quorum titulos his ſubſcripſi, conſignes; curabunt enim illi ſedulo, ut ſub coperto, uti vocant, Serenißimi mei Principis tuto ad me tranſferantur. 49r

Novißime literas tuas pridie huius anni labentis datas unâ cum dono partis primæ Progymnaſmatum reſtauratæ Aſtronomiæ (id quod gratitudinis ergo commemoro) accepi, nullas autem recentiores. Quod ſi interea temporis nullas ad me dederis, bene ſe res habet, et omni ſolicitudine vaco: ſi quas vero dederis, timeo, ne alicubi deliteſcant, et obſecro ſummopere, ut eas reiterari cures, et vel hac ratione ſolicitudinem alleves. Atque hiſce tibi officia et ſtudia mea paratißima quæque polliceor. Datæ Monachij die 11 Apr. A. 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

104^v # ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO
VIRO DOMINO COSMO CONCINIO E COMITIBUS PENNÆ SERENISSIMI MAGNI DUCIS HETRURIÆ APUD SACRAM CÆSAREAM MAIESTATEM ORATORI MAGNIFICENTISSIMO DOMINO OBSERVANDISSIMO.

103^r ILLUSTRISSIME ET HONORANDISSIME DOMINE.



ERENISSIMI Principis, Magni Ducis Hetruriæ, Clementißimas literas ab Illma Dom^{ne} Veſtra mihi favorabiliter mißas, unâ cum proprijs ſuis, accepi, et magna inde affectus ſum voluptate, cum quod Ser^{ma} eius Celſitudo meis Clementißime reſpondere, ijſdemque benignißimo animo annuere non dedignata ſit, tum etiam quod Illma Dom^{o} Veſtra mihi tam benevole ſcripſerit, et Ser^{mi} Principis ſui voluntatem, ubi Pragæ adfuero, plenius mihi exponere haud degravetur. Adveniam itaque, auxiliante Deo, quamprimum nonnulla ad ædificia, quæ pro Inſtrumentis meis Aſtronomicis hîc debito modo diſponendis, nunc parantur, pertinentia, adornavero; et obſervationes quaſdam, quibus per inſtantes aliquot dies (neque enim alias intra annum eiuſcemodi revertuntur) invigilandum, Cœlitus deduxero. Spero autem hæc, et quæcunque præterea me remorari poterint, intra 14 ad ſummum dies expediri poße, ut Ill^{mæ} Do^{i} V^{ræ}, ab hiſce curis liberatus, promptius adeße queam, et quæ nomine Ser^{mi} Principis ſui mihi re-
103^v ferenda habet, obſequentißimo animo percipere. || Interim ut hanc morulam, pro conſueta ſua humanitate, candide accipiat, meque ſibi commendatum habeat, officioſißime peto. Deus Opt. Max. Illuſtr^{m} D. V. diu florentem et incolumem conſervet. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ Die 14 Aprilis Anni 1600.

Illuſtriß^{æ} Dom^{ni} V^{æ}
Reverenter addictißimus
T. B.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

EXCELLENTISSIMO ET ERUDITISSIMO 105r
VIRO, DOMINO RAPHAELI CIAPARENIO, APUD ILLUSTRISSIMUM ORATOREM FLORENTINUM PRAGÆ DOMUS PRÆFECTO, DOMINO ET AMICO HONORANDO.

UAS iußu Ill^{mi} et Magnif^{mi} Oratoris Florentini ad me Excell^{a} V^{ra} per certum tabellarium direxit literas, modo accepi, atque pro hoc mihi præſtito officio plurimas eidem gratias habeo, relaturus, ſi quid unquam meâ opellâ præſtari poterit, quod illi vicißim acceptum eße queat. Prædicavit mihi iam antea TENGNAGLIUS noſter, qui ante menſem circiter in Patriam, Parentes ſuos inviſurus, abijt, ſingularem Ex^{æ} V^{ræ} humanitatem et erga ſe benevolentiam, quam filio quoque meo, cum vobis adeßet, præſtitam, magni beneficij loco duco. Daboque operam, quantum in me eſt, ne ſe certaße priorem pœniteat, ſperoque nos, ubi Pragam advenero, ulterioris notitiæ atque amicitiæ fundamina coram poſituros. Interim et ſemper Ex^{a} V^{a} quam optime valeat. Dabantur properanter ex Arce Cæſareâ Benaticâ Die 14 Aprilis Anni 1600.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS
AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.

ITTO, Vir nobilißime atque Mathematicorum omnium 52v
facile princeps, ut libri, quos petijſti, ad te tranſferantur, his iuncta

IOANNIS VIRDUNGI tabulas reſolutas de ſupputandis motibus ſyderum,

Tabulas Prutenicas ERASMI RHEINHOLDI,

COPERNICUM de triangulis et Algorithmum demonſtratum No. 76.

Habemus exemplar græce manuſcriptum HIPPARCHI Bithyni in ARATI et EUDOXI Phænomena librorum 3, cum Aſteriſmis (uti inſcribitur in Codice Florentiæ A° 1567 impreßo. Nec enim Aſteriſmi illi ſunt HIPPARCHI, nec forte reliqua) et alterum exemplar Magnæ Syntaxeos CL. PTOLEMÆI, literâ pervetuſtâ et eleganti conſcriptum. Quod ſi tibi dubiæ lectiones occurrant, lubens admodum et ſedulo conferam et ad te perſcribam. Nec inpræſentiarum occurrunt iam alia, ſed hiſce tibi officia mea promptißime offero. Datæ (18 Apr. circiter) A. 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD VITUM WINSHEMIUM.

108r S. P.



XCELLENTISSIME et Eruditißime Domine Doctor VITE WINSHEMI, Amice honorande: Literæ Excellentiæ Tuæ humanißimæ et candidi erga me amoris refertißimæ bis vel ter, poſtquam in Bohemiam conceßi, mihi redditæ ſunt; pro quo conſtanti et ſincero erga me affectu gratias habeo plurimas. Memini etiam me Tuæ Excæ aliquoties reſcripſiße, eamque meas pariter accepiße ſpero. Quantum vero ad ultimas, quas Exa Tua per Civem illum Hamburgenſem, quibus Rollenhagianæ adiunctæ erant, dederat, commodum accidit, quod cum Pragæ eßem (ablegaturus TENGNAGLIUM noſtrum, cum quodam ex meis domeſticis, Pilſnam in Aulam Cæſaris) eæ mihi redderentur. Nam per emißarios meos negotium illud Civis, cuius caußam mihi commendâſti, Domino BARVITIO, ſummo Secretario, exponi iußi, eumque, ut petitioni eius non deeße velit, diligenter ex me rogavi: quod et factum eſt. Nam alter ille hiſce diebus huc reverſus (TENGNAGLIUS enim in ſuam Patriam inde profectus eſt, poſt aliquot ſepti-
108v manas huc, Deo volente, rediturus) retulit || Dominum BARVITIUM in ſe recepiße negotij illius promotionem, quamprimum Civis iſte Pilſnam veniret et caußam illam ſibi proponeret; quod tamen necdum factum erat, antequam domeſticus ille meus inde diſcederet, qui per integrum menſem ibi ſubſtitit. Miror itaque, ubi interea Civis ille fuit, et an Pragæ remanſerit, Cæſaris iſthuc reditum expectaturus, ignoro. Semel enim tantummodo mecum Pragæ locutus eſt; poſtea hominem non vidi, quamvis volebam, ut denuo me accederet, quo plenius eius cauſæ circumſtantias cognoſcere poßem; quas etiam ut FRANCISCO indicaret, iußi. Si in alijs longe maioribus Tuæ Exæ in his oris gratificari unquam potero, habebit me ſemper quam promptißimum et noſtræ amicitiæ perpetuo memorem.

Quæ ad OLIGERUM ROSÆKRANTZIUM communem Amicum proferre volui, ignoro an acceperit, multo enim iam tempore nihil ad me literarum dedit. Faciat igitur T. E. me certiorem, quomodo vivat et valeat, utque ſubinde mihi ſcribat, ipſum admoneat. Vale diu et feliciter. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ Die 20 Aprilis ſtylo recognito Anni 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD LUDOLPHUM RIDDERSHUSIUM.

S. P. 109ʳ

LARISSIME et Eruditißime Vir, Amice mihi plurimum ſemper faciende. Literæ tuæ paulo poſt ſolſtitium hybernum ſuperioris Anni ad me datæ præterlapſo nuperrimo huius Æquinoctio mihi primum redditæ ſunt, quibus ſi per omnia nunc ita luculenter reſpondere, uti deſiderares, non concedatur, tribuas id occupationum mearum moli; quæ tamen otium utcunque admittit, brevibus expoſita, ſic habe.

De Directionum adminiſtratione et rationibus, tum quoque diſtributione Cœli, quæ antea ſignificavi, ſatis per ſe clara ſunt, nec, etiamſi quam maxime vellem, ea exemplis illuſtrandi nunc ſuppetit oportunitas. Poßunt vero ſecundum Eclipticam pariter Directiones fieri, non dißimiliter, iuxta motum ☉^{lis} diurnum, numerandæ, nam et has ſubinde pondus habere animadverti. Debent autem Directiones inſtitui ad Horizontem eius loci, in quo quis natus eſt, non autem ubi poſtea habitat; quia quilibet ſuum ſecum portat Cœlum ſuaſque influentias, quocunque iverit. Octogonaria Thematum diſtributio ad hoc conducit, ut robur efficaciæ Planetarum rectius pateat, ſiquidem dimidius Angulus Rectus ſit inter Meridianum et Horizontem, poſt horum duorum limites, magni ſunt roboris. Significata autem ex duodenaria Diviſione † potius ‖ conſueto Aſtrologorum more petenda. 109ᵛ

Tranſitus ♄^{ni}, quia tardigradus eſt, utplurimum vim habet, ♂^{tis} autem minus. Tunc vero ſtimulantur effectus, cum in idem tempus ſimiles profectiones coincidunt; impediuntur vero, ſi contrariæ; et Directiones, quæ generaliorem habent ſignificationem, hîc etiam augendo vel minuendo plurimum poßunt. Si eodem tempore inciderint adverſæ et proſperæ Directiones, ſeipſas fere elidunt, et effectum boni malique imminuunt. Directiones, quæ exitum naturalem vel violentem portendunt, variæ ſe habent, nec ad certum aliquod genus reſtringi poßunt; et oportet multa alia ſimul conſiderare, nec Stoicam neceßitatem introducere. Geniturarum influxus fauſti vel infelices vario modo mutari et tranſplantari poßunt; ut non nimium ijs ſit indulgendum. Omnes autem rationes, quibus hoc efficitur, nimis longum foret enarrare. Neque etiam in omnes homines Aſtra æqualiter influunt, ſed quidam ſe reddunt eorum viribus magis obnoxios quam alij. Verum Deus, Author Univerſi, omnia pro ſuo nutu moderatur. Atque hæc ad quæſtiones tuas pro tempore reſpondiße ſufficiat.

Ad tempora et eventus Nativitatum, quas miſiſti, attendere et in eas

diſquirere

diſquirere nunc non vacat; imo etiamſi vacaret, non multum temporis ||
110ʳ talibus curis libenter tribuo, gravioribus et maioris momenti ſtudijs potius addictus. Reſtitutionem motus ☾ris nunc communicare non poßum, nondum enim typis edita eſt, uti neque in cœteris Planetis deſiderijs tuis morem gerere. Conſervantur adhuc libri mei et res, pro maiori parte, Magdæburgi; ubi advenerint, et oportunius otium nactus fuero, dabo operam, ut plenius in talibus gratificari queam. Literas adiunctas ad Dominum DAVIDEM FABRICIUM abſque omni interpoſita morâ per certum hominem dirige; eius enim intereſt, ut eas cito nanciſcatur. Iamque vale, quodque pluribus nunc tecum non agam, candide excuſatum habe. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ, 5 milliaribus Pragâ diſtante, Die 20 Aprilis Anni 1600, ſtylo recognito.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS
AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.

52ᵛ PERVENERUNT ad manus meas, Vir nobilißime atque Mathematicorum omnium facile princeps, libelli duo, quos vir doctißimus et in Geometricis plane rarus et inſignis, FRANCISCUS VIETA, nuper in lucem prodire voluit. Hos cum non dubitem te perlibenter viſurum, neque forte aliunde abſque difficultate exemplaria adepturum, his iunctos ad te mitto.

Cogito his diebus, ſi modo negotia publica et politica, quibus admodum diſtrahor, id permittunt, Auguſtam me conferre, atque ibi, ſi ulla ratione fieri poterit, manuſcripta opera poſthuma CYPRIANI LEOVITIJ indagare et nanciſci, ut ea quoque ad te tranſmittere poßim. Atque hiſce tibi fœlicißima quæque ex animo precor et opto. Datæ Monachij die 26 Apr. A. 1600.

[Ex apographo Kepleri in codice Vindobonensi lat. 10703]

IOANNES KEPLER AD TYCHONEM BRAHE.

155ʳ SONS manus, quæ nuper ad lædendum celeritate ventos antevertit, quodnam initium faciat ad leniendum, vix invenit. Nam quid ego primum commemorem? An meam intemperantiam? Cuius acerbißima eſt recordatio. An tua, Nobilißime TYCHO, benefacta? Quæ iam nec enumerari poßunt, nec pro dignitate perpendi. Per

duos menſes gratuito me victu liberaliter aluiſti; toti tuæ familiæ meam incolumitatem, mea deſideria commendaſti: omnia humanitatis officia præſtitiſti: quæ habuiſti charißima, mihi communicaſti: nemo me dicto vel facto volens læſit unquam: in ſumma, non liberis, non uxori, non ipſi tibi plus indulſiſti quam mihi. Quæ animo præterea volvebas, de me promovendo, ex ijs, quæ mea cauſa ſuſcepiſti, facile vidi. Quæ omnia, cum ita habere ſciverim, faßus fuerim, ſcripto etiam teſtata reliquerim: magnâ cum animi conſternatione recordor, adeo me a Deo et a Spiritu Sancto meis intemperijs animique morbo fuiße permißum, ut ad tot et tanta beneficia, clauſis oculis, pro modeſtiâ, trium hebdomadum continuæ moroſitati erga totam familiam, pro gratiarum actione, iracundiæ præcipiti, pro reverentiâ, audaciæ ſummæ erga tuam perſonam, tam illuſtri ſtemmate, tam præſtanti eruditione, tanta nominis claritate venerabilem, pro amica valedictione, ſuſpicio-
ſis-‖ſimis imputationibus et acerbißimæ ſcribendi prurigini tantum in- 155v
dulgere potuerim, nec me reſpexerim, nec quam crudeliter tuum animum, qui præclare ſemper de me ſenſeras, hac odioſißimâ ratione ſim offenſurus, perpenderim. Quæ ſi hoſtili animo, ſi nocendi propoſito, ſuſcepißem: equidem vix vel a Deo petere fuißem auſus, uti te mihi præſtaret placabilem, iuſtamque et legitimam vindictam impediret.

Sed quia totum hoc impotentis animi furor et choleræ præſtitit exuberantia, et iuvenile vitium, curioſitas, cum præcipitantiâ iudicij (abfuit vero diffamandi animus) et quia non experieris, me unquam cum quoquam mortalium ita de te locutum, uti ad te unum ex falſâ imaginatione ſcripſi (quemadmodum neque in quemquam unquam talia deſignavi) ex hac qualicunque conſolatione poſt gravißimam pœnitudinem, animum nonnihil recepi: et quia quæ ſcripſi, coram Deo ſolo teſte, M. T. imputata fuere; primum Deum Opt. Max. veniam exoravi, deinde et pro Chriſtianâ reconciliatione ſumme fui ſollicitus. Quod niſi me afflicta valetudo, immoderatæ affectionis haud dubia ſtimulatrix, impedivißet, primo quoque tempore Benathkam excurrißem, meque M. T. ad omnem ſatiſfactionem promptum ſtitißem. Iam quia fors ita tulit, ut prior M. T. Pragam veniret, ſupplex ad M. T. venio, per
Dei miſericordiam orans, uti mihi hanc atrocis-‖ſimam offenſionem 155ar
Chriſtiano animo remittat. Ego contra, quæ dixi vel ſcripſi in M. T. perſonam, famam, honorem et doctrinam, vel quocunque alio modo, iniurioſißima (ſi nulla valeat in meliorem partem interpretatio) uti (quod ex animo doleo) dixi ſcripſique plurima et plura quam meminerim: omnia et ſingula revoco, irrita, falſa et probatu impoßibilia ſponte et ingenue agnoſco atque pronuncio. Neque enim ullum facinus patratum, aut ullam partem honeſtatis a M. T. unquam violatam vel vidi vel audivi. Si quid ſuſpicionibus etiam indulſi, id omne, ut Chriſtianum

ſtianum decet, ex animo eijciam, ſic ut proteſtationi Chriſtianæ acquieſcens, temeritatem in ſuſpicando libenter Deo καρδιογνώστῃ fatear.

Promitto etiam bona fide, me in poſterum, ubicunque verſaturus ſim, non tantum huiuſmodi maleſanis actibus, dictis, factis et literis abſtenturum, ſed neque ullo pacto M. T. iniuſte et ex propoſito offenſurum, neque quicquam, quod non deceat, contra M. T. moliturum. Oro autem, quia lubrica eſt vita hominis, ut ſi M. T. animadvertat me imprudenter in tale quid vergere, me mei ipſius admoneat: experietur enim me morigerum. Quin imo polliceor, daturum me operam, quod quidem nunquam adhuc mentis compos intermiſi, ut omni genere officiorum M. T. ulterius devinciam, et quantum mihi poßibile eſt, ſuperiorumque meorum patitur authoritas, in omnibus honeſtis rebus, ‖
155a^{v} quaſque M. T. gratas intellexero, obſequium præſtem, et ſic ipſo facto demonſtrem, aliter me in M. T. perſonam eße et ſemper fuiße affectum, quam ex illa trium ſeptimanarum intemperata diſpoſitione animi et corporis colligi poterat. Et precor, ut ad id præſtandum me Deus adiuvet.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO MATTHIÆ, ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ ET WIRTTENBERGÆ, COMITI TIROLIS, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

1^{r} Serenißime et Inclyte Princeps, Domine Clementißime.

UOD Serenißimam Celſitudinem Veſtram ignotus et peregrinus ego hiſce compellare audeo, id ut pro ſua Heroica et congenita Virtute atque clementia candide et benigne accipere dignetur, humilime oro. Impulit me ad hanc audaciam celeberrima fama de Ser^{mæ} Cel^{nis} Veſtræ benignißimo affectu erga quaſvis artes ingenuas, præſertim ſublimiores illas, quas Mathematicas per excellentiam vocant. Quemadmodum enim Auguſtißimus et Potentißimus Imperator RUDOLPHUS, V^{æ} S^{æ} C^{nis} Dominus Frater, hæc ſtudia plurimi facit atque illis laudabiliter delectatur, ſic et V^{m} S^{m} Cel^{nem} quadam non minus naturæ quam ſanguinis conformitate illa pariter in precio habere a plurimis affirmatur: cuius etiam haud obſcura τεκμύρια, cum ante annos pluſculos, Daniam Patriam meam tranſeundo, laudatißimæ memoriæ Regem FRIDERICUM S^{a} V^{a} C^{o} illic inviſißet, ad me perlata ſunt, quin et paulo poſt ab Arcis Cronburgicæ Præſide mihi inſinuatum

tum S^{m} C^{m} V^{m} in Inſulam prioris habitationis meæ Uraniburgicam, Inſtrumentorum, quæ in uſum Aſtronomicæ inſtaurationis illic conſtruxeram, viſendorum gratiâ tranſfretare conſtituiße, quod et factum fuißet, niſi maris irrequietudo et glaciei interveniens importunitas propoſitum hoc impedivißent. Ex eo tempore cœpi S^{mam} Cel^{nem} V^{m} pro meo modulo ſuſpicere et venerari; optaßemque, ut conſilium illud in Inſulam dictam traijciendi ‖ ſucceßus ratos conſecutum fuißet. Cum 1v
autem nunc gravibus de caußis, relicta Patria, uti fert rerum Mundanarum vicißitudo, in ditionem Potentißimi Imperatoris Regnumque Bohemiæ ab eius $Cæſ^{a}$ Maieſtate huc clementißime accitus, tranſmigrârim, ſicque $S^{mæ}$ Cel^{ni} $V^{æ}$ vicinior redditus ſim, eo etiam nunc promptius et confidentius animum mihi ſumo aliquid ad Serenißimam Cel^{nem} V^{am} literarum dandi, ut erga eam debitum meum obſequium vel aliqua ſaltem ratione humilime declarem, præſertim cum adeo oportuna id efficiendi modo ſeſe obtulerit occaſio, per hunc Generoſum et in literis ac linguis bene verſatum Iuvenem FRIDERICUM ROSENKRANTZIUM, Sympatriotam et Conſangvineum meum, ad veſtram S^{mam} Cel^{nem} proficiſcentem. Cumque S^{cra} $Cæſ^{a}$ Mai^{tas}, Dominus meus clementißimus, ſua Auguſta apud V^{am} Ser^{m} Cel^{nem} commendatione et interceßione (quam ROSENKRANTZIUS ſecum apportat) eum non dedignata ſit, ſupervacaneum et indecens duco quippiam, quod apud Ser^{m} Cel^{nem} V^{m} illi promotioni eße poßit, ulterius intempeſtive repetere aut adiungere, hoc ſaltem dicam, quicquid clementiæ et benevolentiæ Serenißima Cel^{o} V^{a} in illum contulerit, id non ſaltem illi, ſed toti Roſenkrantzianæ familiæ, quæ in inclyto Regno Daniæ antiquißima et ſplendidißima eſt, tum quoque mihi, qui eiuſdem ſtemmatis aliqua pars ſum, beneficio nunquam memoria obliterando et officioſißima mente deprædicando præſtituram. Idque de hoc viro polliceri poßum, eum $Ser^{mæ}$ $V^{æ}$ Cel^{ni} fidelem et obſequentißimum ‖ futurum, ſive privatim in ſua Aula, 2r
ſive publice in bello Ungarico contra Turcam, eius ſervitiô et qualicunque operâ (eſt enim ad utrumque humilime paratus) uti voluerit. Deliquit is quidem humanitus et iuvenili quodam lapſu, quod dolendum eſt, et ipſummet ita contigiße vehementer et ex animo pœnitet, nec ſuum hoc delictum celare aut excuſare præſumit, unde in Regis ſui, cui per ſexennium in cubiculo fidelißime inſervierat, indignationem tantam incidit, ut ſtimulantibus invidis et oſoribus, nullus fuerit veniæ locus, quicquid tandem pro culpæ condonatione et redemptione ipſe et illi ſanguine iuncti humilime offerrent; attamen ſperat ſe, divina fretus miſericordia et bonitate, alibi extra Patriam, potißimum vero in $Ser^{mæ}$ $V^{æ}$ Cel^{nis} ſervitio, hanc deplorandæ ſortis adverſitatem virtute et integritate ſua ita ſuperaturum, atque priora illa, fragilitate quadam humana imprudenter commißa, honeſte et fortiter geſtis diluiturum

atque

atque emendaturum, ut tandem, auxiliante divina clementia et Virorum Principum diligenti interceßione apud Regem ſuum culpæ remißionem ſubmiße impetrare atque in integrum reſtitui poßit, maximo omnium conſangvinitate et affinitate ipſi iunctorum, cuiuſmodi ſunt Nobilißimi quique in Regno Daniæ, gaudio et applauſu. Confidimus autem omnes, quotquot eius ſortem ex animo dolemus et ad meliora ipſum reſtitui exoptamus, apud S^{am} Cel^{nem} V^{am} occaſiones et media
2^{v} inventurum, quibus fortunæ aſperitatem mitiget atque $S^{mæ}$ || Cel^{nis} $V^{æ}$ clementißimo favore atque indultu eam vincere et ad potiora emergere poßit. Quod faxit miſericors et omnis boni largitor Deus.

Cæterum $Ser^{mæ}$ Cel^{ni} $V^{æ}$ per dictum ROSENKRANTZIUM ſubmiße mitto duos libros, quos Sacræ $Cæſ^{æ}$ Maieſtati, Domino et Mæcenati meo clementißimo, quam primum Pragam veneram, obtuli, et unâ addo globum quendam cæleſtem e mea inerrantium ſtellarum ac-
† curata et diutino tempore exantlata reſtitutione appoſite conformatum; quæ a tenuitate mea profecta munuſcula, ut S^{ma} Cel^{o} V^{a} clementi animo accipere, et me meaque ſtudia ſibi commendata habere non dedignetur, qua poßum reverentia et ſubmißione oro et obſecro. Valeat Ser^{ma} Cel^{o} V^{a} in $Reipub^{æ}$ ſtabilimentum quam diutißime et florentißime, et ſucceßu contra truculentum Chriſtiani nominis hoſtem per Dei benignitatem felici in poſterum quoque utatur. Dabantur ex Arce Cæſarea Bennaticka die 2. Maij Anni 1600.

Sereniß. Celſ. Veſtræ addictiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria.

[Ex apographo in codice Florentino Archivi publici e collectione Medicea Epist. Concin. vol. 56]

236^{r} ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO DOMINO DOMINO COSMO CONCINO E COMITIBUS PENNÆ ETC. SERENISSIMI MAGNI DUCIS HETRURIÆ APUD SACRAM CÆSAREAM MAIESTATEM ORATORI DIGNISSIMO DOMINO OBSERVANDISSIMO.

ILLUSTRISSIME ET GENEROSISSIME DOMINE.



SIQUIDEM ab Illma Dominatione Veſtra, cum nuper apud ipſam Pragæ eßem, intellexerim negotium de mittendo ad Ser^{mum} Magnum Ducem Hetruriæ etc. filio meo, in hoc tantummodo conſiſtere, an is catholicam Romanam Religionem amplectetur, nec ne; neque enim Ser^{mam} eius $Celſitud^{nem}$ libenter quempiam in ſua Aula habere,

habere, qui a dicta Religione alienus ſit. Ad hoc equidem, quod reſpondeam nihil aliud habeo, quam me de eo polliceri poße: Si Ser^{mus} Magnus Dux eum in ſuam Aulam recipere dignatus fuerit, quod ſe ita geſturus ſit, ut neminem offendat, aut ſcandalizet, ſive quoad religionem ſive alijs in rebus, quemadmodum Nobilem Iuvenem FRANCISCUM TENGNAGLIUM, qui aliquot annis in mea familia fuit, ſe ita, dum Ser^{mæ} Celſit^{ni} eius inſerviret, exhibuiße confido, ut nemo iſthic habeat, in quo iure de eo conqueri poßit. Quod et || pariter præ- 236^{v} ſtitit, dum in Ill^{mi} et R^{mi} Cardinalis a DIETRICHSTEIN Aula aliquantiſper moratus eſt. Si vero Ser^{mæ} ipſius Celſit^{ni} hæc de religione quæſtio aliquid nihilominus ſcrupuli moverit, poßet filius meus unâ cum altero, quem illi adiuncturus ſum, ſtudioſo, in ipſius Ser^{mæ} Celſit^{nis} Academia, quæ Senis eſt, inter reliquos Germanos aliquantiſper degere, ut ſtudioſum illum nonnunquam in obſervationibus Aſtronomicis, iuxta meum præſcriptum, iſthic peragendis adiuvet; oportet enim ad minimum duos eße, interdum etiam tres, qui eo inſtrumento utantur, quod ego illis traditurus ſum. Confectis autem iſthic obſervationibus præcipuis, navigabit ſtudioſus ille in Ægyptum, et facile ibi alios inveniet, qui inſtructi in pluribus obtinendis ibi præſto ſint; quod propoſitum ipſius Ser^{nam} Cel^{nem}, quemadmodum clementißime promiſit, benignißime promoturam mihi perſuadeo. Interim filius manebit iſthic in Italia, donec linguam calluerit, quod intra annui temporis ſpacium fieri poße exiſtimo, ut tunc reverſus Sac. Cæſ^{æ} Maieſtati Domino meo clementiß^{mo} in ipſius Maieſtatis Aula aliquandiu humillime ſerviat.

Hæc ad Ill^{am} Dominat^{em} referenda habui, et qua poßum reverentia Ill^{am} Dominationem Veſtram rogatam habeo, ut a Ser^{mo} ſuo Principe reſolutionem certam, quid hac in re ſperare poßim, vel ſecus, tempeſtive mihi impetrare non || degravetur; ego vicißim omnia mea officiola 237^{r} ipſius Ser^{mæ} Celſit^{ni} et Veſtræ quoque Ill^{mæ} Dominationi ſubmiße defero. Valeat Illma Veſtra Dominatio diu et feliciter. Dabantur ex Arce Cæſarea Benatica, 4 Maij Anni 1600.

Ill^{mæ} Dominationi Veſtræ addictißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[E codice

† [E codice Florentino Bibl. Nat. inter codices Galileianos Part. VI Tom. VII]

42v ADMODUM MAGNIFICO ET EXCELLENTI VIRO DOMINO GALILÆO DE GALILÆIS, MATHEMATICO EXCELLENTISSIMO, AMICO HONORANDO.

41r CLARISSIME et excellentißime Vir; cum hiſce diebus
Pragæ fuißem, atque ibi Serenißimi Principis, Magni
Ducis Hetruriæ, Oratorem apud Sa^{ram} Cæſ^{am} Ma^{tem},
Illuſtrißimum et Generoſißimum Dominum COSMUM
CONCINUM e Comitibus Pennæ convenißem, inter
alia Illuſtriß^{mæ} Dominationis eius humanißima mecum
colloquia (uti ſane eſt Vir eximia comitate, parique doctrina, præter
Generis Illuſtriß^{mum} ſplendorem, admirandus, nec unquam ſatis laudatus) incidit etiam Excellentiæ Tuæ honorifica mentio, ob ſingularem, qua, in Mathematicis præſertim, plurimos alios antecellis, eruditionem. Cumque a tanto Viro tuas dotes etiam deprædicari audirem, ſtimulavit id prius de Excell^{a} T^{a} animo meo conceptam ſententiam, ut non potuerim non has ad ipſam ſcribere, atque ſic amicitiæ noſtræ et ulterioris inter nos per literas correſpondentiæ fundamina ponere.
Quia vero a Nobili Adoleſcente FRANCISCO TENGNAGLIO meo
41v domeſtico, ex Italia huc redeunte, percepi Excell^{am} Tuam ‖ primum
noſtrum Tomum Epiſtolarum Aſtronomicarum perluſtraße, atque in eo nonnulla reperijße, de quibus mecum conferre cuperet, ego certe idipſum nullatenus detrecto, ſed ſi quid fuerit, quod Ex^{a} T^{a} in diſquiſitionem inibi vocare velit, erit id mihi gratißimum, invenietque me ad reſpondendum pro meo modulo quam paratißimum: Sive de Hypotheſi noſtra Cœleſtium revolutionum, quæ Solem centrum facit circuitionis quinque Planetarum, Terram autem, et eam quieſcentem, ſolummodo amborum Luminarium, atque Octavæ, quam vocant Sphæræ, cui aßumptioni apparentias quam optime congruere depræhendi, ut nihilominus tollantur vaſti illi Epicycli, quemadmodum apud COPERNICUM, et Terra in centro Univerſi, quod ille non admiſit, immota maneat (ſunt etiam particularia quædam in hac noſtra inventione, quæ neque iuxta Ptolemaicam neque Coperniceam ſpeculationem tam competenter excuſari poßunt) ſive de Reſtitutione Fixarum Stellarum, ſive de Cometis, quos omnes in ipſo Cœlo curricula ſua abſolvere, contra quam volunt Peripatetici, probo, idque in ſeptem a me
42r diligenter obſervatis demonſtratum relinquo, ‖ ſive de quacunque tandem alia re, cuius in illo libro mentio fit, mecum dißerere Excell^{a} Tua volet, faciat id ingenue pro ſuo arbitrio. Ego vicißim meam ſententiam illi aperire, atque de rebus Aſtronomicis cum ea iucunde conferre non intermittam.

intermittam. Valeat Excell^{a} Tua quam optime. Dabantur ex Arce Cæſarea Benatica Die 4 Maij Anni 1600.

Excellentiæ Tuæ
ſtudioſiſſimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.



ITERAS tuas ex arce Benaticâ 8 die Aprilis ad me datas, Vir nobiliſſime atque Mathematicorum omnium facile Princeps, ſingulari cum lætitia accepi; ex ijs enim perlibenter intellexi, nullas earum, quas ad me miſiſti, id quod unice verebar, vel interijſſe vel interceptas eſſe. Nec eſt quod moram in reſpondendo ulla ratione excuſes; facilius enim plurima et innumerabilia quoque proponuntur, quam vel ad unicum reſpondeatur. Mihi potius adeo frequens iſta reiteratio literarum vitio vertenda foret, ſiquidem alia ratione libros, quos videre petieras, pluresve eorum ſimul unâ ad te tranſmittere potuiſſem. 145^{r}

Inprimis vero lætor, mihique congratulor, me totam illam hypotheſin Lunæ, poſteaquam ea ad apparentias cœleſtes penitius a te tranſformata fuerit, a benignitate et benevolentia tua ſperare et expectare debere. Atque adeo interea temporis ſigillatim aliqua te reſcripturum conſtituiſſe, ex quibus ſententia tua de Lunæ hypotheſi magis eluceſcat. Veriſſimum enim eſſe reor, me præciſius iuſto calculum de Luna inſtituiſſe. Cæterum id a me propterea deditâ operâ et ſummo ſtudio ita factum eſt, ut abſque calculi errore mentem tuam de curſu Lunæ plane lubrico et vario aſſequi poſſem, tametſi verear me nihilominus ſubinde erraſſe. Facies itaque mihi rem gratiſſimam, ſi, dato et conceſſo tibi otio, viam mihi demonſtraveris, qua intimius ſententiam hac in re tuam aſſequi valeam. Abunde enim mihi nunc temporis ſatiſfactum erit, ſi ea, quæ tu ex accuratiſſimis obſervationibus tuis hactenus conſtituiſti, calculo venari ſeu imitari queam.

Libros illos, quos ex Bibliotheca Ser^{mi} Principis mei ad te tranſmiſi, curabo, ut Ser. Clementiæ ſuæ Agens, cum is in aulam Imperatoriam redierit, ſub indice et deſignatione eorum recipiat et mihi remittat. Manuſcripta illa, quæ CYPRIANUS LEOVITIUS ἀνέκδοτα reliquit, per intermedias perſonas petieram et quidem inſtantiſſime efflagitaveram,

veram, ſed fruſtra et incaßum laboravi, oleumque et operam perdidi, ideoque captata occaſione me ipſe Auguſtam contuli, et præſens coram ea ab Generoſo Domino PHILIPPO EDUARDO FUGGERO Barone etc. petij atque impetravi; ea itaque tibi mittam, quam primum ſecuram aliquam rationem mittendi perquirendo inveſtigare potero. Carmen quoque tibi mittam brevi, quod, uti ſpero, non diſplicebit. Atque hiſce me tibi officioſißime commendo. Datæ Monachij 4 die Maij A. 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD CHRISTIANUM SECUNDUM, ELECTOREM SAXONIÆ.

116r ILLUSTRISSIME ET INCLYTE PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.



UM Illuſtrißima Celſitudo Veſtra me, licet peregrinum et de facie ignotum, ſuas Ditiones, quas adminiſtrat, tranſeuntem, Clementißimo alloquio dignata ſit, et torque aureâ cum ſuâ effigie donârit atque denuo Torgæ, dum in itinere eßem Bohemico, ad ſe in Arcem invitârit, non poßum non hanc Illuſtrißimæ Celſitudinis Veſtræ erga me, nihil eiuſcemodi promeritum, benignißimum favorem humilime agnoſcere atque recolere. Cumque me imparem fatear ad quippiam, quod tanto Principi vicißim gratum ſit, præſtandum, id ſaltem ſubmiße polliceri poßum, me ſemper huius Clementißimæ erga me voluntatis et beneficentiæ, quam apud ipſam expertus ſum, quoad vix-
116v ero, ‖ memorem futurum, atque apud alios deprædicaturum. Verum enimvero ne prorſus meo officiolo defuiße videar, licet, uti dictum, longe inferior ſim, quam ut remunerationis loco pro benignißimis ſuis erga me meritis retribuere quid valeam, ne tamen omninô ingratus atque horum immemor videar, ex tenui penu, quæ pro meo modulo poßum, depromo atque ad Illuſtrißimam Veſtram Celſitudinem per Dominum Doctorem IESSENIUM, in inclyta Veſtræ Cel^{nis} Academia Wittebergæ Profeßorem, meum, dum aliquamdiu iſthic morarer, hoſpitem, me hîc in Bohemiâ proximis diebus inviſentem, humilime mitto, nimirum de Inerrantium Stellarum accurata reſtitutione lib-
117r rum, plurimorum ‖ Annorum ſtudio et labore partum, atque unâ Globum Cœleſtem, in quo Affixæ Stellæ iuxta hanc ipſam a nobis exantlatam verificationem operâ cuiuſdam artificioſi Batavi in Inſula prioris meæ habitationis Uraniburgica, Regni Daniæ, Patriæ noſtræ, ſolerter et accurate, quantum hæc fert Mechanicæ Sphæræ magnitudo, repræ-
† ſentatæ ſunt. Oroque Ill^{mam} V^{ram} Cel^{nem} debitâ ſubmißione et reverentiâ,

rentiâ, ut hæc munuſcula ab homine Ill^{mæ} V^{ræ} Cel^{nis} obſervantißimo profecta non aſpernari velit, ſed Clementißimo animo ſuſcipere atque me in poſterum etiam ſibi commendatum habere non dedignari. Pluribus Ill^{mam} V^{ram} Cel^{nem}, gravißimis || ſuarum Ditionum adminiſtranda- 117^{v} rum curis occupatam, interpellare nolo, neque enim decere arbitror de privatis meis rebus ad Ill^{mam} V^{ram} Cel^{nem} quippiam perſcribere, quas tamen ſi Illma V^{ra} Cel^{do} aliquatenus cognoſcere non degravatur, a prænominato Doctore IESSENIO percipiet, quantâ Clementiâ et benignitate Auguſtißimus et Potentißimus Imperator RUDOLPHUS, Dominus noſter Clementißimus, me ſubiectißimum ſuum clientem hîc ſuſceperit, et ſtudia mea, quæ diu multumque molior, Aſtronomica, præ ſuſpiciendâ et nunquam ſatis laudatâ ipſius Sacræ Cæſ^{æ} Ma^{tis} erga omnes liberales Artes, inprimis vero Mathematicas, affectione et favore Clementißimo, fovere et promovere dignata eſt, rem hanc a ſummo, quod gerit in terris, officio non alienam neque ſe indignam cenſendo.

Deus opt. Max. Univerſi author, ipſius Cæſ^{am} Ma^{tem} in totius Reip^{æ} Chriſtianæ et bonarum literarum tutelam atque propagationem quam diutißime nobis incolumem conſervet, cui etiam æviterno Numini Divino Ill^{mam} Veſtram C^{nem} unâ cum Illma coniuge et liberis inclytis toto pectore pariter commendo: in quo etiam ut I^{a} C^{o} V^{a} vivat, valeat et floreat diutißime, optime, proſperrime, ex animo precor. Dabantur ex Arce Cæſareâ Benaticâ Die 6 Maij ſtylo novo Anni 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD RUDOLPHUM CORRADUCIUM.

ILLUSTRIS ET GENEROSE VIR, DOMINE OBSERVANDISSIME. 118^{r}



UM rumor hîc nuper increbuißet, Sacram Cæſ^{am} Ma^{tem}, Dominum noſtrum Clementißimum, Pragam ſub initia modo elapſæ hebdomadæ redituram, et unâ cum ea veſtram Ill^{em} Dom^{nem} ibi affuturam, mox eo excurrens nihil magis in votis habui quam veſtram Ill^{em} Dom^{nem} coram intueri et officioſißime compellare, prout magno eius rei deſiderio diu flagravi. Et licet ſpe hac nunc fruſtratus ſim, id tamen propediem meliori ſucceßu futurum confido. Interim domeſticum illum meum, qui prius Pilſnæ fuit, iſthuc ad veſtram Ill^{em} Dom^{nem} denuo ablego. Et quoniam FRANCISCUS TENGNAGLIUS noſter, qui meo nomine veſtram Ill^{em} Dom^{nem} ibi convenit, mihi, cum in procinctu eßet ſui iſthinc in Patriam abitus, per literas fiduciam fecit de nonnullis, quæ

quæ Sacra Cæſ^{a} Ma^{tas}, interceßione Illuſtris Dominationis veſtræ, mihi Clementißime indulſit, quorum tamen necdum, ob alias intervenientes remoras, compos factus ſum: idcirco Ill^{em} Dom^{em} veſtram, qua poßum reverentia rogatam habeo, velit, quatenus per alias ſuas gravißimas occupationes licet, ut ea executioni committantur, efficere non degravari, inprimis vero quod Prædium illud hîc in veteri Ben-
118^{v} naticka mihi Clementißime ab ipſius Cæſ^{a} Ma^{te} deputatum ‖ (illud enim necdum, licet anni tempus eius culturam urgeat, accepi) ſi itaque Ill^{ris} Dom^{o} veſtra ad Capitaneum Brandeiſenſem hac de re pauculis ſcribere atque ei ex Clementißimo Sacræ Cæſ^{æ} Ma^{tis} mandato ſerio iniungere, ut Prædium mihi hoc abſque diuturniore dilatione aut apud alios ſolicitatione tradat, non dubito, quin is ſit obtemperaturus: tum quoque ut veſtra Ill^{ris} Dom^{io} de ædificijs his Benaticenſibus pro Inſtrumentis meis parandis, et ſi quæ ſunt alia huc facientia, quatenus fieri debeant vel ſecus, ut eorum ſtructura diu iam neglecta compleatur, proviſionem [com]petentem facere velit. Omnia enim hîc nimis lente et difficulter procedunt, nec habeo commoda loca, in quibus organa mea Aſtronomica, ubi huc Magdæburgo et Hamburgo adlata fuerint, reponam, quo ab iniuria aëris et pluviarum tuta ſint. Sed de his atque alijs, quæ neceßitas cogit me ad veſtræ Ill^{ris} Dom^{is} opem et promotionem confugere, is, quem nunc denuo mitto, plenius [per] oportunitatem exponet. Nolo itaque Ill^{rem} Dom^{em} veſtram alijs quam plurimis gravißimis Reipub. curis diſtentam hiſce remorari. Deus Opt. Max. eam quam diutißime feliciter valere et florere faciat. Datæ ex Arce Benaticka die 6 Maij Anno 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

120^{r} MAGNIFICO ET NOBILISSIMO VIRO, DOMINO IOHANNI BARVITIO, SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS SECRETARIO SUPREMO ET A CONSILIJS INTIMIS, DOMINO ET AMICO HONORANDISSIMO.

119^{r} MAGNIFICE ET NOBILISSIME VIR, DOMINE ET AMICE HONORANDISSIME.



UONIAM ea, de quibus Mag^{a} V^{a} mihi per domeſticum meum, quem ultimo Pilſnæ habui, ſpem fecit, brevi effectum exoptatum habitura, adhuc infecta hæreant, et fruſtra hac præterlapſa ſeptimana cum Sacra Cæſ^{a}Maieſtate, Domino noſtro Clementißimo, V^{æ} Mag^{æ} acceßum a multis pariter ſperatum per aliquot dies Pragæ expectarem, cogor denuo (ſiquidem res ulteriorem moram vix patiatur, et incertus ſim, quam cito S^{a} Cæſ^{a} Ma^{tas} eo redire decreverit) eundem

familiarem

familiarem ad vos amandare, ut ſi per alias multiplices occupationes fieri nunc commodius quam antea poßit, plenariam aliquam reſolutionem obtinere queam, quod Mag^{æ} V^{æ} favorabili interceßione me impetraturum confido. Quænam vero illa ſint, de quibus ‖ adhuc ſollici- 119v
tus detineor, is, quem amando, V^{æ} Mag^{æ} rectius et plenius, quando ipſum audire commodum fuerit, exponet, ut non opus ſit multis verborum ambagibus, eam alias occupatißimam hiſce literis ulterius interpellare. Rogo autem Mag^{am} V^{am} officioſe, quemadmodum ſemper ſua benevolentia mihi præſto fuit, ſic etiam nunc non deeße velit. Inveniet me ſemper pro mea tenuitate eius vicißim ſtudioſißimum et obſervantißimum. Valeat Mag^{a} V^{a} quam diutißime et quam ‖ felicißime. 120r
Dabantur ex arce Benaticka die 7 Maij Anni 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

NOBILI ET CLARISSIMO ERUDITISSIMO- 121v
QUE DOMINO IOHANNI IESSENIO A IESSEN, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI ET PROFESSORI VITEBERGENSI PUBLICO, AMICO SUO SINCERE DILECTO.

S. 121r

LOBUM, quem Illuſtrißimo Principi tuo deſtinâram, nunc ad te mitto, amantißime Domine IESSENI, ut tuam rectius redimam iſthic fidem (ſi quid de eo iam ante acceßum ſcripſiſti) quam tu propriam apud me, in eo, quod te huc rediturum pollicitus es, licet iam id ignorare ais atque detrectas. Addidi librum de Fixarum reſtitutione accuratißima viginti Annorum indefeßo labore exantlata, eumque in membranam exaratum, tum pariter Electori Saxoniæ (cui Celſitudini inclyto unâ ſcripſi) meo nomine humilime a te adferri cupio, ut habeat eius Celſitudo Canonicam Stellarum expoſitionem in promptu, ſi forte aliquando maiorem globum confieri curare velit. Exoptarem autem hunc Abacum ſtelliferum, cuius ſimilem priora ſecula (abſit invidia dicto) vix viderunt, ipſius Celſitudo ſibi ſoli reſervare velit, nec alijs communicare, ne ſint, qui noſtra inventa ſibi arrogent atque ijs abutantur, prout aliquoties mihi in alijs quibuſdam contigit. Habes etiam hîc Mechanicæ Aſtronomiæ exemplar Magnifico Domino Cancellario Veſtro ex me, præmißa officioſa ſalutatione, porrigendum. Subſcripſi ſaltem nomen meum, tu titulum eius, quem non ſatis perſpectum habeo, ſuperius appone, et librum, ſi ſic lubet, compingi effice, antequam illi exhibeas. Adiunxi inſuper literas ad nobilißimum Virum, Dominum

GEORGIUM

GEORGIUM a WOLFRAMSDORF, Cubicularium eiuſdem Principis, quas illi tradas velim. Habet præterea [DANIEL?] ſecum exemplar pro Illuſtri Domino Cancellario Bohemico, quod illi exhibere vellet, ubi convenienter ligatum fuerit. Sic ſatis ſuperque obtines ea, quæ tibi redeunti committere in me recepi. Tuum eſt, ſi promißi memor eße velis, ea, quæ a Domino MECKERO expiſcanda tibi concredidi, ad me per literas ante abitum referre, et Procuratorem illum, de quo ſcis,
121v huc ad me dirigere, || ita ut cum DANIELE revertente accedat. Tu vero, mi IESSENI, feliciter domum redi, atque quam optime vale. Dabantur ex arce Cæſarea Benatica die 7 Maij Anno 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

122v
DEM EDELEN, GESTRENGEN VNDT EHRENUEHSTEN GEORGEN VONN WOLFRAMSDORF, ERBSESSEN VFF VOLLMERSHAIN ETC., FURSTLICHEN SECHSISCHEN CAMMER IUNGKHERN ZUE TORGAW, MEINEM INNSONDERS GUNSTIGEN VNDT GUETEN FREUNDT.

122r EDLER, Geſtrenger, Ehrenuehſter Innſonders günſtiger vndt guetter Freundt, Dem Herrn ſein meine willige gefliſſene dienſte hier wiederumb nach Vermögen zuuor. Vndt wann es demſelben glücklich vndt wohl ergienge, wehre es mihr gantz lieb vndt angenehm zuerfahren. Deß Herrn an mich gethanes ſchreiben, *ſub Dato* Torgaw den 3 *Martij,* habe ich vonn dem H. *Doctore IESSENIO* wohl empfangen, durch welchen ich auch den herrn hienwieder mit einen ſchreiben freundtlich zuerſuchen nicht hab vndterlaſſen können. Belangende meinen vndt der Meinigen Zueſtandt alhier inn Konnigreich Behemen, iſt derſelbige vndter Ihr Kayſ. May. Vnſers allergnedigſten herrn, gnedigſten ſchutz vndt Gottlob inn guetten weſen, wie der herr mitt mehren Vmbſtanden vonn dem obgedachten herrn *Doctore IESSENIO,* vnſerer beider gueten freundt, vernehmen kan. So ich alhier dem herrn im Kayßerlichen hof oder ſonſten etwas dienſtlich ſein kondte, wil ich allzeitt nach meinen Vermögen willig darzue erfunden werden. Von Newer Zeittung weiß ich nichts ſonderlichs zueſchreiben; allein das man ſagt, das der Türck ſich gar ſtarck, vndt noch mehr als zuuor, ruſte. Vnſer gnedigſter Kayßer iſt noch nicht vonn Pilſen gen Prag wieder ankommen; Man verhoffet aber, das Ihr Maieſtet mitt dem

dem ehrſten wieder alda ſein werde; vndt ſeindt die Muſcowiteriſchen geſandten, als mann vermeinet, ‖ auch dahien gefodert, alda ihr gentz- 122v liche abfertigung zueerlangen. Mann iſt auch etzlicher anderer geſandten der deutſchen Fürſten alda Vermuthen. Diß habe ich alſo dem herrn vff ſein ſchreiben wiederumb zuerkennen geben wollen. Vndt thue vns hiermitt ſambtlichen dem Allmechtigen Gott inn ſeinen Vätterlichen Schutz vndt beſchirmung trewlich befehlen. *Datum* vff dem Kayß. Schloß Benatky den 8 *Maij Anno* 1600.

D. H.

Allzeitt Dienſtwilliger

[E codice Basileensi G I 23] †

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO, 55v

DOMINO TICHONI BRAHE, VIRO INCOMPARABILI.

IN ARCE CÆSAREA BENATICA.

NOBILISSIME ET AMPLISSIME 54r

DOMINE.

RES iam ſeptimanæ abierunt, ex quo redditæ mihi ſunt litteræ, quas ad me dediſti IX Martij. Sed neque eas accepi, quas memoras datas ſub finem anni ſuperioris, neque FRANCISCUM TENGNAGLIUM vidi, quem a te tanto viro commendatum, omnibus fuißem officijs proſecutus. Non gravaberis itaque repetere, et quæ illis litteris erant explicata, et quæ huius fidei commiſeras. Me certe, magno tuo merito, habebis ad omnia, quæ quidem erunt meæ poteſtatis, ſemper paratißimum. Nec addo plura: mandata tua expecto cupide. Tuas in poſterum ad me tuto poteris committere bibliopolæ ei, qui CLAUDIJ MARNIJ WECHELIANI officinæ præeſt Pragæ.

Vir Nobiliß. Deus te ſervet incolumem. Francofurto ipſis Kal. Maijs 1600.

Nominis tui ſtudioſißimus

BONGARSIUS.

[E codice Basileensi G I 35]

† TYCHO BRAHE AD ANONYMUM.

123^{r} ILLUSTRIS ET GENEROSE VIR, DOMINE OBSERVANDISSIME.

E ijs, quæ nuper ad Illuſtrem Dominationem Veſtram per meum, quem iſthuc ablegavi, domeſticum perſcripſi et referri volui, nunc pluribus non agam, ne eadem repetendo ei nimium moleſtus videar, ſperans nihilominus, Illuſtrem Dom^{em} Veſtram deſiderijs meis lubenti animo annuituram, atque ut res optatum finem ſortiatur, effecturam. Verum aliud quid incidit, de quo nunc Dominationem Veſtram reverenter et obnixe rogandam duxi. Venit hiſce diebus huc e Dania quidam Generoſi Stemmatis Iuvenis, e ſplendidißima et antiquißima ROSENKRANTZIORUM familia iſthic oriundus, FRIDERICUS nomine, qui Regis per ſexennium Cubicularius fuit. Is militiam aliquandiu ſequi et in ea ſe exercere in animum induxit, et primum Serenißimo Principi, Archiduci Auſtriæ, Domino MATTHIÆ, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Domini noſtri clementißimi, fratri, aliquantiſper in aula ipſius Celſitudinis humilime inſervire cupit, ut paulatim addiſcendo mores et conſuetudinem earum regionum in bello Ungarico poſtea inter equitatus exercitum locum oportunum pro ſe et ſibi inſervientibus aliquot equitibus obtinere poßit. Quare cum dictus ROSENKRANTZIUS mihi non ſaltem conſanguinitatis iure iunctißimus exiſtat, ſed et ab intimis in patria noſtra eius de caußa per literas rogatus ſim, ut, quantum in me eſt, conatus ipſius promovere laborem, idcirco ad Illuſtrem Generoſitatem Veſtram confugio atque ab ea quam officioſißime peto, ut illi literas ad Serenißimum Auſtriæ Archiducem, Dominum MATTHIAM, interceßorias procurare non degravari velit, quo eo facilius et promptius in eius Celſitudinis aulicum ſervitium recipi et poſtea in Ungaria contra Turcas militare et ſuam fortunam experiri queat, ſicque virtutis bellicæ laude, ad quam ſtrenue aſpirat (utut aliâs non ſaltem genere clarus ſit, ſed et in literis bene verſatus, ſimulque Latinæ, Italicæ, Gallicæ et Hiſpanicæ linguæ, præter Teutonicam et vernaculam, gnarus) ornatior ad ſuos aliquando redeat, et Patriæ eo magis in poſterum uſui eße poßit. Sed quia de Illuſtris Dom^{is} V^{æ} erga me ſingulari benevolentia, quam aliâs ſatis perſpectam habeo, nihil addubitem, eam etiam hac in parte meæ expectationi non de-
123^{v} futuram confido. Ideoque illam aliâs occupatißimam || ulterius remorari deſino. Deus Opt. Max. Illuſtrem Dom^{em} Veſtram quam diutißime ſoſpitem conſervet. Dabantur ex arce Cæſarea Benaticka die 15 Maij Anno 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO 128v
VIRO, DOMINO IACOBO MONAVIO, PATRITIO VRATISLAVIENSI, ILLUSTRIS DUCIS SILESIÆ CONSILIARIO DIGNISSIMO, AMICO SUO INPRIMIS HONORANDO.

S. P. 128r



UAS circa Martij medietatem ad me dediſti literas, Excellentiß. Domine MONAVI, amice inprimis honorande, eas nuper accepi, cum autem non ſuppeteret certus tabellarius, reſponſionem hucuſque diſtuli, quam etiam nunc accurtare cogor, ſiquidem plurimis alijs diſtrahar negotijs, nec tamen per internuntium hunc ſponte ſeſe offerentem occaſionem datam negligere lubuit. De Typographo itaque veſtro ſic habe: Videtur is plus iuſto poſcere, cum Witebergæ vel Lipſiæ longe minori pretio mea excudi poßint, ubi etiam id effici curabo, ſi propria mea typographia huc ſatis mature non advenerit.

Domino Doctori FISCHERO brevibus, prout hæc otij penuria exigit, reſcripſi, ut gratum ipſius in me ſtudium mihi eße cognoſcat. Si literas illas SCULTETUS noſter ad eum non direxerit, ſed ad te pervenerint, ut illi per oportunitatem mittantur, provideas quæſo.

Libros Witichianos me iam facilius obtenturum exiſtimo, quam dum tenax et difficilis eius ſoror vixit. Non tamen omnes cuperem, ſed ſolummodo eos, quos in appoſita ſcheda ex relatione veteris mei domeſtici, M. CHRISTIERNI LONGOMONTANI, tibi noti, qui mecum nunc eſt, denotavi. Si tamen ſeparatim inde nihil relicti pupilli tutores divendere voluerint, me de iuſto omnium precio certiorem redde, aut, ſi fieri poßit, ſolummodo ‖ eorum, quos conſignavi. Sin vero omnino 128v
renuerint inde quippiam diſtrahere, da ſaltem operam, ut tua interpoſita fide eos, quos maxime vellem, per pauculas ſeptimanas mutuo obtineam; reſtituam ad præfinitum tempus integre et inviolate.

Ad Dominum DANIELEM BUCRETIUM, quem memini me ſemel atque iterum olim in Inſula noſtra Uraniburgica inviſiße, literas etiam dedi, de obſervationibus, ſi quæ ſuperſunt, ab hæredibus illius, qui aliquando apud vos fuiße dicitur, Aſtronomi impetrandis, quas velim illi tradi, et reſponſum mature urgeri.

Cum ante paucos dies hîc mecum fuißet Generoſus Baro CAROLUS de WARTEBERG, catalogum librorum totius Bibliothecæ optimæ recordationis Domini ANDREÆ DUDITHIJ mihi inſpiciendum dedit, qui etiamnum penes me eſt, illi reſtituendus, cum inſtantibus diebus feſtis eum, prout ab eo rogatus promiſi, in ſua arce 7 miliaribus

aribus

aribus hinc diſtante D. V. inviſero. Optarem itaque, ut interea ab hæredibus, ſive per te ipſum, ſive alium aliquem, expiſcari velis, an aliquos ex ijs, qui mihi maxime arriſerunt, videndi copia concedi poßit, et an ſeparatim nonnullos venundare velint; vix enim emptorem pro univerſa Bibliotheca invenient. Si id, quod deſidero, fieri poße, a te intellexero, mittam deſignationem eorum, quos potißimum expeterem, quod et nunc fecißem, niſi otij penuria omnium plenariam perluſtrationem impedivißet.

Cæſar necdum Pilſna Pragam reverſus eſt, neque certo conſtat, quam cito id fiet; ſperamus tamen ſtatim a Pentecoſtes feſto ipſius Maieſtatem adventuram. Aderunt etiam tunc aliquot, uti aiunt, Germaniæ Principum Legati. De rebus Ungaricis nihil nobis hîc innotuit, quod non pariter ad vos relatum exiſtimem.

Anglici et Danici Legati nunc Embdæ conveniunt, res magni momenti invicem tractaturi, de quibus ſi inter eos non convenerit, periculum eſt, ne dißenſio illa bellum pariat, quod tamen Deus avertat, cui te tuaque omnia commendo, in quo etiam ſanus vale et vive cum omnibus. Dabantur Benaticæ 16 Maij A. 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

130r

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO,
DOMINO TOBIÆ FISCHERO, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI EXIMIO, AMICO SUO INPRIMIS DILECTO.

129r CLARISSIME et præſtantißime vir, accepi quidem literas tuas unâ cum carminibus in mei gratiam a te eleganter et erudite concinnatis, antecedente anno, cum primum Pragam venißem, a Domino Doctore SWALBIO, communi noſtro amico, mihi redditas, tum quoque alteras hoc ipſo anno Menſe Martio ad me datas. Verum quod hactenus neutris reſponderim, velim occupationum mearum multitudini, quodque varie interea partim locorum mutationibus, partim alijs impedimentis diſtractus fuerim, tribuas, meque pro tuo ſingulari candore excuſatum habeas. Fuerunt ſane utræque illæ literæ mihi longe acceptißimæ, nam præter inſignem humanitatem pari eruditioni coniunctam, quæ inde ſatis ſuperque elucebat, eximium etiam et ſincerum erga me, licet de facie tibi ignotum, amorem et animum candoris integerrimi refertißimum affatim oſtendebant, pro qua tua in me ſincera, licet antea nihil tale a te promeritum, benevolentia tibi gratias habeo quam maximas, et te vicißim intime diligere, atque in

 amicorum

amicorum, quos ſelectiori albo inſcribo, annumerare non deſinam, daboque operam, ne te certâße priorem pœniteat.

Cœterum quod ad carmina illa tua, quæ etiam mihi longe gratißima erant, attinet, velim, ut in meliorem partem accipias, quod paucula quædam in ijs alterârim, prout metri illius genus poſtulare videbatur ſecundum eos criticos, qui libertatem illam, qua tu nonnunquam uſus es, curioſitate quadam non facile admittunt. Quid vero pauculis in locis mutatum ſit, carmen illud denuo exaratum et excellentiß. Domino MONAVIO (ſi recte memini) tranſmißum patefaciet. || Neſcio 129v tamen, an ultimus verſus iſthic ita tranſformatus ſit, prout poſtea (ni fallor) incidit, qui ſic habet:

Gloria vana rudis vulgi, laus una placere
Bonis, malorum negligere calumnias.

Laudo ingenium tuum, laudo venam mellifluam et delicatam, et ſi plura eiuſcemodi aut etiam alio carminis modo per otium luſeris mecumque communicaveris, erit id mihi gratum, eaque prioribus adiungam. Coacervo multorum excellentium Poëtarum mea de cauſa, poſtquam patria exceßi, exarata Poëmata, donec libellum aliquem mediocrem adimpleverim; videbis ſuo tempore ſylvulam.

Opera mea Aſtronomica tibi impertiri necdum licet, ea enim ad manus non habeo, nam ſunt inter res meas, quæ adhuc Magdeburgi reſervantur, brevi tamen ex clementißima voluntate Cæſaris huc advehenda, neque etiam omnia, quæ typis prius inchoata habeo, plane ad colophonem deducta ſunt, ob eam, quæ mihi in Patria evenit, ſtudiorum conturbationem. Spero tamen, me, favente divino Numine, cuius proviſu Cæſarea Maieſtas e tanto naufragio hunc portum, tantiſque turbulentijs hoc otium benignißime mihi indulſit, ea, quæ deſiderantur, propediem abſoluturum, et plura additurum; tunc te voti compotem haud invite reddam, interea morulam intervenientem || pro 130r tuo candore in meliorem partem accipe.

Globi MERCATORIS, de quibus ſcribis, iam ferme antiquati ſunt, vixque, quod ſciam, reperiuntur exemplaria. Duo talium parandorum artifices Batavi, quorum unus Amſterodami IACOBUS FLORENTIUS, alter Alcmariæ WILHELMUS IANUS nominatus, globos ſecundum noſtram in fixis ſideribus reſtitutionem diligenter elaborârunt. Quorum poſterior dimidium annum mecum in Inſula noſtra Uraniburgica fuit, atque ibidem ſtellas ſuo, quod attulit, globoſo corpori, me circiter millenas illi concedente, inſignivit. Si aliquam ex his nanciſci poßes reformationem, diceres MERCATORIS vel aliorum globos, ex erroneis ſtellarum canonibus, non autem cœlitus verificatis locis, conformatos, ijs non æquiparari poße. Neſcio, an Francofurtum

hi

hi neoterici advehantur, ſed ſi Bohemiam aliquando ingreßus me inviſeris, exemplum monſtrabo, tunc ſimul alia, quæ penes me elaborata habeo, ſiquidem te etiam his ſtudijs affici videam, lubens oſtendam, tecumque de talibus iucunde conferam. Vale. Dabantur ex arce Cæſarea Benatika 16 Maij A. 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

131v CLARISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO, DOMINO DANIELI BUCRETIO, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI EXIMIO VRATISLAVIÆ DEGENTI, AMICO SUO INPRIMIS DILECTO.

131r S. P.



LARISSIME et præſtantißime vir, vetus illa inter nos, cum me in Inſula prioris habitationis Uraniburgica, dum in iuventute peregrinareris, ſemel atque iterum inviſiſti, contracta notitia, cuius te adhuc memorem eße non dubito, efficit, ut eo liberius hoc tempore ad te ſcribam, præſertim cum aliquid inciderit, in quo tua opera mihi uſui eße poßit, quod et te mihi non denegaturum, ſingularis tua humanitas et erga me, prout a M. CHRISTIERNO LONGOMONTANO, qui ante biennium apud vos fuit, et nunc apud me eſt, intellexi, benevolum ſtudium, alias etiam mihi perſpectum, fidem facit. Eſt autem eiuſcemodi.

Retulit mihi priori anno excellentiß. vir, Dominus D. HIERONIMUS TREUTLERUS, cum ſimul Pragæ eßemus, Vratiſlavij aliquando fuiße Aſtronomiæ vel etiam Aſtrologiæ iudiciariæ impenſe addictum virum, quem obſervationes quaſdam in motu Aſtrorum obtinuiße aiebat, quas etiamnum filius eius ſecum reſervârit. Quare te per veterem noſtram amicitiam rogatum cuperem, ut a filio illo vel alijs hæredibus mihi obſervationum illarum, quotquot adhuc in promptu ſunt, copiam impetrare velis. Etſi enim vix credere queam, eas ad tantam præciſionem deductas eße, quantam ego in talibus requiro, et rei inquirendæ ſubtilitas per ſe poſtulat, cum idoneis organis proculdubio deſtitutus † fuerit, tamen qualeſcunque tandem ſunt, eas obtinere averem. Eſt ali- 131v quid prodire tenus, ſi non datur ultra. || Si itaque id, quicquid eſt obſervationum, ad mundum accurate deſcriptum, tua interceßione et diligentia conſecutus fuero, officium, quovis alio, quantum per me licet, compenſandum, mihi hac ratione præſtiteris. Vale. Plura enim ob aliarum occupationum molem nunc non vacat. Salutat te ſupra-

dictus M. CHRISTIERNUS officioſe, et pro priſtinis illi, cum apud vos eßet, beneficijs, non ſaltem is, ſed et ego, gratias agimus. Scripturus eſt ipſemet tibi, cum rectius vacârit. Iterum quam felicißime vale. Datæ ex arce Cæſarea Benatika 16 Maij A. 1600.

[E codice Vindobonensi lat. 10703 foll. 151—152; cf. cod. Vindob. lat. 10686^{38} foll. 4—5]

TYCHO BRAHE AD IOANNEM KEPLERUM.

EGO TYCHO BRAHE de Knudſtrup et Uraniburg in Regno Daniæ, nunc vero Sacræ Cæſ^{æ} Ma^{tis} cliens in arce Bohemiæ Bennaticha habitans, notum facio omnibus et ſingulis haſce litteras inſpecturis, cuiuſcunque ſtatus, dignitatis et conditionis fuerint, earundem exhibitorem, ornatißimum et eruditißimum virum M. KEPLERUM, Ill. Ducatus Styriæ Statuum Mathematicum, hoc labente Anno Epochæ Chriſtianæ 1600 ab initio menſis Februarij uſque ad finem Maij, per quatuor nimirum intercedentes menſes pro maiori parte hîc in dicta Cæſaris arce Bennaticha mecum fuiße, ſeque interea in meo convictu honeſte geßiße et apprime diligentem operam in exercitijs et ſtudijs Aſtronomicis præſtitiße, intermediantibus meis iuſtæ magnitudinis et conformationis inſtrumentis et obſervationibus multiplicibus atque diutinis, mutuaque inter nos de talibus atque alijs ad Philoſophiam facientibus collocutione: ut omnino mihi perſuadeam, illum id temporis non minus frugifere hîc collocaße, quam ſi interea domi deſedißet, imo ſi abſque invidia id affirmare liceret, longe utilius. Quo nomine etiam eius præſentia et converſatio mihi imprimis grata extitit, multoque adhuc gratior futura, ſi eadem in poſterum ſæpius et diutius concedi poterit.

Quapropter omnibus illuſtribus, præſtantibus et cordatis viris prænominatum M. KEPLERUM de meliore nota quam commendatißimum eße cupio, utque eius laudabile propoſitum et conatus egregios in hac ſublimi et a vulgi captu ſemota ſcientia ulterius et plenius excolenda adiuvent et promoveant, quibus poßum precibus obnixe et officioſe rogo atque obteſtor: fecerint ſic meo equidem iudicio Reipubl. litterariæ, præcipue vero divinæ illius Aſtronomiæ totiuſque eruditæ Matheſeos alumnis rem admodum utilem atque acceptam, quin et non ſaltem ipſi M. KEPLERO commodam, ſed et mihi ob conformia ſtudia longe gratißimam, ac quocunque per me licuerit officio vicißim compenſandam et obſequioſa mente perpetuo recolendam. In quorum omnium evidentiorem et pleniorem teſtificationem ſigillum meum

appoſui

appoſui et propria manu ſubſcripſi. Actum in arce Cæſarea Bennaticha inchoante menſe Iunio Anno 1600.

TYCHO BRAHE,
manu propria.

† [E codice Basileensi G I 23]

62v MAGNIFICO NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO D. TYCHONI BRAHE, MATHEMATICORUM SECULI NOSTRI ET PRÆSERTIM APUD SACRATISSIMAM CÆSAREAM MAIESTATEM PRINCIPI, DOMINO ET AMICO SUMME OBSERVANDO.

BENNATICÆ BOHEMORUM.

61r MAGNIFICE Domine TYCHO, Vir præſtantißime: Non vulgari lætitia fui affectus, quando mihi redditæ ſunt literæ tuæ XVI Maij ſcriptæ, e quibus libentißime cognovi, meas, quas menſe Martio ſcripſeram, rectâ perveniße in manus tuas. Eram enim de ijs nonnihil ſollicitus, poſtquam mißæ fuerant ad illum, quem Pragæ non invenerant.

Ad typographum noſtrum quod attinet, facile poteram cogitare hoc ipſum, quod contigit: nimirum te pretio magis æquo poße alicubi locorum curare tua inprimenda, quam apud nos, ubi non ſunt omnia ſic expedita et in promptu. Boni tamen conſules meum ſtudium qualecunque gratificandi tuis poſtulatis et deſiderijs: opto ex animo, ut in re alia poßim tibi probare meum animum tibi deditißimum.

Ad Doctorem BUCRETIUM quod attinet: is te amanter, diligenter et officioſe rogat, et pro mißis literis humaniß. magnas agit gratias. Bene te iubeo ſperare et de Wittichianis reliquijs et de chartis alterius illius, qui quondam apud nos vixit, Aſtronomi. Utroque loco hanc rem tanta et fide et diligentia et tam accurate et ſedulo egit et adhuc agit, ut non dubitem nos habituros, quod optamus. Non voluit nunc reſpondere literis tuis, quod confidat ſe propediem reipſa votis tuis ſatiſ-
61v facturum: modo parvam moram ‖ æquo feras animo, quod ut facias, magnopere te rogatum volo.

Domino Doctori FISCHERO, Viro certe opt. et doctißimo, gratißimæ fuerunt literæ tuæ, daturo modis omnibus operam, ut ſuam tibi fidem et diligentiam omni, quod a ſe præſtare poterit, officio probet. Nec te ſpero unquam pœnitebit tuæ in ipſum benevolentiæ.

De Bibliotheca Duditiana, quæ mihi eſt notißima, velim mihi credas. Eam nunc velut inter cœlum et terram pendere, poſtquam ab hæredibus DUDITIJ non poßidetur, ſed alteri cuidam pro certa pe-

cuniæ

cuniæ ſumma non tam vendita eſt quam oppignorata. Iacet nunc miſera apud nos in domo quadam, et non aliter iacet (vidi enim aliquoties) quam ſolent apud nobiles iacere acervi frumentorum: neque in illam plenum ius habet Emtor neque etiam venditor. Res plane intricata eſt, et metuo, ne libri iſti magnum aliquod et irreparabile damnum accipiant.

Dictum mihi eſt nuper ab amico quodam, inſtrumenta tua Mathematica non levi iactura fuiße per vim ventorum et tempeſtatum in arce iſtac tua affecta. Si ita eſt, admodum tibi condoleo. Dubito tamen, an ſit, cum tu nullam eius rei mentionem facias.

Magnificus huius urbis et Ducatus Capitaneus, Dn. ABRAHAMUS IENGTIUS, olim ſummi noſtri WITICHIJ, dum viveret, patronus, tui amantiß. et ſtudioſißimus, magnopere te ſalutat. Cogitat paulo poſt ad ‖ thermas Boiemicas proficiſci, et plane conſtituit in illo itinere te 62r convenire, ut te videat coram, quem dudum eſt unice miratus. Dixit ei nuper Doctor IESSENIUS de quodam libro tuo recens edito, quem obtuleris Cæſari. Eum ipſe unice videre geſtit, et iam ſemel et iterum an viderim ex me quæſivit. Epiſtolarum tuarum volumen, quod ex dono liberalitatis tuæ habeo, apud me primus vidit, et per aliquot dies ſecum habuit.

Si quid ad me ſcribere aut mittere voles, ſcias rectißime ad me perventurum, quicquid Pragam per certos homines miſeris ad Dn. IOANNEM MYLLNERUM, Sacræ Cæſ. Ma^{tis} Conſiliarium et Regni Boem. Secretarium ſupremum, Compatrem meum cariß. et omni fide obſervandum. Apud illum enim vivit IOANNES PALUDIUS, Principis mei Conſiliarius Pragæ habitans et negotia Celſ. ſuæ in aula illa curans. Is et diligenter et libenter curabit, quicquid ad me pertinens acceperit. Bene et feliciter vale, Vir præſtantißime, et me, quem ſemel amare cœpiſti, perpetuo amare perge: ſic te vicißim curet ametque Deus.

Vratiſl. XIIIJ Iunij 1600.

T. M. P.

obſervantiß. et amantiß.

IAC. MONAW.

[E codice

† [E codice Basileensi G I 23]

60v DEM EDLEN EHRNVESTEN VND HOCHGELARTEN HERRN *TYCHO BRAHEN* AUFF KNUTHSTORFF, S. RÖMISCH KEYSERLICHEN MAYT. *ASTRONOMO* AUFF BENATHEN, MEYNEM ... GÜNSTIGEN HERRN.

CITISSIME.

60r S.



ENEROSE et doctiß. D.TYCHO, vehementer expectant noſtri Canonici tuæ Aſtronomicæ ſuppellectilis avectionem, et pecuniam promtam ad omnia offerunt. Acceßit quoque me GRUTZMACERUS Dreſdenſis nauta, qui promittit ſe navibus ſuis Leutmeritium uſque omnia recte advecturum. En alius quidam ex noſtris, qui idem rogat, ut ſibi committatur. Duabus enim navibus ſe omnia rite repoſiturum eße. Reliqua enim ſuppellex nuper Hamburgo quoque advecta eſt. Quid impediat, ſcripſi ante Pentecoſten, et quia nihil impetro reſponſi, exiſtimo non eße redditas meas. Quare rogavi hunc meum vicinum, ut has aut ipſe redderet, aut conducto Pragæ nuncio, cui tu ſatiſfaceres, de tua voluntate ſciſcitaretur. Eſt autem hæc mora, quod inventarium prioris vecturæ ANDREAS veſter ſecum abſtulit, ut ſine inſigni errore nos committere eam nautis prorſus nequeamus. Omnino ergo oportet 60v ANDREAM || ipſum redire ad nos, aut aliquem ex domeſticis, cui nota ſunt externo ab intuitu omnia, et qui ex navi reponat in littore, contra pluvias muniat, tibique poſtea deferenda curet. Quod peregrinus nec vult nec poteſt recte curare. Mittas ergo, quam primum potes, qui comes et inſpector ſit omnium. De me præſtabo fidelißime omnia, quæ volueris et quæ potero. B. V. Magdæburgi 9 Iunij 1600.

Tuus
GEORGIUS ROLLENHAGEN.

[Ex

[Ex apographo manu scripto in fine exempli Hauniensis P. J. Resenii *Inscriptionum Haffniensium* (Hauniæ 1668)]

TYCHO BRAHE AD IOSEPHUM SCALIGERUM. 52v

ILLUSTRIS ET GENEROSE VIR DOMINE ET AMICE HONORANDISSIME.



ELAPSÆ ſunt ſeptimanæ, ni fallor, ſex, ex quo in arce Cæſarea Bennaticha, ubi nunc ſedes eſt habitationis meæ, Illuſtris Dominationis tuæ literas acceperim VI Eid. Martias Lugduni Batavorum ſcriptas, eaſque non ſaltem eruditionis eximiæ, quâ præpolles, ſed et humanitatis et benevolentiæ erga me (pro quibus etiam officioſißime gratias habeo) refertißimas. Cum vero nuper a S^{cra} Cæſ^{a} Ma^{te}, Domino noſtro Clementißimo, poſtquam Pilſena, ubi per tres anni quadrantes ob peſtem abfuit, in arcem conſuetæ reſidentiæ huc nuper redijt, evocatus ſum, ſiquidem ipſius Ma^{tas} de quibuſdam ad ſtudia quæ tracto pertinentibus clementißime mecum loqui dignabatur (prout ſemel atque iterum affatim factum eſt) accidit, quod ante biduum Nobilis et eruditus hic Adoleſcens NICOLAUS SUCKERBACK de Myßen noviter ex Italia veniens me in aula inter alios ambulantem, Barone quodam indicante, agnoſceret et compellaret, ſeque a Batavia oriundum, atque eo brevi cogitare indicaret, rogans, an quidpiam literarum ad amicos et iſthic notos mittere vellem, cumque præ cæteris, an ad te meas dirigere poßit, ab eo percontarer, id officij in ſe recepit. Exiſtimavi autem eum tamdiu hîc manſurum, donec allatis tuis ultimis (de quibus dixi) literis e Bennaticha, ijs ſecundum ſingula earundem contenta, quatenus in hac urbe ſtrepitus et interpellationes aulicæ ferunt, reſpondere poßem; at is hodie me in hoſpitio quærens ſe circa meridiem hinc abiturum in ijs hominibus ſignificavit, quare ne plane mearum vacuus ad vos rediret, has ieiunas et breviuſculas, potius quam nullas ad te exarandas duxi. Quoniam vero literæ tuæ ad manus non ſunt, nonnulla ſaltem, quæ ex ijs recordor, attingam.

Conceptiones tuas de æquinoctijs et motu octavæ Sphæræ aliter ſalvando, quas promittis, avide exſpecto. Stellam Polarem ante plurima ſecula, quemadmodum reliqua omnia octavæ Sphæræ (uti vocant) affixa ſidera in eodem cœli loco hærere, facile tibi conceßero, modo declinationem et aſcenſionem rectam, tum quoque longitudinem et nonnihil etiam latitudinem, tam in hac quam in alijs alteratas fatearis. Quod autem id ipſum evenerit, non tam octavæ Sphæræ promotione quam æquinoctiorum anticipatione, prout magnus ille COPERNICUS pariter animadvertiße videtur, etiam tibi aſtipulor. Sed in hoc cardo negotij vertitur, quomodo anticipatio illa intelligenda et exſequenda ſit.

ſit. Per motum axis terreni, prout ſpeculatus eſt COPERNICUS, reci-
53r procum et liberatum || annuæque reſtitutioni non plane coincidentem, id evenire fruſtranea, imo prorſus abſurda eſt aßumtio nec apparentijs vel hoc ſeculo, nedum cæteris omnibus ſatiſfacit. Ego ipſum Solem hanc varietatem efficere ſtatuo, dum aliam atque aliam diverſis ſeculis deſignat Eclipticam, aliaſque eiuſdem cum Æquatore interſectiones retrorſum et quidem non admodum æqualiter inducit, prout ſuo loco latius Deo volente oſtenſurus ſum. Nam et infimam Lunam non multum dißimili ratione ſuam orbitam ſingulis menſibus variare depræhendi, ita ut non ſaltem latitudo eius maxima ad tertiam gradus partem (quanta etiam omnino in Eclipticæ obliquitate hactenus comperta eſt differentia) mutetur, ſed et nodi et interſectiones cum Ecliptica, licet antrorſum motu æquali, reciproce tamen et inæquali ratione id fieri ſatiſque notabili diſcrimine, quod grad. $1\frac{3}{4}$ attingere queat, cognovi, prout lunaris curriculi reſtitutio propediem, favente Numine, in Progymnaſmatis noſtris publicanda plenius patefaciet. Si tibi aliqua ratio a noſtra forte diverſa innotuit, et ex hiſtorijs antiquißimis ratiſque obſervationibus comperta eſt, quâ hæc commode explicari queant, vellem eam mecum communicari. Interim ut dicam id quod res eſt, aßequi non poßum, id quod tam in his literis, quam alibi innuiſti: Polum nimirum mundi alium eße a Polo æquinoctialis et lineas meridianas moveri. Videtur id enim minus convenire, niſi forte tuam ſententiam, quæ paulo obſcurior eſt, necdum percipiam, quare hac de re uberius a te inſtrui cupio.

Pro MANILIO in integrum a te reſtituto mihique tranſmißo plurimas habeo gratias. Perluſtravi eundem ſucceßivis horis, prout otium tulit, mihique tua induſtria et perſpicacitas in hoc authore a mendis vindicando et expoliendo, quæ etiam in plurimis alijs ſatis explorata eſt, ſummopere placuit.

Plura ſcriberem, ſi literæ tuæ in promptu eßent, ulteriorem procul dubio materiam ſuppeditaturæ, modo etiam id ferret huius loci irrequietudo, et is, qui haſce allaturus eſt, abitum adeo feſtinanter non acceleraret; quare hæc ſubito effuſa Illuſtris Dominatio tua boni conſulat, meque favore ſuo proſequi pergat, ac per internuncij oportuni-
53v tatem ſuis cultißimis literis inviſere || non intermittat, quæſo. Vale. Dabantur Pragæ Bohemorum die 23 Iulij ſtylo novo Anno Epochæ Chriſtianæ Dionyſiacæ et vulgatæ 1600.

Illuſtris Dominationis tuæ
ſtudioſißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

Cum

Cum has literas ante 6 fere ſeptimanas ad te exaraßem, diſceßerat Batavus ille, qui eas tibi traditurus erat, una vel altera hora citius quam exiſtimaßem, ideoque eas huc uſque mecum reſervare oportuit, donec alia ſeſe offerret occaſio eas ad te dirigendi.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

OTTAVIO CAURIAN AD TYCHONEM BRAHE.



ERR FRIDERICH ROSENKRANTZ hat ſich bei Jr. Fürſtl. Durchhl. Erzherzog MATHIAS zu Oſterreich mit Irer Kay. Mt. *Interceßion,* ertzeiget vnd eingeſtelt, vnd alberait von Ir Durchl. zueſag bekhommen, vnnd derſelben aufwarter nach ſeinem begern vnndergeſtellt vnnd vnnderhaltten zuwerden. Weiln aber Ir Mt. *Reſolution* wegen Irer Durchl. veldtzug etwas ſpät hinauß geſchicht worden, vnnd entzwiſchen herr SEYFRIDT VON KHOLONITSCH, obriſter yber 1000 Pferdt, fortgetzogen, ſo hat Er mit Irer Durchl. vorwiſſen vnnd gnedigſten bewilligung, ſich vnnder denſelben geſtelt, vnnd iſt ietziger zeit vor Papa. †

Das deme alſo ſei, hab Ich *OTTAUIO CAURIANI,* dem Herrn *TYCHONI BRAHE,* ſo mich derwegen alhie zu Praag erſuecht, vnnd hieuon wiſſenſchafft begert, deß zu zeugnuß mein Handſchrifft hierundergeſtelt. *Datum* Praag *Stilo nouo* den 2. *Auguſti Anno* 1600.

OTTAUIO CAURIAN,
manu propria ſubſcripſi.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

NOBILISSIMO VIRO, TAM GENERIS QUAM ERUDITIONIS CLARITATE PRÆEMINENTE, DOMINO OLIGERO ROSÆKRANTZIO DE ROSENHOLM, AMICO, AFFINI ET CONSANGVINEO LONGE CHARISSIMO. 3v

S. P. 1r



XOPTATISSIMAS tuas diuque deſideratas, Amantißime OLIGERE, iam tandem accepi literas, quibus ab initio tarditatem in reſcribendo excuſas, idque ijs rationibus, quæ apud me, alias de te candide ſentientem, facile locum inveniunt. Poſtea de rerum mearum conditione, quam Divina Clementia hîc apud Auguſtißimum Imperatorem

Imperatorem RUDOLPHUM Secundum mihi indulſit, et qualiter ea, ad alios a te relata, ijs placuerit, tibi vero et intimis amicis inprimis auditu iucundißima fuerit, multa commemoras, quæ ſincerum tuum erga me affectum, de quo etiam antea nunquam dubitavi, affatim teſtantur, pro quo conſtanti erga me amore gratias tibi, e pectore tui vicißim ſtudioſißimo profectas, ago quam poßum maximas. Res meæ adhuc in eodem ſtatu ſunt, quo verſabantur, cum ultimas tibi ſcriberem; neque enim ob abſentiam Cæſaris, qui etiamnum Pilſenæ, urbe 15 milliaribus hinc remota, commoratur, quidpiam, quod momentum haberet, incrementi interea ſumere poterant, quod tamen in poſterum futurum ſpero. Nam Cæſarea Maieſtas de clementißimo erga me favore, quod Deo acceptum fero, nihil remittit, ſed indies eundem adauget; optime etiam mihi cupiunt ditionis huius Primates quique, adeo ut in Regni indigenam, quo omnibus eorum gaudeam Privilegijs, me adoptaturos, ſponte obtulerint. Sed de his nunc plura non addo, ſuo forte tempore uberius eiuſcemodi indicaturus.

Diſceßit heri primum a me FRIDERICUS ROSENKRANTZIUS, tuus Patruelis, meuſque conſangvineus, qui ante menſem huc venit; doleo animitus, et quis non doleret optimi illius iuvenis viri infelicis-||
1v ſimum caſum, atque inconſtantißimæ fortunæ minus exſpectatam calamitatem? Ego non ſaltem, quod a te mihi tam accurate commendaretur (licet et hoc plurimum ſemper apud me ponderis habere debeat) ſed quoque ob ſangvinis, quod nobis intercedit, vinculum, quantum in me erat, et prout ipſemet voluit, eius adverſitatibus, ſi plane ijs mederi non poßem, lenimentum ſaltem addere diligenter laboravi; quod ut promptius exequerer, author illi fui, ut Pilſenam, in aulam Cæſaris, ſe conferret, dedique cum eo literas ad Amplißimum Imperij Procancellarium Illuſtrem et Magnificum Dominum CORRADUCIUM, quibus eum rogabam, ut interceßorias a Cæſarea Maieſtate ad Serenißimum Archiducem MATTHIAM Fratrem, qui belli Ungarici Summæ nunc præeſt, huic ROSENKRANTZIO impetrare vellet, quod et expectatione noſtra citius obtentum eſt, ipſomet Domino CORRADUCIO (qui mihi plurimum favet, et quidvis in mei gratiam expedire non detrectat) negotium hoc diſponente et promovente; addidit et ipſemet ſponte ſua privatim alias ad generoſum quendam Baronem in Aula Archiducis ſibi familiariter notum literas, non parum quoque FRIDERICO profuturas; quin et ego, ut meum etiam qualemcunque adiungerem calculum, ipſi Serenißimo Archiduci humilime ſcripſi, et Conſangvinei noſtri deſideria apud ipſius Celſit^{nem} pro meo modulo adiuvare non intentatum reliqui, inſinuando pauculis eius in Patria infortunium; ſic enim non ſaltem mihi, ſed et FRIDERICO conſultum
2r videbatur, quo præveniremus || alios, qui ſugillando malum forte odio-

ſius exaſperarent, et ſic rem magis ſuſpectam redderent. Miſi ſimul ipſius Cel^{ini} duos libros ex meis, ſimiles per omnia ijs, qui Regi veſtro oblati ſunt; et unâ globum quendam, ex noſtra ſtellarum verificatione, affabre Alchmariæ in Batavia elaboratum, ut his Munuſculis Principis clementem benevolentiam, qua FRIDERICI noſtri votis eo lubentius annueret, promptius captare liceret. Harum vero omnium, de quibus iam dixi, literarum exempla, et ſimul ipſius FRIDERICI relationem, quam huc Pilſena reverſus ſua manu conſignavit, pariterque eiuſdem ad te Epiſtolam hîc appoſui, ut ex ijs lectis promptius rei peractæ circumſtantias haurire queas. Concipio autem non dubiam ſpem, FRIDERICUM noſtrum hiſce fultum medijs, propoſitum ſuum apud Inclytum Archiducem ſatis feliciter peracturum, præſertim quoad externa illa et Politica deſideria, quæ in ſuo relinquo favore; trahit ſua †
quemque voluptas, interdum neceßitas urget ea acceptare, quæ alias minus curanda forent. Sed unus adhuc intrinſecus latet ſcrupulus, qui non minimum habet momenti, et cætera omnia remorari, vel etiam irrita reddere, aut prorſus præſcindere, et a tot huius miſeræ vitæ adverſitatibus atque moleſtijs eum plane vindicare poßit. Laborat enim, et quidem gravius, quam ipſemet perſentiſcere videtur, pulmonis non leviter vitiati affectibus, adeo ut Aſthmaticus evadat, paulatimque Phthiſi contabeſcat, niſi, Dei gratia, mature idoneis medicamentis (quæ tantis malis ‖ præſenter ſuccurrentia non facile inveniuntur) valetu- 2v
dinem recuperârit, ad quam adipiſcendam ea vitæ ratio, ea regionis et victus conditio, quam ille nunc affectat, obſtare potius quam conducere, metuendum eſt. Verum et hac in parte non ſaltem eum præmonui, ſed et conſilio atque medicamentorum auxilio, quatenus nunc in promptu habui, ipſi præſto fui, rationemque præſcripſi, quomodo in poſterum plura paranda ſint, quæ huic, cui obnoxius eſt, valetudinis incommodo, mea ſententia, quantum Deus dederit, ſuccurrant; ſicque eum Viennam heri, uti dixi, tendentem, fauſta quæque illi precatus, dimiſi, adiuncto ipſi quodam Magiſtro, qui IOHANNES KEPLERUS appellatur, Mathematum egregie perito, qui per anni trientem, e Styria adveniens, hîc mecum fuit, et compoſitis iſthic rebus ſuis reverti conſtituit. Is ſiquidem, cum Viennam in reditu tranſire debeat, et hominum ac viarum in hoc itinere gnarus ſit, FRIDERICO utilis comes eße poterit. Cæterum quemadmodum Epiſtolam tuam ex re grata et placente circa rerum noſtrarum in melius, divina ope, mutationem, non ſine gaudibundo applauſu inchoaſti, et poſtea in medio triſtia et turbulenta quædam minuſque arridentia de calamitate communis noſtri ſangvine iuncti interpoſuiſti, ſic tandem in fine Cataſtrophen lætam et apprime auditu iucundam ſuperinducis, ut comediam quandam repræſentare videaris. Nam quod poſtremo refers (ut priora, de quibus nunc

3r nunc ſatis dictum arbitror, relinquam) de || charißima tua SOPHIA, mea nepte, Deum ipſam fructu uteri benedixiße, et tunc partui vicinam fuiße, quam etiam feliciter enixam FRIDERICUS retulit, hæc inquam me magna voluptate affecerunt, et auditu gratißima fuere. Deus Opt. Max. hanc, quam vobis dedit, filiolam ſoſpitem conſervare et a periculis tueri, ut, ætate accreſcens, utrique Parenti gaudio ſit, pro ſua bonitate dignetur. Cui etiam æviterno et triuno Numini te tuamque coniugem, unâque ſobolem fœmellam, toto pectore commendatum habeo. Vale. Dabantur ex arce Cæſarea Benaticka, die 3. Iunij Anno 1600.

Tuus TYCHO BRAHE,
manu propria.

Addidi carmina quædam, hiſce diebus a PAULO MELISSO, Poëtarum Germaniæ anteſignano, mihi mißa, unâ cum exemplo literarum eius, ut ſcias, qua occaſione ea conſignaret. Et quia Odæ CRAMERI tui iuxta calcem mentionem facit, appoſui et hanc. Si otium deſcriptionem patietur, adiungam quoque exemplum literarum Domini IOSEPHI SCALIGERI, quæ etiam nuperrime mihi redditæ ſunt. Hæc ubi perlegeris, cum Domino Doctore NICOLAO, communi noſtro amico, communices, velim.

S. Dilecte conſangvinee, cum poſt peractam victoriam atque tro-
3v phæum receptum des inſtantiam minus validam, || iuxta illud: *qui*
† *volet ingenio cedere nullus erit,* non habeo aliud, quod reſpondeam, quam aurum apud me eße, quod ne HERCULES quidem ſuo clavo extorſerit, nedum ut tam invalidis argumentis cedat. Vale et cave, ne impoſterum deponas cum ijs, qui rem geometrice metiuntur. Datæ ut ſupra in tuis literis.

T. B.

POSTSCRIPTA.

1r CUM has literas iam antea ad te exaraßem, paulo poſtquam a me diſceßerat FRIDERICUS ROSENKRANTZIUS, elapſis iam menſibus duobus, eas mecum interea reſervavi, donec certa et tuta mittendi occaſio ſuppeteret, quam nunc per M. CHRISTIERNUM LONGOMONTANUM, qui aliquot annos mihi fuit domeſticus, in Daniam redeuntem (quem, ſi is tua opera indiguerit, ut tibi ex me commendatum habeas et ad potiora promoveas, quæſo) commode nactus, non diutius eas unâ cum adiunctis, quarum mentionem faciunt, mecum retinendas duxi. Verſor nunc Pragæ, quo ante menſem a Sacra Cæſaris Maieſtate Domino Noſtro Clementißimo, ſtatim ac Pilſena, ubi per tres anni quadrantes ob peſtem abfuit, in arcem ſolitæ reſidentiæ redierat, huc evocatus; dignabatur enim Eius Maieſtas mecum de peculiaribus quibuſdam rebus ſecreto loqui, et nonnulla pro ſe efficienda mihi

mihi demandare, tum quoque ex me, quæ in ſtudiorum meorum promotionem et vivendi commoditatem fieri benignißime dudum iußerat, an ita ſuccederent, cognoſcere, quod et ſæpius quam ſemel per integras horas ſolitarie in Ipſius Maieſtatis conclavi factum eſt, et omnia, quæ humillime deſiderare poteram, clementißime mihi indulta; quia vero ignoro, an Ipſius Maieſtas pluribus mecum loqui et quippiam aliud adhuc ulterius mandare velit, non audeo hinc diſcedere, priuſquam hac de re ſatis certus fuero. Interveniunt Legati magnorum Principum, et nunc eſt hîc Galliarum Regis (qui me die craſtino ad ſe invitavit) cum ſplendidißimo comitatu, et magna eſt negotiorum moles, quibus Ipſius Maieſtas ad alia atque alia, quæ incidunt, curas dirigere neceße habeat; quantum vero ex Magnifico Domino CORRADUCIO Imperij Procancellario intellexi, cuperet Ipſius Maieſtas, ut habitationem ſibi propiorem, ubi pariter ſtudia mea exſequi poßem (in quo etiam nunc laboratur) obtinerem, quali id fiet ſucceßu, alias percipies. Eſt et aliud quoddam negotium, licet minus gratum, attamen neceßarium, quod me voluntario hîc detinet. Dithmarſus enim iſte famoſi illius in me ſcripti Author lethaliter decumbit, partim morbis gravioribus confectus, partim male de iſto facinore conſcius, et pœnas metuens; hunc iam dudum in ius citatum ob atroces illas iniurias et calumnias, quas noſti, legitime iudicari volebam, ſed ob peſtem dißipata Cæſaris Aula, iam pæne per integrum annum, id antehac fieri non potuit; urgeo itaque nunc iuris proceßum, ſiquidem actio ſit perſonalis et periculum in mora, iamque impetravi a Cæſarea Maieſtate, ut deputentur e Conſiliarijs certi Commißarij, qui omnia in cauſa hac de-
bili cognoſcant, ‖ atque ſententiam definitivam pronuncient; qualis 1v
hæc futura ſit, tandem reſciſces.

Cum hiſce præteritis diebus in Aula Arcis horis antemeridianis inter Generoſos et Nobiles Viros ambularem, monſtratus mihi eſt Baro ille OCTAVIUS CAURIANUS, ad quem Dominus CORRADUCIUS pro ROSENKRANTZIO noſtro ſcripſerat, quare, captata commoda occaſione, cum eo de ROSENKRANTZIO, ubinam eßet (nihil enim is mihi, ex quo hinc diſceßit, ſcripſit) et quo in ſtatu res eius verſarentur, ſedulo collocutus ſum. Is eum clementißime ab Archiduce MATHIA receptum, quod et antea a Domino CORRADUCIO cognovi, moxque cum equitibus quibuſdam, prout ipſemet cupiebat, in Ungariam profectum, ibi in exercitu eße Cæſaris noſtri aiebat, qui in obſidione Caſtelli Papæ nunc occupatur, ubi ſtrenuum illum belli Ducem SCHWARTZENBURGIUM, nuper globo ſclopetico ictum occubuiße inaudivimus, eodem etiam OCTAVIO famam confirmanti. Ut vero de rebus ROSENKRANTZIJ eo plenius inſtruerer, præſertim cum dicerem, me hiſce diebus in Daniam ad quoſdam ex eius conſangvineis atque amicis ſcripturum,

ſcripturum, hanc ſchedam, ſua manu ſubſcriptam, quam hîc appoſui, mecum communicavit. Ubi plura ipſum concernentia percepero, te eorum ulterius reddam participem. Vale, et Coniugem tuam, neptem meam charißimam, ex me quam diligentißime reſaluta; conſtitueram ipſemet quidpiam ad eam ſcribere, ſed hæ interpellationes aulicæ me ita avocant (nam ex hoc ipſo inſtanti in arcem aſcenſurus ſum) et M. CHRISTIERNUM, de quo dixi, iam itineri accinctum diutius remorari nolui, ut propria curare vix queam; fiet id, Deo volente, alias, meliori conceßo otio. Saluta quoque ex me officioſe matrem tuam, nobilißimam et honeſtißimam fœminam, tum quoque alios amicos, quos ſcis integros eße et ſinceros, atque in amore noſtri perſeverantes. Iterum vale. Dabantur Pragæ feſtinanter die 3. Auguſti ſtylo novo Anno 1600.

T. T. B.

† [Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

TYCHO BRAHE AD CHRISTIANUM LONGOMONTANUM.

1r EGO TYCHO BRAHE de Knudſtrup, ex Dania oriundus, Sacræ Cæſ. Mai. arcem Benaticam in Regno Bohemiæ inhabitans, teſtor omnibus, cuiuſcunque conditionis et dignitatis ſint, hiſce meis literis, earundem exhibitorem, eruditißimum et honeſtißimum virum, Magiſtrum CHRISTIANUM SEVERINI LONGOMONTANUM, natione Cimbrum, mihi per octennium in Dania, et poſtea aliquamdiu in Germania et Bohemia fuiße domeſticum, atque in exercitijs Aſtronomicis diligentem et fidelem navaße operam. Nunc vero cum res eius non ferant, ut diutius mecum commaneat, vel accreſcente ætate cogitet aliam vitæ rationem inire, ideoque in patriam ad ſuos reverti: ego conatus eius nullatenus impedire volui, ſed eum libere et cum
1v bona gratia dimiſi. Quare omnes generoſos et nobiles viros, præ-‖ſertim in Dania mihi ſanguine iunctos, et alios quocunque locorum claros et eruditos viros officioſe et peramanter rogatos habeo, ut prænominatum Magiſtrum CHRISTIANUM ſibi diligenter commendatum habeant, atque ad optima quæque ipſum promovere non degraventur: invenient me vicißim ad quævis officia rurſum in eorum gratiam, quantum per me licuerit, præſtanda quam paratißimum. Dabantur Pragæ in metropoli Bohemiæ die 4 Auguſti ſtilo novo Anno Chriſti vulgari 1600.

TYCHO BRAHE,
manu propria.

[E codice

[E codice Basileensi G I 23] †

NOBILISSIMO DOMINO TYCHONI 65ᵛ
BRAHE, DOMINO DE KNUDSTRUP, MATHEMATICO NOSTRO SÆCULO PRÆSTANTISSIMO, DOMINO AC FAUTORI SUO UNICE COLENDO.

SALUTEM IN CHRISTO IESU. 63ʳ

OBILISSIME Domine TYCHO, remunerationem quinque ſcilicet Ioachimicos, propter diarium Solis et Lunæ, in Martio huius anni 1600 nobilitati tuæ tranſmißum, a M. CHRISTIANO LONGIMONTANO accepi. Quare T. N. ut par eſt, gratias ago et habeo.

Quod in ſuperioribus meis literis, num in oras Bohemicas me vellem conferre nec ne, nihil habetur, cauſa fuit non mea in ſcribendo negligentia, vel oblivio, ſed quod 14 diebus, antequam N. T. ſententia de re illa huc allata eßet, iſtæ meæ literæ fuerunt ſcriptæ et obſignatæ. Ideoque M. MELCHIOREM IOSTELIUM rogavi, ut tuæ nobilitati, mecum prius deliberandum, ſcriberet. In tali autem deliberatione reperi, conſultius fore, ſi Witebergæ permanens tuæ N. in rebus aſtronomicis pro animi mei tenuitate inſervirem, ſinguliſque diebus aliquot certas horas, utpote tres vel quatuor, in laborem iſtum impenderem. Tuæ nobilitati ſi hoc meum propoſitum placuerit, certum ſtipendium ex æquo et bono mihi determinare, et quid expectandum, data aliqua occaſione, haud gravatim ſignificare poterit. Vale. Dabantur Witebergæ 6 Auguſti veteri ſtylo Anni 1600 Chriſti.

T. N.
humiliter colens
M. IOHANNES OSWALDUS,
Zeillenſis Francus.

[E codice

† [E codice Basileensi G I 23]

68v

MAGNIFICO ET PRÆSTANTISSIMO
GENEROSISSIMOQUE VIRO DOMINO TYCHONI BRAHE, ASTRONOMO PRINCIPI, MATHEMATICO CÆSAREO, DOMINO ET PATRONO COLENDO.

PRAGÆ IN BEHMEN.

66r MAGNIFICE ET ILLUSTRIS DOMINE, PATRONE COLENDE.

S.



QUAM iamdudum mihi dari exoptavi occaſionem literis tuis per MULÆUM in Daniam commeantem mihi traditis reſpondendi, ea iam tandem ſubito ſe aperit, neque tamen ſatis exoptata, cum Dreſdam uſque ſaltem ſe extendat, unde tamen ad te perlatum iri omnia ſpero. Eſt autem ita, ut ſcribis: neque enim mihi ingrata aut odioſa cenſura tua eſt, hominis doctißimi et præſtantißimi, præſertim in ijs, quæ ad te ipſum ſpectant. De carmine elegiaco loquor: in quo quædam tum in concinnitate, tum in expoſitione te deſiderare ſcribis. Scripſi hoc ad te, et faßus ſum, cum mitterem: non eum laborem aut limam acceßiße, quæ cæteris meis fere ſolet. Scis enim ardorem illum Poëticum temporum intervallis minus aut magis incendi: et interdum ita lenti ſumus, ut iaceant omnia. Placet itaque mihi, ut premas, donec correctum fuerit: quod quidem a te ſi factum fuerit, gratiam habebo: nam laus, ea certe, quam ſcriptor ſibi vendicat, mea erit, labor tuus. Ne tamen ingenij me iacturam feciße exiſtumes, plane mihi perſuadeo, † metu iſto te eximet Carmen Epicum de VARADINO: quod[1] ad te circa idem tempus fere, quo tuæ datæ ſunt, et iam tum traditum tibi eße oportuißet, miſi per quendam ALBERTUM HOVI, hominem militarem, Domino illuſtri MELCHIORI RHEDERO addictum eique a me commendatum. Cui ut tu quoque me commendares et illud carmen, 66v quod in honorem eius compoſui ipſique inſcripſi, ijſdem literis ‖ a te contendi: neque minus iam contendo, ſi aut literæ illæ tibi non redditæ eßent, aut tu petitioni meæ, quod ſecus eße puto, hactenus non ſatiſfecißes. Quod ſecus hoc eße putem, inde fit, quod ipſe RHEDERUS literis humanißimis benevolentiam ſuam mihi oſtenderit et gratitudinis ac remunerationis ſpem fecerit. Conſtitit mihi certe illud carmen non exiguo labore et animi intentione, quam auxit Hiſtoriæ exprimendæ cum veritate et tamen cum decoro Poëtico difficultas: quorum primam dum quidam Poëta Sileſius ſecutus eſt, alterum ita neglexit in eadem hiſtoria reddendâ, ut nihil ineptius fieri poßit. Scribit idem RHEDERUS ſe ex conſilio doctißimorum quorundam virorum, inter quos te

[1] Si nondum vidiſti, exemplar a RHEDERO petes.

quoque eße exiſtimo, Gorlitzium recudendum miſiße illud meum carmen. MELISSUS quin iam tandem tibi ſatiſfecerit, plane mihi perſuadeo: dicerem hominem plane a ſe diſceßiße, niſi fecerit.

De ſcripto aliquo Cæſareæ Maieſtati dedicando, quod conſilium tuum mihi impertis, pro eo atque volebam, eſt quod multum tibi debeam. Habeo quidem confectum Philoſophiæ Panegyricum, quo omnia ea tribus prolixis ſatis orationibus complexus ſum, quæ de Philoſophia mihi videntur poße honorifice dici: ſed eum neque iam mecum habeo, neque hactenus quiſquam, quos quidem tentavi, Bibliopolarum in eum excudendum ſumptus voluit conferre (ita enim agitur cum ſcriptis elegantibus, dum florent et leguntur inelegantia) niſi ipſe conferam. Quod ſi Poëmata mea mihi remittantur a || MELISSO, qui mihi 67r in editione procurandâ minime ſatiſfacit, cum forte poßet (nolo dicere plura: hoc ipſum, quod dixi, tecum ſit) quæ ante tribus dedicavi, neſcio, an rectius facerem, ſi mutato conſilio ſoli Imperatori dedicarem, pluſque forte inde præmij te et alijs commendantibus reportarem. Diſtribui autem nunc quidem in tres partes, quarum primam partem quinque Elegiarum libros continentem inſcripſi Regi Scotiæ ante iam in me munifico, alteram Epicorum quatuor libros et Lyricorum unum continentem, ULRICO Principi Megapolitaniæ, tertiam tres Epigrammatum et unum Sylvarum librum complexam WILHELMO Curlandiæ Duci. Utinam vero tam felix ſim, ut aliquando lucem videant, quam illis hactenus invideri equidem nonnihil doleo. Sed præ his duabus vijs illa mihi inprimis arrideret: ſi materia aliqua mihi offerretur, qua Imperatoris ipſius aut maiorum eius laudes prædicarem, idque carmen hîc in Academia publice decantarem, ſimile futurum Rhederiano illi. Illam vero viam et materiem præ alijs amplecterer, quod exiſtimarem eâ ratione me æque magnam gratiam a Cæſarea Maieſtate initurum quam magni operis dedicatione. Ignoſces mihi, vir magnifice, || quod hæc tam libere apud te loquar, quod eo facio, ut eo rectius 67v mihi conſulere poßis, quoniam id libenter facis, et ea re undique gratiam colligis omnium. Si igitur potes, aut talem materiam mihi ſuppedita, aut de reliquis, quid videatur, ſcribe, aut certe aliud conſilium ſuggere. Omnia enim mea tibi lubens committo.

Eram finem facturus et iam dudum debuißem: ſed triſtis adhuc clauſula ſupererat de obitu CHYTRÆI. Quem hîc non laudo aut deploro: feci utrumque tum in Epigrammatis iſtis, tum in Programmate, cuius et ipſe, volente ita Senatu Academiæ, autor ſum; quorum utrunque ad te mitto. Tu certe amicum non vulgarem et ingenuum ſtudiorum tuorum et ingenij excellentißimi æſtimatorem et præconem amiſiſti: ego patrem et patronum ſingularem (ita enim me ſemper habuit ut filium) nos omnes præceptorem communem. O triſtem nuncium, quem tibi allaturus

allaturus ſum! Sed nolo te conturbare, et iam tabellarius aſtans inclamat aurem et concludere iubet. Bene igitur et diutißime vale, vir præſtantißime, et diu vive non ſolum tuis, ſed et BRASCHIO, quamvis et ille inter tuos eſt. Datæ feſtinanter Roſtochij 8 Auguſti Anno 1600.

T. Magnif. et Generoſ.
reverenter colens
BRASCHIUS.

M. CHRISTIANUM amanter ſaluto, a quo me literis non ſalutari miror.

† [E codice Basileensi G I 23]

70^{v} ILLUSTRI, GENEROSO ET MAGNIFICO VIRO, MAIORUM INSIGNIBUS, VERA VIRTUTE ET DOCTRINA MULTIPLICI PRÆLUSTRI DOMINO TYCHONI A BRAHE IN BENATIA ET KNUTHSTORFFP EQUITI DANICO, SERENISSIMÆ MAIESTATIS IMPERATORIÆ ET CONSILIARIO ET DOMINO SUO PERPETUA OBSERVANTIA COLENDO.

AD MANUS G^{Æ} M^{Æ} IPSIUS PROPRIAS.



69^{r} LLUSTRIS, Magnifice et Generoſe Domine TYCHO, omni cum obſervantia perpetuo mihi colende Domine: Literæ G^{æ} M^{æ} V^{æ} ſcriptæ Pragæ 6^{a} Auguſti ſtylo novo, redditæ mihi ſunt 10^{a} Auguſti ſtylo veteri, cum reverterer illo ipſo tempore ex Comitijs Iuridicis, habitis apud Dithmarſos, ubi per ſeptimanas tres hæſeram, evocatus eo ab Inclyto Rege noſtro Daniæ. Ago autem primo omnium ſerio pectore gratias Deo opt. Max. quod Gen. M^{m} V^{m} cum omni familia hactenus ſoſpitem et ſalvam clementer tutatus fuerit, eundemque precor, ut quam diutißime illam florentem ſervet.

Cœterum Illuſtrißimo Principi OTTHONI, Duci Brunſvicenſium et Lunæburgenſium, ea quæ mihi commiſit G^{a} M. V^{a}, ſuo nomine debita cum ſubmißione retuli: is quid ad eam reſcribi per me voluerit, ex Celſ. eius autographo ad me mißo, hiſce noſtris inſerto, intelliget.

De congreßu Embdæ indicto ſubitoque iterum diſceßu Legatorum Danicorum et Anglicorum, quæ ſcripſeram, hæc ita vere ſe habent. Verum ex eo ad me relatum eſt, Anglos in Daniam uſque ſequutos Regem noſtrum, ibique negotium omne probe compoſitum et ſopitum eße. Rex ipſe noſter hoc tempore in Iutiam cum Regina Coniuge excurriße fertur ad venationes, cuius quoque adventus momentaneus forte Crempæ in vicinia expectatur. De emißis 50 navibus nihil hîc accepimus, certo quod communicari G^{æ} M^{æ} V^{æ} poßit.

 FRIDERICO

FRIDERICO ROSENCRANZIO fœliciorem iam auram aſpirare profecto lætor, et ubi occaſionem ſcribendi nactus fuero, ‖OLIGERUM 69v de præſenti hominis fortuna hilariori certiorem reddam. Domino RUMPIO et Domino CORADUCIO, Viris honoratißimis, G. M. V^{a} officia mea ut ſubmißa, data occaſione, deferat, reverenter oro. G^{m} M^{m} V^{m} Dominus VINCENTIUS MÖLLERUS Conſul quoque officioſe reſalutat. Valeat quam optime G^{a} M^{a} V^{a} omni cum familia, cui me totum dedo. Datæ raptim Hamburgæ 13^{a} Auguſti Anno 1600.

G^{m} M^{m} V^{m} omni cum obſervantia
qui colit
VITUS WINSHEMIUS,
m. p.

[E codice Vindobonensi lat. 10702] †

ERUDITISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO 161v
VIRO, DOMINO IOHANNI KEPLERO, ORDINUM PROVINCIALIUM STYRIÆ MATHEMATICO EXIMIO, NUNC GRATZIÆ DEGENTI: AMICO SUO INPRIMIS DILECTO.
GRÄITZ.



UOD prioribus tuis ante duos Menſes ad me datis, Eruditißime et dilectißime Magiſter KEPLERE, nihil antea 160r reſponderim, nulla tui, nulla negotij, de quo inter nos actum, oblivione, ſed potius, ut temporis oportunitati, quæ in hac Aula non ſemper ſuppetit, me accommodarem, atque eo promptius atque felicius omnia exequerer, factum eße credas. Vix enim aliqua interea commoditas intermißa, ſed et ultro aliquoties captata. Quod ut rectius percipias, quæ interea acta ſunt, brevibus narrabo. Paulo poſtquam Cæſarea Maieſtas, Pilſena relicta, huc Pragam in arcem ſolitæ reſidentiæ reverſa eßet, me Benatica ad ſe evocavit, ante hebdomadas plus minus ſeptem. Pauculis autem diebus poſtquam hîc comparuißem, ad audientiam clementißime vocatus, in conclavi ſuo de varijs mecum loqui ultra ſeſquialteram horam dignabatur, et poſtea eodem die etiam per dimidiam circiter. In primo vero acceßu, poſtquam ipſius Maieſtas ea, quæ ex me ſcire averet, propoſuißet, iußit, ut, ſi quæ forent, quæ in rebus meis non ita ſuccederent, prout ab initio mandârat, et ſi quæ præterea deſiderarem, libere exponerem. Ego ſubmiße actis gratijs, me talia in chartula aliqua denotaturum atque Domino BARVITIO traditurum reſpondi: quod et placuit, imo, ut hoc facerem, mandavit. Cum autem viderem tam exoptatam cum ipſius Maieſtate de rebus neceßarijs loquendi mihi ultro benignißime oblatam occaſionem, de Te quoque, quæ in animo

animo habebam, proloqui non intermittendum duxi, ſed arrepta aliqua anſa, ex ea, quæ de inſtrumentis meis et ſiderum obſervationibus atque Aſtronomia inſtauranda, incidebat mentio: me ſolum tanto oneri, licet plurima iam huc conducentia in promptu habeam, non ſufficere, ſed collaboratoribus opus habere aiebam, ut citius et plenius res tanta in ipſius Maieſtatis atque Imperij honorem et commodum abſolveretur. Reſpondit eius Maieſtas, ſe ut votis meis hac in parte ſatiſfiat proviſuram. Ibi cum inter alia adminicula huc facientia de te quoque huc e Styria accerſendo et per unum atque alterum annum ſuſtentando, tuo etiam diſcrete addito nomine inſinuaßem, ipſius Maieſtas mox benignißime annuit, atque ut inter cætera, quæ deſiderarem, id quoque chartæ mandatum Domino BARVITIO traderem, iußit, nec ullam hac in re difficultatem movit. Locutus ſum poſtea particularius cum Illuſtri et Magnifico Domino CORRADUCIO, hac ipſa de re, et conditiones tuas illi ſigillatim aperui, atque hoc ſolum pro tempore rogavi, ut literas a Cæſarea Maieſtate impetrare vellet ad Principem tuum et Amplißimum Ordinem Styriacum, quibus rogarentur, ut per biennium in gratiam Cæſareæ Maieſtatis hîc mihi præſto adeße tibi liceret, et nihilominus annuo iſthic frui ſtipendio, quod per Cæſaris liberalitatem centum florenis annuatim augeri exoptarem, ſiquidem omnia hîc cariora ſunt, quam in Styria. Is vero ſe lubentißime negotium hoc promoturum, atque ut exoptatum eventum ſortiatur, curaturum benigne pollicitus eſt. Id ſaltem ſuaſit, ut denuo rem inter cætera, quæ requirerem, Cæſari, ſive oretenus, ſive per literas, ſubiectißime proponerem, atque ut ad ſe eius executio devolveretur, impetrarem, tunc ſuo auxilio et conſilio nequaquam nobis defuturum. Interea dum ea, quæ ipſius Maieſtati ſubmiße proponere conſtitui, animo volvo, et calamo concipio, iniunxit ipſius Maieſtas mihi peculiare quid, pro ſe, quam primum fieri poßit, efficiendum. Eram adhuc in publico hoſpitio apud
160v Inſigne aurei || Gryphei, ubi cum nulla tranquillitas eiuſcemodi quid agendi concederetur, conduxi aliam, non longe a Generoſo Domino HOFFMANNO, habitationem minus irrequietam, in quam vix migrâram, et res meas utcunque diſpoſueram, cum denuo me in arcem accerſit Cæſar, et quærit, an ea parata ſint, quæ a me fieri voluit. Ego vero per hoſpitij incommoditatem et migrationem in alias ædes, me excuſavi, et nacto iam meliori otio, omnia quam primum fieri poßit, intra duas vel tres hebdomadas effecturum promiſi, cui etiam reſponſo ipſius Maieſtas clementißime acquievit. Interim vero dum hoc, uti pollicitus ſum, ago, quod ſane non parum requirit diligentiæ et laboris, non audeo ab ipſius Maieſtate audientiam humillime petere, et de ijs, quæ in votis habeo, etiam me ipſum non parum concernentia ſollicitare, ne videar propria potius curare quam ea, quæ ipſius Maieſtas a me

me requiſivit, ſuadentibus etiam alijs, ut propria interea differam, quo abſolutis et exhibitis ijs, quæ ipſius Maieſtas a me deſiderat, eo facilius, captata ſic benevolentia, id quod exopto, aßequar.

Atque hæc præcipua cauſa eſt, cur reſponſionem ad priores tuas hactenus diſtulerim: nolui enim quippiam ad te ſcribere, antequam res omnis ex voto peracta eßet, et literæ, quibus huc honorifice vocareris, conſcriptæ. Interim vero ante paucos dies ſuperveniunt alteræ tuæ, quæ licet prioribus non dißimilia ab initio referant, tamen circa calcem cataſtrophen quandam inſperatam habent, qua priora conſilia non ſaltem tua, ſed et mea non parum collabaſcunt. Intelligo enim inde Salarium Styriacum tibi, uti et alijs quibuſdam, renunciatum, et inſuper exilium impoſitum, niſi decreto iſtic promulgato parueris, ut ob id in Wirtenbergenſem Ducatum, Patriam tuam, redire malis. At quia in hac rerum tuarum conturbatione et prioris ſententiæ fruſtratione, non habeo præſentius conſilium, quod ex re nata tibi dem, quam ut, poſtpoſita omni mora, te huc conferas, ſive ſolus, uti antea, ſive etiam advecta ſimul coniuge, unâ cum ſupellectile et rebus neceßarijs, pro quibus omnibus facile, uti arbitror, viaticum invenies, urgente præſertim ſic neceßitate inſtanti. Neque enim tibi deerunt tui Mecænates et fautores; aut ſi opus fuerit, pecuniam, quæ ad iter requiritur, alicubi interea mutuo ſumes: ubi adveneris, tum præſentes rectius et tutius inter nos agemus, et rationes inveniemus, quibus hiſce difficultatibus ſubveniri poterit, atque tibi et tuis rebus convenienter proſpici, ne tibi opus ſit tam cito in Patriam tuam redire, aut alio declinare. Interim nullam occaſionem præterlabi ſinam, quin te, non ſaltem intercedente autoritate Domini CORRADUCIJ et Domini BARVITIJ, ſed et apud Sacram Cæſaream Maieſtatem propria mea interceßione ad optima quæque promoveam, et rebus tuis fluctuantibus atque afflictis ſubveniam. Imo ſi cætera omnia, quod tamen non ſpero, fruſtranea fuerint, ego ipſemet tibi non ſum defuturus, ſed in ipſo effectu oſtenſurus, ea quæ tibi me ſcripſiße memini, cum adhuc prope Hamburgum hærerem, antequam nos invicem de facie novißemus, apud me adhuc rata eße, et con-‖ſtanter ſervari. Tu ſaltem nihil hæſita, ſed confidenter, 161r
quantocius poteris, advola: tum coram de omnibus, quæ requiruntur, expeditius agemus, et tutius quam per literas: nec diffido, quin, ubi adveneris, viam iam præparatam invenies. Hæc ſumma ſit conſilij, quod etiam is, qui te mihi commendavit, maxime probat.

Plura nunc non addo, neque enim ea, quæ in utriſque literis fuſe attigiſti, cum ad negotij promotionem, ſic ſtantibus rebus, minus conducant, repetere volo: uti neque de Mathematicis, utrobique a te motis, quippiam addere, cum ea ſint alterius atque maioris otij. Eclipſis tamen Solaris, cuius in ultimis tuis mentionem facis, et obſervationem qualemcunque

qualemcunque aßignas, calculum, e tabulis noſtris renovatis, communico, ut tibi in conſpectu ſit, atque cum tua conceptione conferre queas. Quantitas deliquij hîc 5 digitos vix attigit, ut ob id apud Vos 6 excedere non potuerit: dimidium digitum iſtic plus de Sole tectum fuiße conceßero, ob minorem Lunæ parallaxin; ſed vix amplius. Diligenter a nobis antequam Benatica diſcederemus, obſervata eſt hæc Eclipſis: aderat adhuc M. CHRISTIERNUS, qui poſtea a me libere et liberaliter dimißus in Patriam abijt. Dominus a TZERNEMEL, qui tibi fecit ſpem aliquam ante quinquennium, hîc Pragæ eſt a Cæſare citatus, et forte aliquandiu hîc manebit, uti ſunt admodum ...... quod indicandum duxi, ne fruſtra alibi ab eo opem et promotionem exſpectes. Ego Bibliothecam meam et inſtrumenta, quæ Benachiæ habui, ſic ſuadente Domino BARVITIO, huc tranſtuli: quantum enim intelligo, cupit Cæſar, ut in propinquo habitem, et iam de loco commodo, qui civitati conterminus eſt, deliberatur, qua de re, ubi acceßeris (neque enim abfuturum dubito) tibi, uti ſpero, non diſplicitura cognoſces. Vale. Dabantur Pragæ, die 28 Auguſti 1600.

Tui amantißimus
TYCHO BRAHE,
m. pr. ſcripſi.

162r POST SCRIPTA.

FACIS in ultimis literis tuis mentionem Scoti iſtius Capnuranici, quod in ipſum antapologiam, perlecto præſertim libro noſtro ſecundo de Cometa, mediteris: quare * te rem gratam et tuæ promißioni meæque expectationi analogam præſtiteris. Addixiſti etiam, te, quæ in famoſo iſto ſcripto Urſino, Mathematica inveniuntur, refutaturum, quatenus rite non conſtant, quod etiam te effecturum confido. Imprimis autem averem, ut ea quæ inventioni noſtræ circa Hypotheſin novam fucate et fraudulenter obijcit, eam nimirum ex COPERNICO vel APOLLONIO Pergæo deſumptam adhuc dilucidius et plenius quam antea a te refelli, atque ut eam mihi, uti par eſt, aßerere, prout probabilibus rationibus iam antea feciſti, non moleſtum duceres. Inſtitui contra illum actionem iuridicam, poſtquam huc Pragam veni, intelligens mihi aliquandiu hîc commorandum, et periculum eße in mora, † ſiquidem graviter decumberet: et impetravi a Cæſarea Maieſtate (utut quibuſdam, quamdiu poterant, remoram inijcientibus) ut Commißarij quatuor deputarentur, duo Barones et duo Doctores iuris, qui ſententiam hac de re pronunciarent. Siquidem is per emißarios meos quæſitus, ea, quæ ſcripſerat, retractare noluit, ſed potius ad ius provocavit. Verum accidit, ut eadem hora, qua citatio illi inſinuanda fuit, extingueretur; at nihilominus ius meum inchoatum proſecuturus ſum, ſiquidem lis iam quaſi conteſtata erat, et actio non plane perſonalis, ſed etiam

etiam realis, ob librum famoſum, qui perpetuo loco ſui autoris loquitur, ut me et meos a calumnijs, quibus ſcatet, legitime vindicem, et iam a Cæſare Illuſtrißimo Domino Archiepiſcopo commißum eſt, ut omnia exemplaria, quæ hîc reperiuntur, conquirat et igni tradi faciat, atque Typographum puniat. Decretum etiam Dominus CORRADUCIUS a Cæſare promulgandum pollicitus, ut per totum Imperium liber iſte annulletur, et tanquam famoſus et ſcurrilis irritus reddatur. ‖ Ego vero 162v poſtea totum hunc proceßum unâ cum Commißariorum ſententia et Cæſareæ Maieſtatis decreto in publicum edere conſtitui, libello quodam peculiari, qui ad mediocrem excreſcet magnitudinem. Quod et ex conſenſu clementißimo Cæſaris et approbatione Domini CORRADUCIJ mihi iam perſpecta, Deo volente, facturus ſum. Atque in altera eius parte ad ea, quæ Mathematica ſunt, atque Hypotheſes concernunt, reſponſurus, quare tuas quoque de his conceptiones mature obtinere averem; aut ſi quam citißime (uti ſpero) acceßeris, poterit id differri in tuum adventum. Vale. Datum ut ſupra in literis. †

T. B.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°] †

MAGNIFICO ET NOBILISSIMO VIRO, 149v
DOMINO IOHANNI GEORGIO HERWARTO AB HOHENBURG, SERENISSIMO UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCI A CONSILIJS INTIMIS, PRÆSIDI SCHWABÆ ET STATUUM PROVINCIALIUM CANCELLARIO, AMICO SUO INPRIMIS HONORANDO.
MONACHI.


EMPUS eſt, Nobilißime et præſtantißime vir, amice inprimis honorande, ut plurimis tuis inde ab initio huius anni ad me humanißime datis literis aliqua plenius, quam ſemel atque iterum factum eſt, reſpondeam, ne quid ſcrupuli aut ſuſpicionis de meo erga te conſtanti amore hæc nimia intermißio atque in reſcribendo raritas ſuggerere poterit. Diſtuli autem hoc ſcribendi officium partim invite ob multiplices intervenientes alias curas et diſtractiones, partim data opera, ut ea, quæ circa Lunaris hypotheſeos reſtitutionem moliebar, interea ad finem exoptatum, aliquatenus ſaltem, ſi non integre, perduci, atque tua dubia in hoc ſidere eo expeditius reſolvi poßent. Ut itaque hanc moram interlapſam, licet tam tua expectatione quam mea opinione iuſto diuturniorem, in meliorem partem pro ſolito tuo

candore

candore interpreteris, te peramanter rogatum habeo. Quia vero multæ et variæ tuæ, de quibus loquor, erant literæ, et nimis longum foret, nec etiam admodum neceßarium ad ſingula omnium contenta reſpondere, repetam ſaltem principaliora, et ea, quæ in ijs negotium Aſtronomicum, de quo inter nos iucunde agitur, potißimum concernunt, ſolummodo attingam, prætermißis cœteris, quæ librorum e Bibliotheca Serenißimi Principis veſtri mecum communicatorum mentionem faciunt, de quibus poſtmodum ſummatim, ſiquidem nunc libros illos remittam, nonnulla ſubiungam.

Ad literas itaque primas die 10 Ianuarij ſcriptas ſic habe. Proponis in ijs quatuor quæſtiones, quarum prima eſt de parallaxibus Solis et Lunæ, quomodo eæ ſecundum meam mentem colligendæ ſint. Parallaxes Solis e Tomo primo Progymnaſmatum tibi tranſmißo pag. 80 iuxta triplicem eius a Terra remotionem facile venabere. Lunarium vero parallaxium canonem manuſcriptum exiſtimo, cum cœtera ad Lunæ apparentias atque eclipſes facientia impartirer, tunc adiunctum fuiße. Licet, ut dicam, quod res eſt, parallaxes Lunæ adhuc quadam alia limitatione indigent, quam brevi quoque favente Numine adipiſceris.

Secunda quæſtio rationem æquationis temporis in Luna retro conſtituenda expetit, quod quidem præſtari poßet, ſi, qualis illa annua variatio, quam veteres non animadverterunt, tum temporis fuißet, et a quo puncto Zodiaci penderet, ſiquidem apogæum Solis non reſpiciat, certo conſtaret. Verum ex quo in neoterica reformatione revolutionum Lunarium hæc annua variatio, quæ per ſe exigua eſt, et ſextantem † gradus modice excedit, alijs quibuſdam medijs abſorbetur, et æquationis temporis, quoad Lunam diverſa quædam tam ab hac priori, quam anteceßorum forma, per ipſam experientiam in motu Lunæ, alijs atque alijs anni temporibus multipliciter et ſedulo explorata reparatur, iccirco ſupervacaneum duco de prioribus illis tanquam otioſis et a nobis iam antiquatis ulterius verba facere. Ubi cœteras in Luna reformationes acceperis, videbis annuæ illi inſinuationi ſubventum eße, nec novus ille æquandi temporis modus, ſine quo cœtera ſubſiſtere nequeunt, ibi prætermittetur, et tam noſtris quam veterum temporibus adaptatus.

Tertio de longitudinibus locorum quorundam a me uſurpatis certior fieri deſideras, ut Regiomontis Prußiæ, quam aßumpſiße REINHOLDUS in catalogo eius locorum inſignium depræhenditur, Par. 46 M. 45, † licet id diſcrete indicare neglexerit, ego eandem totidem partium, prout tu quoque recte colligis, aßumendam duco. Hieroſolymarum longitudinem e PTOLEMÆI Geographia petendam exiſtimo, quod loca in viciniore Palæſtina illi rectius quam alijs patuerint. Romæ longitudi-

nem COPERNICUS gradibus 5 Cracovia occidentaliorem facit, ſicque evaderet ea part. 40½, quod tamen nimium eße ſuſpicor, ego vix 39° attingere, aut certe non multum excedere crediderim. Negotium † hoc de longitudinibus locorum non parum habet perplexitatis, cum obſervationes eclipſium Lunarium in varijs hinc inde verſus ortum et occaſum remotis Regionibus diligentißime acceptæ ſufficienter in promptu non ſint. Quæ ignoratio Aſtronomiæ quoque, præſertim quoad Lunam, nonnihil officit. Nos qua fieri potuit circumſpectione præcipuas Europæ civitates in competentem diſpoſitionem redegimus, ut ſuo tempore videbis, correctis etiam, quantum licuit, earundem latitudinibus, in quibus, cum facilime pateant, pudor eſt, tantopere nihilominus communiter aberrari, veluti REINHOLDUS, qui Regiomontis latitudinem ex APIANO 26 M. iuſto minorem mutuatus eſt. Quin et † ipſe APIANUS elevationem Auguſtæ Vindelicorum 5 Minutis e ſua, uti puto, obſervatione iuſto decliviorem fecit, et CYPRIANUS adhuc plus, nempe quinta parte gradus defecit.

Ad quartum quæſitum ſcias tabulam proſthaphæreſeων Lunarium, quam poſtea iuxta priorem hypotheſin ſupputari feci, non multum differre ab altera Hamburgi minus diligenter impreßa, niſi quod quædam perperam iſtic duobus in locis || excuſa emendet, et omnia ſcru- 146v
puloſius, utpote ſingulis ſecundis, exhibeat. At cum tabula illa per omnia apparentijs non ſatis præciſe correſpondeat, ſiquidem ob conturbationes rerum mearum in Dania factas, dum peregre ſum, tam cito revideri et caſtigari non potuerit, quod nunc conceßo meliori ocio tandem effectui daturum ſpero, cumque redintegratas illas tam æqualium quam inæqualium motuum Lunæ tabulas tecum, ubi penitus abſolutæ fuerint, communicare decreverim, quorſum opus circa has exauthoratas pluribus occupari? Quis enim Cerere reperta glande veſcitur?

Alteræ tuæ literæ die 16 Ianuarij exaratæ de Triangulorum compendioſa per προσθαφαιρέσεις reſolutione ſolerter agunt, et a noſtris ratiocinijs non admodum aliena habent, quare ijs diutius non immorabor, ſed pergam potius ad eas, quæ octavo Februarij ſcriptæ ſunt, prætermißis duabus intermediantibus ob cauſam ſuperius dictam. Agis inibi de calculo locorum Lunæ ad tres dies in libro noſtro Epiſtolarum pag. 56 inter reliquos Planetas aßignatorum, quodque ea ex obſervatione petita Tabulis noſtris non ſatis conſentiant, inducis. Fateor quidem id aliquatenus ſic eße, non tamen tanta invenitur diſcrepantia, quantam tua ſupputatio mihi tranſmißa ſuggerit, uti ex noſtra, quam appoſui, repetitione liquet, duobus poſterioribus locis ſatis convenientibus, et primo ſaltem illo nonnihil exorbitante, nam ut minutula quædam prætereram, ubique differentiam illam, loco Lunæ, reſpectu polorum

rum Eclipticæ per Inſtrumenta obſervato, et illi, qui in propria orbita exiſtit, quem calculus ſolummodo præbet, varie intercidentem negligis: forte quod tabellam diverſitatem hanc oſtendentem cum prioribus non acceperis, quam, ut tibi poſtmodum ad manus ſit, hîc additam habes, ſiquidem renovatis etiam tabulis, quas alias, ut promiſi, obtinebis, æque applicari poterit. Quomodo autem repurgati hi canones loca Lunæ, tribus illis diebus ſatis præciſe convenientia, expediant, in alia charta denotatum invenies, idque quoad ſolas longitudines. Nam in latitudinibus ex obſervationibus ſalvandis, et parallaxibus, quæ ſeſe immiſcent, extricandis, etiamnum laboramus. Neque tamen in latitudinibus a priori ordinatione evidens diſcrimen ſubrepere poterit. Quam vero priores illæ apparentijs congruerint, tute ſatis expertus es, et quam proxime in tuo calculo aßecutus, ut hac de re fruſtra moveatur dubitatio, niſi quis velit ſcrupuloſius, quam ſenſus oculorum fert, ſingula trutinando nodum in ſcirpo quærere.

Quas poſtea die 20 Februarij ad me miſiſti literas, reſtitutionem quarundam peculiarium affixarum a CHRISTOPHORO ROTHMANNO Landtgraviano olim Mathematico adiunctam habuere, cuius communicatio mihi grata fuit; licet enim ab ipſo laudatißimæ memoriæ Principe, dum adhuc in vivis erat, mihi aliquot inerrantium ſiderum ipſius Inſtrumentis facta verificatio tranſmißa ſit, ut eam per triangula expenderem atque cum meis pariter inventis conferrem, quemadmodum in Epiſtolis inter nos commutatis videre eſt: tamen non tot erant numero ſtellæ, neque tam diligenter in trutinam Triangulorum et calculi vocatæ. Ex ijs, quæ nos capite ſecundo Progymnaſmatum Aſtronomicorum circa fixarum reſtitutionem tractavimus, noſtras rationes, et quanta diligentia hanc provinciam ſuſceperimus et adminiſtraverimus, perſpicies, collatione autem inde cum hiſce Landtgravianis longitudinibus facta, eas ubique 5 vel 6 ſcrupulis noſtras excedere animadvertes, nec in latitudinibus maiorem eße differentiam, quam hæc in longitudinibus varietas proxime poſtulat. Qua vero occaſione factum exiſtimem, quod Landtgravianæ obſervationes ſtellarum longitudines per unciam circiter unius gradus plus iuſto extenderint, in dicto Progymnaſmatum capite pag. 274 reperies, et alias in Epiſtolis hac de re † inter nos affatim ventilatum eſt. Non eſt quod tibi perſuadeas, ROTHMANNUM unquam hanc ſtellarum verificationem ſuo nomine in publicum editurum, nam animum ab his ſtudijs iam prorſus abiecit, et per procurationes forenſes victum quærit, quatenus adverſa valetudo, qua miſerrime conflictatur, id admittit, nec ſcio, an adhuc ſuperſtes ſit. Nam cum ultimo ad me de eo ſcriberetur, ipſum cum extremo ſanitatis et rei familiaris diſpendio vitam ægerrime trahere relatum
147r eſt. Quare non opus eſt, ut verearis, tibi aliquando im-||putari poße,

quod huius fixarum ab eo peractæ emendationis me participem reddideris, niſi id celâro, quod tamen nihilominus libenter facio, licet, ut dicam id quod cenſeo, eius rectificatio parum mihi prodeße poterit, cum iam diu ante meas circa fixarum correctionem lucubrationes conſignârim, et pro maiori parte typis imprimi curârim, uti liber, quem habes, oſtendit. Supplevi poſtea plures, quo numerus millenarius conſummaretur. Quam millenarum ſtellarum exactam reſtitutionem Auguſtißimo Imperatori RUDOLPHO, Domino noſtro Clementißimo, in membrana deſcriptam ante annum, cum primum Pragam venißem, humilime obtuli.

Poſtea in ijſdem literis de reſolutione Triangulorum per προσθαφαιρέσεις recte quidem infers, quod non multum contineat facilitatis atque compendij, ſi de planis ſolummodo intelligis: attamen in ſphæricis non contemnendam ſuppeditat promptitudinem, et citius quam vulgaris fert methodus, calculum abſolvit. Quin etiam in ipſis Planis Triquetris non tantum, uti exiſtimas, a ſcopo exacto deflectitur, ſi ſubtilißime ex integro canone RHETICI alicubi, prout opus eſt, emendato, omnia perficiantur, veluti reiterata tua exempla in hîc præſenti quadam charta te monere poterint; nuſpiam enim 4 vel 5 ſcrupul. ſecund. quæ canonis inſufficientia excuſat, quæque etiam per ſe non ſunt alicuius momenti, deviatio committitur.

Attingis inſuper ibidem ſex illas in Luna animadverſiones, quas præfato Progymnaſmatum libro ſub calce capitis ſexti aßignavi, eaſque † cum calculo e tabulis Lunæ tibi antea exhibitis confers, adiuncto tuæ numerationis epilogiſmo, quem poſtquam introſpexißem, animadverti, utut non modicam ibidem adhibueris diligentiam, nonnunquam tamen id, quod intendebas, non ſatis aßecutum, quemadmodum recognita eorundem noſtra via computatio, quam tribus prioribus ex Epiſtolis recenſitis calculationibus ſubiunxi, te in prima pagina, hæc, uti diſpicies, continente, edocebit, licet inficiari non poßum, calculum hunc, ex primis Lunæ tabulis quacunque ſedulitate elaboratum, in quibuſdam, præſertim poſtremis duobus, in Octobri anni 1586 factis denotationibus, nimium exorbitare, cui tamen enormitati poſterior in Lunæ curriculo adhibita correctio ita medetur, ut nihil dubij, quod mentionem mereatur, relinquat, veluti in ſecunda pagina, tribus illis ex Epiſtolarum libro ſumptis Lunæ locis et ad renovatum calculum expenſis, hæc quoque ſex, quæ Progymnaſmatum liber ſuppeditat, ad normam eiuſdem reformatæ ſupputationis, ſub incudem numerorum revocantur. Ubi tamen id conſiderandum venit, quod ea, quæ etiamnum ibi reſidua videtur ab annotatione in libro Progymnaſmatum facta diſcrepantiola, quæ tamen nuſquam tria vel quatuor minuta excedit, non ita ſtricte accipienda ſit, ac ſi tabulæ neotericæ tantundem

omnino

omnino a cœlitus facta obſervatione aberret. Nam loca longitudinis Lunæ in dicto libro appoſita vix ſunt exquiſita ſcrupuloſitate ex obſervationibus, quæ etiam non ubique ſufficientes in promptu fuêre, ita recenſita, ut pro 3 vel 4 ſcrupulis quis fidem interponere poßit, quod et reviſæ obſervationes atque ſubtilius caſtigatæ, ſicubi ad adſcriptum tempus in voluminibus obſervationum noſtrarum inveniuntur, ſatis probant, prout etiam a nobis ijs in locis, ubi opus fuit, ad memoratam paginam ſubnotatum eſt. Haud enim duxi neceßarium præciſionem quoad longitudinem Lunæ iſtic proponere, cum parallaxes ſolummodo ſcrutari intentio noſtra foret. Et ſane ſi dextre ab ijs, qui in obſervationum Aſtronomicarum palæſtra diu multumque exercitati ſunt, omnia ſecundum rei exigentiam et difficultatem æqua lance expendantur, non invite fatebuntur, quod trium vel quatuor minutorum, imo etiam duodecimæ partis unius gradus in hac pragmatεία diſconvenientia noſtram determinationem convellere nequeat. Cum enim Luna non tam ſplendidum et notabile vibret lumen atque Sol, quo in Inſtrumentis per umbram aut illuminationem pinnacidiorum centraliter citra omne dubium diſcerni poßit, longe difficilius quam ☉ aut
147v etiam cœtera aſtra, quæ per rimulas ‖ dioptrales ſatis præciſe denotantur, obſervationi ſubtiliori patet, unde fit, quod marginem aliquem Lunæ præſertim maxime plenum inter obſervandum collimari oporteat, ubi hæc etiam difficultas incidit, quod vix dirimere detur, an quis plus vel minus iuſto circa limbi illius contactum ſolummodo dignoſcendum collineet, alijs atque alijs obſervatoribus pro diverſo acumine viſus non in eodem puncto ſcopum petitum attingentibus. Taceo nunc, quod parallaxes Lunæ eius obſervationem reddant magis lubricam, quam in ullo alio ſidere, et licet hæ quoad longitudinem iuxta nonageſimum Eclipticæ ab horizonte gradum præcaveri queant, tamen id non diu durat, et rarißime per ſerenitatem ob nubes et alia impedimenta tales occaſiones ſuppetunt. Et quorſum quæſo maior ſcrupuloſitas, quam quæ facile in ſenſus cadit, hîc ſolicite ſectanda? Cum ea omnia, quæ ex motu Lunæ emendato deducuntur, ſi per experientiam ponderanda ſint, ſenſuum adminiculo indigeant, qui pariter ut prius circa minima et imperceptibilia hallucinari poßunt. Hæc vero ob id eo fuſius inculco, ne quis ſibi polliceatur, tam exactam undiquaque certitudinem in Lunæ apparente motu obviam eße atque circa Solem et reliquos Planetas, fixaſque ſtellas, modo debita adhibeatur diligentia, præſtari poterit. Interim tamen non ferendum duco, ut nimis lato modo, utpote in ſexta vel quarta ſolummodo gradus parte, Lunæ exponantur φαινόμενα, prout veteres, qui ad maiorem præciſionem vix aſpirare auſi ſunt, admiſerunt, imo uſitatas tabulas, ſive Alphonſinas ſive Copernicæas, aut quaſcunque alias aßumpſerimus, intra unum aut

aut ſeſquialterum gradum ſubinde Lunæ loca cœlo correſpondentia vix præbere. Veruntamen hoc inſuper admonendum duco, quod etiamſi Luna non tam ſubtiliter per Inſtrumenta obſervabilis ſit, ut de centri eius ſitu exactißimo nihil prorſus dubij relinquatur, tamen, quantum ad Eclipſes attinet, modo eæ per ingreßum et egreßum umbræ terrenæ accurate denotentur, promptius patent, et inæqualitas illa, quæ circa novam et plenam contingit, ſimplicior eſt, nec tam varijs anfractibus obnoxia, atque ea, quæ iuxta alias digreßiones fit, in quibus maior quidem ſubeſt perplexitas, quam ulli veterum aut recentium Aſtronomorum (abſit invidia dicto) hactenus vel ſemel ſuſpicari potuerint, nedum ut ei ſufficienter per oportunam hypotheſin et hinc deductam numerationem providere ſuſtinuerint. Licet vero hæc omnia ita ſe habeant, polliceri nihilominus auſim, Lunæ curſum in tabulas recentiores a nobis digeſtum exactius apparentijs ſatiſfacturum, quam cuivis per Inſtrumenta facile aßequi in proclive eſt, ſiquidem non niſi a ſelectißimis et minime dubijs obſervationibus per annos plures quam 20 exanthlatis derivatus, idque Inſtrumentis minime fallacibus, quæ imitari paucißimis conceditur. Atque hæc de Lunæ motu obſervando examinandoque ſatis ſuperque dicta ſunto.

Quantum epochas mediorum motuum in hac ipſa Luna ad tempora PTOLEMÆI retro conſtituendas, quarum in ijſdem etiam literis mentionem facis, concernit, ſcias eam in his denotationem, quæ tibi tranſmißa eſt, non fuiße genuinam, ſed per incuriam neſcio quam ex antiquata et reiecta quadam aßumptione, a quodam ſtudioſorum meorum deſcriptam, cum verior illa ad manus non eßet, atque ea, quam pro rata habui, neque ijs, quos accepiſti, neque Prutenicis numeris conſentit, quam modo ſubſtituere minus neceßarium duco, ſiquidem tota illa prior ratio Lunaris circuitionis, aptiore nunc inventa, a nobis repudiatur. In hac vero poſteriore redintegratione, ubi eam adeptus fueris, epochas ad PTOLOMÆI tempora correctas unâ obtinebis.

Pro libris præſtantißimi illius Mathematici FRANCISCI VIETÆ, quorum ſimul cum literis die 26 Aprilis mihi inſcriptis copiam feciſti, † gratias ago plurimas. Retulit ante annum mihi, cum Pragæ unâ eßemus, ADRIANUS ROMANUS, inſignis etiam Mathematicus, eundem VIETAM de Triangulorum compendijs peculiaribus nonnulla in publicum edidiße, quæ videre ‖ averem. Pollicitus is quidem eſt, ſe 148r mihi exemplar mißurum, ſed necdum reſpondit eventus.

Ad eas, quas huc nono Maij direxiſti, non opus arbitror multis reſpondere, cum præcedentia ſufficiant. Id ſaltem addere lubet, mihi nequaquam eße ingratum accuratum tuum illud ſtudium in diſquirendis ſubtiliterque ponderandis ijs, quæ a nobis circa Lunam prius elaborata erant, imo cuperem ulterius, tam in his quam alijs, idipſum

pari

pari diligentia a te fieri, et ſicubi aliquid dubij inciderit, ingenue me admoneri, plus enim ſæpe vident oculi quam oculus, et te candide agere veritatis ſolius eruendæ amore, non ut cum præiudicio quodam noſtra inſecteris, prout plærique ſcioli facere præſumunt, ſufficienter perſpectum habeo. Tentavit etiam excellens ille Italorum Mathematicus ANTONIUS MAGINUS, in Luna, nonnulla e quaternione illo de motu eius Hamburgi impreßo, quem a quodam meo domeſtico in Italiam profecto, me inſcio, adeptus eſt, idque etiam bona, ut ex literis eius apparet, intentione fecit, ſed non pari tecum felicitate metam petitam attigit, veluti patet ex calculo, quem literis ſuis incluſum ante aliquot hebdomadas ad me miſit, cuius copiam unâ facio.

Huc uſque ſcripſeram, vel potius amanuenſi meo dictâram, antequam Benaticâ ante duos circiter Menſes diſcederem, et conſtitueram non ſaltem hîc Pragæ has ipſas literas ſupplere, et quædam alia adiungere, ac calculum, quem mitto, revidere, et in quibuſdam etiam explicare, antequam eas ad te mitterem, prout in brevioribus illis, quas (cum ante menſem libros communicatos reſtituerem) ad te dedi, me pollicitum exiſtimo. Verum cum indies nova me occupent negocia, ut id, etiamſi quam maxime vellem, ſatis cito expedire nequeam (habeo inſuper quædam præ manibus pro Cæſarea Maieſtate, Domino noſtro clementißimo, peragenda, quæ non ſinunt me alijs ſedulo attendere, priuſquam illa abſoluta fuerint) cogor haſce utut immaturas et incompletas ad te dirigere, quo pollicitationi meæ vel aliqua ſaltem ex parte, ſi ſecundum totum nunc non liceat, ſatiſfiat. Adiunxi ea, de quibus inibi mentio facta eſt, quatenus nunc inveniri poterant: nam amanuenſis ille, qui et antecedentia ſcripſerat, et quæ apponenda erant, conſervârat, non amplius apud me eſt, ſed me inſcio, poſtquam huc Pragam veni, contra datam fidem, neſcio equidem qua de cauſa, ab alio, uti opinor, inſtigatus, ſe ſubduxit, et ad Witebergenſes, ubi officium aliquod ſcholaſticum ſperat, redijt: unde vereor omnia, prout oportuit, hîc addita eße, imo an ea ipſa, quæ adiunxi, recte ſe habeant, et ſatis accurate conſignata ſint, ambigo; neque enim recognoſcendi modo ſuppetit otium. Tuum itaque erit omnia circumſpecte expendere, et
148v ſicubi opus fuerit, caſtigare, || quod pro tuo in hiſce exacto iudicio non difficulter præſtiteris. Cuperem vero vel has ipſas, vel earum exemplar (nullum enim mihi ad manus eſt) remitti, ut deſiderata per meliorem oportunitatem ſuppleam, et ſi quæ in annectendis omißa aut minus elaborate peracta ſunt, reſarciam et perfectiora reddam.

† Ad ♀ ſtellam olim iuxta ALBINOVANI Poëtæ opinionem in aurora non apparentem, qua de re denuo in ultimis tuis quæſtionem moviſti, ut multa nunc reſpondeam, temporis anguſtia impedit, nec etiam aliæ nunc ſuccurrunt rationes, quam eæ, quas ante annum ad te perſcripſi.

Licet

Licet enim in novitio tuo calculo, præſertim ad primum tempus coniunctionis ♀ et ☿, latitudinis diverſitas non tanta ſit, quanta antea admiſsa eſt (neque enim hîc dimidium gradum attingit, quem PTOLOMÆUS non ſemper hac in parte aſsecutus eſt, nedum eius imitator COPERNICUS) attamen quomodocunque coniungantur ♀ et ☿ etiam in ipſo longitudinis et latitudinis minuto, hæc ab ipſo, ut plane non appareat, obſcurari nequit, cum unum luminoſum corpus alterum non obfuſcet, nec viſibilis diameter ☿ij tanta eſt, ut id efficere poſsit, quemadmodum iam dudum monui. Si itaque citra Poëtarum Privilegia Poëta is veridicus eſt, crediderim potius ♀ ob exhalationes et meteora quædam candida aërique ſimilima obvelatam delituiſse, præſertim cum 8 ſaltem gradibus a ☉ elongaretur, ideoque radijs eius quodammodo obnoxia, minuſque ob diem illuceſcentem conſpicua; ſed de his tute rectius diſpicies. Addam SCALIGERI literas nonnulla in fine de hoc ipſo negotio continentes, ſi exemplum ſatis cito obtinuero.

Fuit apud me Benaticæ vere præterito M. IOHANNES KÖPLERUS, inſignis apud Styriacos Mathematicus, cum quo tibi etiam per literas familiaritatem intercedere ab ipſo cognovi. Retulit vero inter alia ſe aliquando nonnulla tibi ſcripſiſse, de Hypotheſibus meis in controverſiam vocatis, atque quod eæ nec in COPERNICO, nec APOLLONIO PERGÆO, ut quidam (iam ante 14 dies mor-||tuus) prætendit, 149r invenirentur, oſtendiſse, atque certis indicijs non alterius, ſed meas eſse collegiſse. Rogo itaque peramanter, velis eas KÖPLERI literas mecum † aliquantiſper communicare, aut ſaltem ea verba, quæ hoc negocium concernunt, inde tranſsumpta et tuæ manus ſubſcriptione in veritatis teſtimonium ratificata tranſmittere, idque per primam Poſtam a vobis huc redeuntem, et Agenti (uti vocant) Principis veſtri id, quicquid erit, mihi tradendum committere. Feceris mihi ſic rem apprime gratam; incumbit enim nunc aliqualis neceſsitas, cur ſic fieri averem, de qua alias reſciſces.

Invitârat nuper Sereniſsimi Principis veſtri Legatus me ad cœnam, a quo humaniſsime et lautiſsime exceptus fui, et crebra tui, eaque (uti decuit) honorifica facta eſt inter nos mentio. Quamprimum ea, quæ nunc pro Cæſare elaboro, parata fuerint, ut liberior eſse queam, conſtitui illum viciſsim ad me invitare, ſiquidem quod acceſsum non ſit detrectaturus, iam benigne mihi addixerit. Tunc plenius de te colloquemur, et nonnulla ex ijs, quæ inter nos mutuis literis ventilata ſunt, ipſi oſtendam, unâ cum Inſtrumentis quibuſdam e meis, quæ nunc partim Benaticâ, Cæſare ſic volente, huc allata ſunt, partim (uti ſpero) brevi aderint, ut de ijs domum reverſus ad te referat: quamvis potiſsima eorum pars, unâ cum reliqua mea ſuppellectile adhuc Magdeburgi detineatur, ſumptibus tamen Reverendi eius loci Capituli, in gratiam Cæſareæ

Cæſareæ Ma^{tis} huc per Albim (niſi ob æſtum continuum nimis exſiccatus fuerit) quam citißime fieri poterit, advehenda. Quæ hoc tempore tibi ſcribenda inſinuandaque duxi, utque omnia candide accipias, atque mature expectationi noſtræ reſpondeas, te etiam atque etiam rogatum habeo. Vale. Dabantur Pragæ die 28 Auguſti ſtylo novo Anno 1600.

Magnificentiæ Tuæ
ſtudioſißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

Si aliquos ex libris in ſcheda pariter adiuncta denotatis ſucceßive mihi mutuo mittere poßis, feceris ſic non minus quam antea rem acceptißimam. Reſtituam eos bona fide, ut etiam in prioribus factum.

Habes inſuper hîc Calculum Eclipſeos Solaris, e novitijs meis tabulis ſupputatum. Inde facile colliges, paulo aliam eße in ☾^{æ} motu poſtea adinventam rationem, quam prior illa tecum antea communicata. Obſervata eſt ⊙^{is} altitudo ad initium obfuſcationis P. 60 M. 43 in elevatione Poli P. 50 M. 4½ iuxta meam animadverſionem. Hinc tempus inquire ac cum noſtris numeris confer. Hîc autem Pragæ hæc, de qua loquor, facta eſt obſervatio per Quadrantem quendam orichalcicum Generoſi Domini IOH. FRIDERICI HOFFMANNI ſingula minuta exhibentem, et ad imitationem cuiuſdam ex meis, qui in Mechanica Aſtron. numero eſt tertius, elaboratum. Si quid apud vos in eadem Eclipſi cœlitus denotatum eſt, fac me eius animadverſionis participem.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS
AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.

239v CUM primum, Vir nobilißime atque Mathematicorum omnium facile princeps, ad me miſiſti carmina illa, quæ de rebus tuis ſunt compoſita, ſubijt animum, quod quondam IACOBUS CURTIUS Procancellarius Imperij, piæ memoriæ (qui mihi aßiduus ſtudiorum collega et contubernalis in Gallia et Italia, exinde amicus intimus et quidem pars animæ meæ, dum vixit, extitit) mea ſuggeſtione motus, deſideravit carmen aliquod huius generis obtinere a D. PHILIPPO MENZELIO, Medicinæ D. et Profeßore celebratißimo, cum is in his partibus Poëtas reliquos longe antecellere exiſtimetur, ſed ob diſtractiones tam lectionis publicæ quam et praxeos Medicinalis modo memorati D. MENZELIJ fruſtra et incaßum laboravit. Idcirco plane conſtitui

 nullum

nullum non lapidem movere, donec optatum ego adpiſcar. Id ægerrime quidem, ut verum fatear, ſed tamen iam tandem aliquando impetravi, et his iunctum ad te mitto, quod ſpero et confido tibi non futurum ingratum.

Mitto etiam veteres quoſdam Geographos nunc primum in lucem editos, mihique inſcriptos, inter quos SCYLAX Caryandenſis eſt, cuius et STRABO et CICERO meminit, author ſane vetuſtißimus, ipſo HERODOTO et THUCYDIDE antiquior, ut qui temporibus DARIJ primi HYSTASPIS filij floruerit, penes quem aliqua reperies, quæ alibi non † extent. Atque ſimul unâ te bene valere et quam fœlicißime florere ex animo opto. Datæ Auguſtæ die 8 Sept. A. 1600.

[E codice Vindobonensi lat. 10686[4]] †

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO 3ᵛ
DOMINO TYCHONI BRAHE, DOMINO A KNUDSTRUP ET URANIBURGO, MATHEMATICORUM OMNIUM FACILE PRINCIPI, DOMINO ET AMICO SUO SINGULARI OBSERVANTIA COLENDO.

PRAGÆ.




CUM præteritis diebus, vir nobilißime atque Mathematicorum 1ʳ omnium facile princeps, Auguſta tranſirem, ipſe conſignavi Theatrum tuum Mechanicum Generoſo viro, D. PHILIPPO EDUARDO FUGGERO. Egit ille tum gratias ingentes, et pollicitus eſt, ſe tibi in ſcriptis quoque gratias acturum. Hac ipſa die domum reverſus reperi litteras tuas die 28. Auguſti ſtylo novo Pragæ exaratas, quibus inter alia deſideras quantocitius ea tibi tranſmitti, quæ M. IOANNES KEPLERUS de hypotheſibus tuis antehac ad me ſcripſerit. Eſt is ſane Mathematicus inſignis, mihique tam eo nomine, quam et ob candorem ſuum perquam acceptus: quare nollem eum quavis ratione vel occaſione offendere. Sed cum ſcribas fato iam functum illum, qui ſibi hypotheſes illas arrogaverat, et non modo pro re nata, verum etiam pro benevolentia tua, qua me complecteris, plane mihi perſuaſum ſit, hanc communicationem amico meo D. KEPLERO non fore ingratam, idcirco morem gerere tibi ſtatui. Scripſit autem is 30. die Maij anno proxime elapſo 1599 hæc verba: †

»Fatetur URSUS, ſe hypotheſes illas ſuas non a ſeipſo habere, niſi quatenus aliquid differt a TYCHONE. Contendit vicißim TYCHO, quas profiteatur hypotheſes (qua parte diſcrepant a Copernicanis) eas ſe ſuo Marte inveniße nec aliquid ſimile uſpiam vidiße. Contra URSUS,


URSUS, et ſuas et TYCHONIS deductas eße ex APOLLONIJ PERGÆI iam pridem circa tempora CHRISTI publicatis hypotheſibus. Huius ſui pronunciati caußam reddit loca aliqua COPERNICI, in quibus partim ipſa hypotheſis TYCHONIS expreße ponatur ab ipſo
1v *COPERNICO ‖ partim vero APOLLONIO PERGÆO aſcribatur. Atqui nihil minus ijs locis COPERNICUS dicit quam hoc ipſum quod vult URSUS. Neque enim TYCHONIS hypotheſin exprimit (fallitur ex alluſione URSUS) nec eam APOLLONIO PERGÆO aſcribit. Cum ergo fateatur URSUS 1. ſe hauſiße ſuam hypotheſin aliunde, 2. inveniße expreßam in COPERNICO et attributam PERGÆO, 3. eandemque eße quam habet TYCHO: fatetur ergo ſe deſcripſiße illam ab aliquo, qui idem dicit quod TYCHO.*

Notetur hoc, quod qui ſuas URSO monſtrarit hypotheſes (dempto exiguo quod mutatu facile eſt) is eadem plane ὑποτιθεῖ cum TYCHONE. Quis autem is eſt? URSUS dicit, COPERNICUM illum eße, et in eo PERGÆUM prætereaque neminem. Nemo itaque eſt Author Urſinarum præter aut PERGÆUM, in COPERNICO, aut TYCHONEM. At ego dico, PERGÆUM non eße Authorem Urſinarum, nec COPERNICUM. Ergo ſolus TYCHO prætereaque nemo fuit URSO commonſtrator ad ſuas hypotheſes. Firmamentum caußæ in eo eſt, ut genuinum ſenſum COPERNICI habeamus. Cætera confeßione ſua concinnavit URSUS ipſe. Ergo lib. 3. cap. 25. Revolutionum, ubi Tychonias URSUS a COPERNICO putat exprimi, largitur quidem COPERNICUS aliquos ex motibus, quos ipſe Terræ tribuit, Soli tranſcribi poße: ſed non id largitur de motu annuo, nec de motibus 5 Planetarum capitalibus ibi agit: nec id fert argumentum libri, quod verſatur in explicatione ſolius motus Solaris (ſive terreſtris) ſine reſpectu motuum cæterarum ſtellarum. Ad evidentiam
† *rei deſcribam duo ſchemata mentem COPERNICI explicantia: ‖*

2r



† Hæc eſt hypotheſis COPERNICI, circa unum orbem Terræ vel Solis.



Hæc eſt mutatio, quam libro 3. cap. 25. etiam poßibilem ponit, et in dubio relinquit.

In

In priore ſchemate A centrum et mundi et corporis Solaris. B centrum Epicycli, quod ſalvat eccentricum (COPERNICUS ex epicyclis et magno orbe facit eccentricum, ſed idem eße ipſe ait). Et B illud æqualiter per anni ſpacium circa A circumit. C centrum Epicyclij quod mutationem præſtat eccentricitatis. Illud C itidem annuo motu circumit circa B, in partem contrariam. D Terra eſt, quæ intra annos 3434 circa C circumagitur.

In altero ſchemate F eſt centrum mundi et motus Terræ H, quæ annuo motu adhuc æqualiter circumit. E eſt centrum corporis Solaris, quod circumit circa G centrum in annis 3434. G eſt centrum epicycli, qui Solem E fert, præſtans apogæo Solis progreßum, nam in annis 17188 ſecundum COPERNICUM et Prutenicas circa F circumit, ſub fixis. Itaque movebitur quidem loco ſuo Sol duobus motibus, ſed tardißime, nec multum. Sunt enim circelli valde anguſti ad comparationem eius circuli, in quo, in utroque ſchemate, Terra currit. At URSUS, ſeu inſcitia, ſeu ſtultitia (qui hæc neminem intellecturum ſperavit) putat COPERNICUM de tali motu Solis loqui, qui || [2v] ſit ſimilis motui Terræ annuo Copernicano: quique aliquid in parallaxibus 5 Planetarum inferat. Nam hi duo, Soli ſecundo loco conceßi a COPERNICO, in conſideratione cæterorum Planetarum negliguntur, ſive Terræ ſive Soli attribuantur: quamvis poſtulante id demonſtratione exiguum aliquid inferant, quod videtur ſentire in obſervationibus TYCHO. Hæc de primo loco.

In reliquis locis ex COPERNICO allegatis lib. 5. c. 3, 35 adhuc multo peiorem cauſam habet URSUS. COPERNICUS mentionem APOLLONIJ PERGÆI eiuſque lemmatij ex PTOLOMÆO tranſtulit, quod miror non legiße URSUM in PTOLOMÆO. Sententia PERGÆI toto fere genere alia eſt. Non enim verſatur ille in conſideratione ſyſtematis 5 Planetarum, quorum centrum in corpore Solis ſit, ut TYCHO atque COPERNICUS et quidam antiqui: ſed ſolum in eo ut dicat, qualem proportionem habere debeat Epicyclus cuiuſlibet Planetæ, ſeorſim ad ſuum orbem proprium et horum ad motum anomaliæ commutationis et motum æqualem periodicum, ut ex tali proportione ſequatur Planetæ illius ſtatio et regreßio. Sic etiam defectus eius hypotheſeos in eo fuit, quod PERGÆUS opinatus eſt, quemlibet Planetam una tantum inæqualitate variari[1], quæ a PTOLOMÆO ſalvatur per epicyclum, neſciens ipſum etiam epicycli centrum inæqualiter incedere, ſive ſecundum PTOLOMÆUM, in Eccentrico. Hunc allegatorum locorum ſenſum eße

[1] PERGÆUS non commendatur a PTOLOMÆO, ob ipſam conditionem hypotheſium, ſed ob † ſubtilitatem demonſtrationis ſane pulcherrimæ. Vide REINHOLDUM in Theorias PURBACHIJ, capite de ſtationibus.

omnes

omnes profeßores dicent. At URSUS aut cæcus aut vafer, interpoſitione parenthetica vocis (mobilis) perſuadere vult, PERGÆUM vel pro eo COPERNICUM loqui de communi illo motu omnium 5 Planetarum, propter Solem, centrum illorum, annuo motu circumactum: de quo motu TYCHONIS hypotheſes ſonant, quique a COPERNICO Terræ tribuitur. Atque hoc eſt firmamentum cauſæ. Qui hæc perpendit, illi iam ultro ſuſpicio oritur ex omnibus circumſtantijs. Fatetur 3r ‖ *ſe furti philoſophici reum, ſe Magdeburgi ſententiam TYCHONIS de mundi habitu publicam feciße, ſed iuxta ſuam, natam ſcilicet ex quadam matre, quæ nuſpiam eſt, ut modo quærendo comperimus.«*

Hactenus illa, quæ M. KEPLERUS ad me ſcripſit. Ad alia quæ ſcribis, reſponſum habebis, cum primum mihi fuerit tantum otij, atque hiſce tibi officia et ſtudia mea offero promptißime. Datæ Monachij die 11. Sept. Anno 1600.

Nobilißimæ T. Dni
Addictißimus
IOAN. GEORG. HERWART AB HOHENBURG,
manu propria.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MARTINUM BRASCHIUM.

133r UAS 8 die Auguſti ſtylo veſtro ad me dediſti literas, Eruditißime BRASCHI, eas heri, qui erat 14 Septembris iuxta reformatum Calendarium, per Dn. GÖDELMANNUM, Legatum Saxonicum hîc agentem, recepi, quibus nunc, ipſo etiam ſic ob nuncij feſtinationem admonente, hæc, quantum ferunt aliæ meæ occupationes, properanter reſcribo. De Elegiaco tuo Carmine bene eſt, quod meas etiam qualeſcunque non reſpuis notas: incœperam quodam die pomeridianis horis (nam ante meridiem ſeriora tractanda ſunt) nonnulla in eodem mutare atque aliter diſponere, quædam etiam omittere, atque nonnullibi alia ſupplere, idque antequam ex Arce reſidentiæ meæ Bennaticâ huc Pragam a Sacra Cæſarea Maieſtate, Domino noſtro Clementiß. quamprimum Pilſenâ redierat, clementißime evocatus, ubi etiamnum uſque in tertium Menſem ab eadem retineor, et quantum intelligo, cupit ipſius Maieſtas, ut in viciniore magiſque oportuno habitem loco. Toto vero illo tempore, dum hîc ſum, tot mihi pro ipſius Maieſtate et alias quoque peragenda fuêre, ut otium mihi non ſuperfuerit ea vel ſemel in manus reſumendi, nedum plenius recognoſcendi, ſed

ſed fiet id, nacta, uti ſpero, aptiore et tranquilliore commoditate. Interim vellem, ut carmen illud tacitus tibi reſervares, nec cuiquam communicares; ſunt enim quædam in eo, quæ minus appoſite relata ſunt, nec pro Cæſare (ut de me ipſo nihil dicam) ſatis decore aut conveninter, de quibus, ubi ijs denuo vacare licuerit, te ingenue admonebo, vel noſtra tranſmutatio id facile edocebit, neque enim dubito, quin pro tuo candore, prout etiam nunc polliceris, ſis æqui bonique laturus. Alterum illud carmen Epicum de VARADINO, cuius meminiſti, nondum vidi; nec mihi cum Domino MELCHIORE RÖDERO, cuius mentionem facis, ulla hactenus interceßit noticia, neque etiam ſcio, an hîc ſit, quantum relatione aliorum audio, in Ungaria eſt; quare de eo et ijs, quæ ipſum concernunt, non habeo amplius quod ſcribam.

MELISSUS tandem expectationem et ſpem, quam de ipſo concepimus, redemit, mißis, paulo antequam Benaticâ abirem, ternis ad me diverſi generis carminibus, quorum Exemplum addam, ſi tempus deſcriptionem tulerit. Verum ut dicam quod res poſtulat, videtur in hiſce ſegniore vena præditus || quam alias, ſive quod hæc ingraveſcens ætas 133v (eſt enim, uti opinor, plus quam ſexagenarius) ſpiritus Poëticos minus alacres et humiliores producat, ſive, quod tu etiam fateris, ardor ille temporum intervallis plus vel minus incendatur, interdumque lentior evadat. Præ cæteris autem, Epigramma illud primum, quod de me luſit, minus vividum nec ſatis concinnum apparet, unde hanc mihi ſumſi audaciam, ut aliqua in eo alterarem, quamvis ne ſic quidem per omnia arrideat, nec ſcio, an is meas animadverſiones tam libenter ferat atque tu; quare Epigramma illud, cum alia in mei gratiam hinc inde concinnata carmina aliquando forte cudentur, omittendum potius duco, quam ut publicatum autori ſuo minus ſit honorificum, aut mea ieiuna immutatio illi ingrata ſtomachum moveat.

De Poëmatis tuis vel orationibus Philoſophicis Imperatori dedicandis, non ſcio quid conſulam, nam licet Cæſarea Ma^tas^ erga eruditos ſatis ſit beneficax et liberalis, nec reſpiciat, cui religionis formæ addicti ſint, tamen Conſiliarij difficiliores ſunt et lenti in exequendo, minuſque favent ijs, qui catholicam (uti vocant) religionem non profitentur: ſi quid autem in ipſius Maieſtatis honorem conſcribere lubuerit, ſit hoc potius carmen quoddam grave et nervoſum, de rebus ab ipſius Anteceßoribus inde a CAROLO V. et denique a ſe ipſo hactenus præclare geſtis, ubi etiam per occaſionem inter cætera eius Elogia inferre poteris, quod Aſtronomiæ inſtaurationem ad inſtar ALPHONSI illius veteris Caſtiliæ et Siciliæ Regis noſtro ævo benignißime promoveat. Oportet etiam ſuccincta aliquot et arguta Epigrammata ſubiungere, nam talibus maxime afficitur Cæſar, et brevitate gaudet. Verum hæc tuo potius relinquo arbitrio, qui rectius noſti, quid hîc faciendum vel ſecus.

DAVIDEM

DAVIDEM CHYTRÆUM ſuperiore Iunio Fatis conceßiße iam antea inaudieram, uti et Maio antecedente noſtrum in Dania HEMMINGIUM, ambos profectæ ætatis ſenes et de Republica literaria bene meritos, quorum animæ ſint in benedictione et pace: memoria
134ʳ ad poſteros unâ cum monumentis relictis perduret || ac fructum faciat. Perluſtravi ea, quæ in CHYTRÆI obitum concinnaſti, apprimeque placuerunt. Legi etiam ſcriptulum iſtud unâ tranſmißum de ijs, quæ hoc Anno in Arctois oris uſque ad Menſem Maium memoratu digna evenerunt, in quo ſunt plæraque apud Suecos geſta auditu triſtia minuſque iucunda. Deus omnia moderetur in bonum! Scripſerat ad me ſuperiore Anno præfatus optimæ memoriæ CHYTRÆUS et conſignationem quandam miſerat de ijs, quæ hiſtoriolæ huius Anni, meam e Dania huc in Bohemiam emigrationem concernentia, inſerere conſtituerat, eaque meo arbitrio (aliter ſi luberet) formanda reliquerat. Ego vero illi reſcribens chartam literis impoſui, qua id quod expetebat iuxta meam ſententiam inſinuavi. At cum in eo quod miſiſti ſcripto nihil eiuſcemodi inveniatur, ſuſpicor literas meas non ſatis mature ad ipſum perveniße, aut quod morbo impeditus et poſtea morte præventus ea exequi nequiverit. Si itaque literæ illæ meæ unâ cum ſcheda inſerta adhuc inter ipſius chartas poſthumas inveniuntur, cuperem ea, quæ illi annotâram, convenienti loco hiſtoriolæ huius Anni adhuc immiſceri, neque enim dubito, quin quiſpiam Veſtratium eam uſque ad Anni finem continuaturus ſit, ut ſic Hiſtoria Arctoa ab optimo illo CHYTRÆO inde ab Anno milleſimo quingenteſimo inchoata hoc milleſimo ſexcenteſimo compleatur, atque hac ratione integrum contineat centenarium. Poterit vero id quod ego fieri averem, mea opinione rectius ſubiungi ijs, quæ a CHYTRÆO conſignata ſunt, tanquam ab ipſo, dum adhuc viveret, exarata, ne ſi aliqua ibi reperirentur vicinis Danis minus grata (uti eſt veritas plærumque odioſa) nemini inter Veſtros Profeßores adhuc ſuperſtites id imputari poßet. Placebit (uti opinor) Cæſari, ubi viderit longe etiam remotas Academias ſua ob Aſtronomiæ promotionem deprædicare encomia, nam et ab Illuſtri ac ||
134ᵛ Magnifico Domino CORRADUCIO, Imperij Procancellario, quam primum antecedente Anno e Legatione Italica et Romana huc reverſus eßet, quæſivit, an Romæ vel alibi in Italia audivißet, quod me ob Aſtronomiam redintegrandam huc vocârit, cumque is affirmaret, ſe tam Romæ quam in alijs locis hoc relatione præſtantium Virorum percepiße, id Cæſari admodum placuit, et ſibi ipſi vel hoc nomine quaſi congratulari viſus eſt, prout ab ipſo Domino CORRADUCIO hæc ad me perlata ſunt; atque hinc cætera, quæ deſidero, æſtimare licebit. Nihil tamen Vobis præſcribo, ſed omnia veſtro arbitrio et conſulto iudicio facienda [vel o]mittenda relinquo. Referet quoque plura ex

me

me ſupranominatus Dn. Doctor GÖDELMANNUS, ubi vos, uti conſtituit, acceßerit.

Vale et Clarißimum Virum Dn. D. LUCAM BACKMEISTERUM (cui etiam in ultimis meis literis de memorata re, ſi recte recordor, nonnulla ſcripſi) ex me officioſe ſaluta. Si tabellarius tam diu expectârit, denuo illi ſcribam. Saluta etiam cæteros Amicos meos Roſtochienſes. Magiſter CHRISTIERNUS ante 6 ſeptimanas hinc a me diſceßit in Patriam rediturus atque Vos in tranſitu allocuturus, quare eum iam iſtic aut eße aut fuiße exiſtimo. Tu vero, mi BRASCHI, nulla intermißa oportunitate, mihi reſcribe, habebis me ſemper tui ſtudioſißimum. Iterumque vale. Dabantur feſtinanti calamo Pragæ 15 die Septembris Anno 1600.

[E codice Basileensi G I 35] †

TYCHO BRAHE AD CHRISTOPHORUM STURCIUM.

S. 135r



ITERIS ne omnibus mihi ſcribendis tam diu abſtinendum duxiſti, Clarißime et Eruditißime Domine STURTI, Amice plurimi ſemper faciende? An vobis deeſt charta, atramentum, calamus; an voluntas potius deeſt? Neque enim ignoras, ubi verſer: Civitas eſt celebris et populoſa Regia Bohemiæ, Cæſaris reſidentia, crebri huc ex varijs et longinquis regionibus advolant internuncij. Quid igitur habes, quo tam diutinum ſilentium excuſes? Forte alijs intento de me cogitare nec lubet nec vacat. Ego nihilominus hæc ad te, etiam occupatißimus, exaro, ut vel inde perſpicias me conſtantem in tui amore permanere, nec memoriam ex animo depoſuiße.

Prælegit mihi heri Dominus Doctor I. GŒDELMANUS, Legatum hîc agens Saxonicum, quædam ex Oratione tua, quam habuiſti in funere Domini DAVIDIS CHYTRÆI, optimæ memoriæ, qui utrique noſtrum, dum vixit, amicißimus erat, quæ attente audivi; et libenter percepi ipſum habuiße tam piam ac felicem migrationem ex temporis Horizonte in æternitatis aſylum: atque hinc ſimul cognovi te etiamnum Roſtochij degere, aliter quam prius exiſtimaßem, ſiquidem iam antea ſubintellexeram te reditum in Patriam moliri.

Miſit ad me inter alia inſignis ille veſtræ Academiæ Poëta BRASCHIUS narratiunculam de rebus Arctois hoc Anno geſtis, atque uſque in ſolſtitium æſtivum a dicto Domino CHYTRÆO ante obitum deductis: quia vero is ſuperiori Anno || ad me pagellas quaſdam miſit, 135v
in

in quibus nonnulla de meo e Dania diſceßu atque huc in Bohemiam ex voluntate Clementißima Cæſaris profectione, cuius Regni iam incola factus ſum, a ſe concepta annotaverat, quæ alteranda meo reliquit arbitrio: remiſi itaque aliam chartam, quæ nonnulla immutata habebat et pleraque plenius exponebat, quæ putaßem illum hiſtoriolæ huius Anni inſerturum, prout pollicitus erat; ſed nihil tale in pagellis mißis invenio; quare ſi narratio illa uſque ad finem Anni continuabitur, per te vel quempiam alium, uti convenit, vellem ea, quæ Domino CHYTRÆO miſi, convenienti loco immiſceri, præſertim ut Cæſarea Ma[tas] videat doctos Viros, etiam longe hinc dißitos, ipſius conſilium in me huc pro Aſtronomia redintegranda benignißime vocando probare et dignis encomijs evehere; quod etiam ipſius Ma[ti] apprime, uti opinor, placebit. Neque enim urgeo, ut omnino hoc faciatis, niſi vobis ipſis ſic placuerit: nec neceßarium erit me præeuntem per omnia ſequi veſtigia; veſtro liberum concedo arbitrio ea, quæ rogatu bonæ recordationis Domini CHYTRÆI conſcripſeram illique tranſmiſeram, quæque unâ cum literis meis inter ipſius chartas facile reperientur, mutare atque aliter efformare, prout lubuerit: qua de re plura iam antea ad communem noſtrum Amicum, Clarißimum Dominum Doctorem LUCAM BACHMESTERUM perſcripſi, et iam nonnulla ad eundem repeto, ſed fuſius literis meis ad prædictum Dominum BRASCHIUM,
136r qui hiſtoriolam illam mihi miſit, attingo, qui te eorum ‖ non invite reddet participem. Vale. Plura enim adiungere nunc non vacat. De rebus meis ex prænominato Domino BACHMESTERO cognoſces. Iterumque vale. Dabantur Pragæ Bohemorum Die 16 Septembris ſtylo novo Anno 1600.

Tui amantiß.
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD LUCAM
BACMEISTERUM.

137r CLARISSIME et Præſtantißime Vir, Amice inprimis honorande, etſi per M. CHRISTIERNUM noſtrum hinc diſcedentem et in Daniam cogitantem, ſiquidem Roſtochium tranſire et ibi forte aliquantiſper ſubſiſtere conſtituerat, literas ad te dederim, partim de rebus meis, partim de ijs, quæ hiſtoriolæ annuæ optimæ memoriæ Domini Doctoris DAVIDIS CHYTRÆI, prout ipſemet, etiam dum in vivis erat, propoſuerat, inſeri averem, commonefacientes; tamen

oblata per hunc tabellarium ad Vos euntem et mox huc revertentem tam commoda oportunitate, non intermittendum duxi, quin denuo aliqua tibi ſcriberem, nec tamen priora multis repetam, id ſaltem ijs ſuperaddam, me etiamnum deſiderare, ut ea, de quibus prius rogâram, hiſtoriolæ annuæ præfati Domini D. CHYTRÆI uſque ad huius Anni exitum ab aliquo Veſtrorum, uti opinor, profeßore continuandæ, competenti loco inſerantur. Video enim in ijs chartis, quas mihi miſit Poëta veſter Dn. BRASCHIUS, quæ in ſolſtitio æſtivo ob Autoris mox ſubſequentem obitum, narrationem interrumpunt, id omißum eße. Quare pluribus hac de re ad dictum Dn. BRASCHIUM ſcripſi, qui tibi meas facile oſtendet literas, unde plura et particulariora hauries; neque tamen hîc quippiam urgeo, ſed omnia cum veſtro ſtabunt cadentque libero iudicio.

Quantum vero ad res meas attinet, ſunt eæ adhuc in eodem ſtatu, quo erant, cum ultimas ad te mitterem. Maneo etiamnum hîc Pragæ cum tota familia ex Cæſaris voluntate hîc retentus, donec de loco habitationis commodiore et propinquiore, ubi exercitijs meis Aſtronomicis vacare poßim, mihi clementißime proſpexerit, qua de re etiamnum agitur, nam lente in hac Aula ob negotiorum molem omnia procedunt. Supellex mea || unâ cum Inſtrumentis Aſtronomicis, quæ 137v
Magdeburgi aliquamdiu relicta erant, in ea Albis parte, quæ Dreſdam et hunc locum intercedit, iam, uti ante biduum inaudivi, navigio appropinquant, ita ut ſperem ea inſtante ſeptimana hîc in Bohemia adfutura. Quare de loco, ubi diſponenda ſint (ſiquidem arx Benatica nimis hinc remota ſit, nec admodum oportuna) iam eo maturius deliberamus, et negotium hoc acceleretur.

Non dubito, quin literas adfini tuo Magnifico Dn. BORDINGO inſcriptas, quas prædictus M. CHRISTIERNUS ſecum attulit, expedivißе, et contenta earundem, quantum in te erat, promovißе. Si nihil adhuc in re illa pecuniaria, de qua aiebam, effectum eſt, nec aliqua iſthic ſuppetit commoditas id tuto exequendi, poterit uſque in adventum Dn. D. IOHANNIS GÖDELMANNI (qui ſe quatuordecim abhinc diebus Roſtochium profecturum heri mihi indicavit) deferri, ut per ipſum quam optime fiat. Qua de re etiam ad prænominatum adfinem tuum latius perſcripſi, quas literas, ſi tabellarius hic Guſtrowium tranſiens id non præſtiterit, actutum dirigas quæſo, atque ut idem tabellarius ratum ſecum adferat reſponſum, operam da, quin et tu ipſemet cum eodem mihi reſcribas, ſimulque indices, quid rerum in vicina Dania et Suecia geratur. Narratum eſt hîc ante paucos dies, incerto tamen rumore, dißidium quoddam ſubortum inter Regem Daniæ Regnique Nobilitatem, quod tamen irrita fama prolatum ſpero. Deus avertat a Patria mea inteſtina mala, quæ plurimum ſecum damni trahere ſolent.

lent. Turca in Ungaria eſt cum maximo exercitu, cui noſtri Imperatoris vix pro quarta parte par eſt: pugnet pro nobis armipotens Deus, cui etiam te tuoſque omnes commendo et bene valere precor. Dabantur properanter Pragæ Bohemorum 16 die Septembris ſtylo novo Anno 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MELCHIOREM IŒSTELIUM.

139r S.



EDI iterum ad te literas, Eruditißime et amantißime Domine M. MELCHIOR IÖSTELI, ante paucos dies, de ijſdem ferme rebus, quas ſuperioribus attigeram; ultimas autem haſce Domino Doctori FRANCIO, Iure conſulto, nunc Comitis Embdenſis Cancellario, hinc proficiſcenti commiſi, qui eas ſe recte curaturum addixit: interim commodum accidit, quod tuæ antepenultimo Auguſti Wittebergâ ad me datæ intervenirent, quæ eorum, de quibus antea memineram, reſolutionem, quoad principaliora, continent; ad quam ſic reſpondeo.

Polliceris ab initio te collationem Hypotheſium brevi mißurum, ſiquidem iam perfectiorem quam antea elaboratam habeas. Fac igitur, ut mature obtineam, et figuras decenter aßigna; addenda eſt autem explicatio ſufficiens, non quidem admodum prolixa, ſed etiam non nimium conciſa; deſcendendum etenim nonnunquam ad captum Tyronum. Spero itaque me intra duas vel tres hebdomadas id, quicquid erit, a te habiturum.

Quæ de M. ŒSTWALDO ſcribis, non improbo. Maneat iſthic, ſiquidem id malit, et ſupputet nihilominus pro me, quæ per ocij intervalla abſolvere poterit, numerabo illi in ſingulos Anni quadrantes ſex Ioachimicos, quod in ſingulas hebdomadas dimidium ferme Ioachimicum facit. Sed volo, ut etiam ſingulis Anni quadrantibus mittat, quæ abſoluta habuerit. Hæc ad ipſum ferre poteris. Quamprimum Tabulæ Lunares unâ cum ijs, quæ huc requiruntur, ad mundum deſcriptæ fuerint, mittam exemplar, ut inde Ephemerides ſupputet incipientes ab hoc labente 1600, et per ſexennium inſtans continuandæ, unâ cum Solari Diario atque aſpectibus omniumque differentijs, prout antea fecit, ſolvam autem illi pro cuiuſlibet Anni Ephemeride tres Ioachimi-
139v cos, prout in ultimis || ad te literis ſcripſi, ſed vellem, ut calculum maturaret, quo omnia unâ cum adiungendis ſatis cito inprimi adque inſtantes Francofurti Nundinas Vernales mitti poßint, in 4to maiori excuſa.

Cum Typographo veſtro M. ZACHARIA LEHMANO age, ut ſex illos quaterniones, vel tres duplicatos, qui deſiderantur in Progymnaſmatis meis, inprimat, atque papyrum ſimilem illi, quæ in libro eſt, æque nimirum albam et tenuem eiuſdemque magnitudinis, ſibi procuret, ita ut 1400 exemplaria de quolibet quaternione inprimat. Exiſtimo, quod Ballam eiuſcemodi papyri pro 10 florenis nanciſcetur; nam et ego antea eam, quæ in libro meo de Cometa Anni 77 eſt, Francofurti emi pro 8 florenis, Baſileæ paratam et longo itinere iſthuc vectam, ſed iam forte alia ſunt tempora, omniaque nunc cariora. Quicquid id erit, ſolvam illi iuſto et debito modo, ut indemnis ſit: proſpiciat ſaltem de papyro, uti dixi, quæ conveniens ſit, interea dum exemplum paratur. Mittam poſtea, quæ præfationis loco præfigenda, tum quoque quæ in concluſione ſubiungenda, ut et illa abſolvat. Si pecunia mea tam cito e Mechelburgenſi Ducatu advenerit, potes inde 25 Ioachimicos tecum retinere pro ſolutione tam papyri quam laboris Typographici, ſucceßive exponenda: verum ſi id non evenerit, mittam ipſemet cum Domino Doctore GÖDELMANO, qui hîc Legatum agit Saxonicum, pecuniam ſufficientem; ille enim poſt 14 dies conſtituit hinc Roſtochium proficiſci, atque in itinere Wittebergam tranſire; forte etiam exemplum ſecum adferet, ſi alia negotia deſcriptionem non remorata fuerint. ‖

Cognovi inſuper ex hiſce tuis, quâ de caußâ huc venire nequeas, et 140r
libenter tuo acquieſco conſilio, neque amplius hac de re quidpiam movebo. Confido tamen, quod etiam iſthic habitans operam tuam nonnunquam per otij oportunitatem, in ijs, quæ a te fieri deſiderâro, non denegaturus ſis, inveniar vicißim gratus. Et ſiquidem medicinæ applicâſti animum, et in ea facultate promovere conſtituiſti, det Deus, ut omnia tibi feliciter et ex voto ſuccedant. Memineris autem, medicinam rite præparatam medicum efficere et pro ipſo operari; non verba, ſive HIPPOCRATIS, ſive GALENI, ſive cuiuſvis alterius diſerti authoris. An vero hoc, quod dixi, iſthic aßequeris, admodum dubito, optare id potius licet quam ſperare. Sed efficies facile quod cœteri, ut mundus habeat, quod vult. Hæc ſi IESSENIO noſtro dixeris, partim riſum, partim bilem illi movebit ſcio. Miror, quod ille mihi nihil ſcribat, nec indicet, quid de libro et Globo illi tradito factum ſit.

De Geneſi illa, quam nôſti, poteris ſuo tempore, cum rectius vacârit, diſpicere et ad me quidpiam perſcribere. Vale et primâ quaque occaſione reſponde; ſaluta amicos meos Wittebergenſes, quos nôſti. Dabantur feſtinanter Praga Die 18 Septembris Anno 1600 ſtylo novo.

Rogo inſuper velis providere de ſtudioſo uno vel altero ad hæc ſtudia apto, prout in ultimis ſcripſi.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD TAUBMANNUM.

141r *Num, TAUBMANE, tibi vox rauca in faucibus hæret?*
Piſcibus et ſtupidis mutior eſne feris?
Forte Poëtarum quia mos eſt fingere quidvis,
Nos etiam vanis ludis imaginibus.
At præſtare fidem vanos quoque Iura Poëtas,
Et rata pollicitis debita ineße iubent.
Solve igitur, quæ iure mihi tu Carmina debes,
Falſaque (cum nequeas vera referre) refer.

EN habes hîc anteſignani veſtri tuique plaſmatoris MELISSI (qui tamen raucos et mutos Poëtas creavit nunquam) Carmina nuper ad me mißa, ubi nonnunquam dißimilis a ſeipſo videtur. Adeſt etiam Doctoris cuiuſdam Ingolſtadienſis Heroicum, quod per Cancellarium Bavaricum, Dominum IOHANNEM GEORGIUM HERWARTUM ab HOHENBURG (cum quo mihi creberrima, ob ſtudia, quibus impenſe afficitur, Mathematica, intercedit per literas familiaritas) heſterna veſpera Monachio accepi: Tu lege, diſpice, cognoſce, et loquela recuperata, alio genere ſupple; ni mature parueris, Iambos in te vibrabo, et ex muto ſurdoque cæcum, imo truncum te reddam, aut in ſaxum convertam, tanquam alter PERSEUS capite Gorgonio te petens. Sed prius Caducæi uſum tibi adimam, et per MELISSUM tuum degradari faciam, alias enim nefas foret, ſacros vates caſtigare et merita pœna afficere. ‖

141v *Tuque vale, et tenerum cum matre valere columbum*
Effice, ſic vobis pullulet alma domus,
TYCHONISque memor, vates qui ſuſpicit, eſto,
Sique voles, carmen non breve mitte brevi.

Deproperabam Pragâ die 20 Septembr. ſtylo reformato Anno 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 23; cf. cod. Monacensis Bibl. Univ. 693 in 2° fol. 242r] †

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO, 79v
DOMINO TYCHONI BRAHE, DOMINO A KNUDSTRUP ET URANIBURGO, MATHEMATICORUM OMNIUM FACILE PRINCIPI, DOMINO ET AMICO SUO SINGULARI OBSERVANTIA COLENDO.
PRAGÆ.

IN ABWESEN HERRN ALEXANDER PRENDTL FÜRSTL. BAYER. AGENTEN ABZUEGEBEN.


ITTO, Vir Nobilißime atque Mathematicorum omnium 79r facile princeps, his iunctos libros ex ijs, quos deſideras, APOLLONIJ Pergæi Opera No. 73 et Tabulas BLANCHINI, PRUGNERI et PURBACHIJ No. 34. Tibique † fœlicißima quæque ex animo precor et opto. Datæ Monachij die 23 Sept. A. 1600.

D. T. Nobilmæ
Addictißimus
IOAN. GEORG. HERWART AB HOHENBURGK.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD OTTONEM DUCEM BRUNSVICENSEM.


URCHLEUCHTIGER, Hochgeborner Furſt, Ewer 142r Furſtlichen Gnaden ſeindt Meine willige diennſte hoheſtes vleißes jeder Zeidt zuuor. Gnediger Herr, Nebennſt ſchuldiger vnnd gebuerlicher danckſagung fur alle gnedige erzeigte wollthatt gebe E. F. G. Ich vnterdienſtlich zuuorſtehenn, das Ich auß des Herrenn H. *VITI WINSHEMIJ* ann mich newlichen gethonene ſchreibenn Vernommen, das E. F. G. ob Meinem Itzigenn Zueſtandt ein gnedigk gefallen getragen, vnnd mihr mitt allen Furſtlichenn gnaden gewogenn, deſſenn thue gegenn dieſelben Ich mich gantzvnterdiennſtlich bedanckenn. Was aber annlangt die zuegeſagte *Natiuitet,* So ſoll E. F. G. Ich nicht bergenn, das zwar Meine bucher vnnd annders vonn Magdeburgk hieher ins landt zu Bohemen gebrachtt, aber Ich habe ſie noch zur Zeidt nicht bekommen, Sonndern liegen zue Leuttmeritz verwartt, biß ſie vff vonn Ih. Kay. Maytt., vnnſers aller gnedigſtenn Herren, albereit beſchehenes anordnenn von dannen hieher nach Prage gefuhrt werden.

werden. Zue dem habe Ich auch den Zettell, ſo E. F. G. mir vor der Zeidt zuegeſchickt, vntter annderen Meinen brieffen Inn ſolchen offternn von einem ordt zum annderenn hin vnnd wieder verruckenn verlegt, das Ich ihn ſo leichtlich nicht findenn kann, darumb woltten E. F. G. gnedigſt geruchen vnnd mir vff einenn annderen die Zeidt der geburt neben etzlichenn *accidentijs præteritis,* beſonnderen was Leibs Schwacheit annlanngenn thuet, vnndt zue welcher Zeidt vnnd Jahr dieſelbenn geſchehenn, verzeichnenn, vnndt mitt erſter gewiſſer
142v gelegenheit || laſſenn zuekommen, weill ſolche, *propter verificationem temporis,* hierinne nutzlich ſeinn, alß denn mitt erſter mueglichkeitt E. F. G. hierinnen vndterdiennſtlich zue willfehren Ich erbötigk bin. Thue alſo hiermidt E. F. G. nebennſt deroſelbenn hochloblichenn Furſtlichenn gemahlin vnnd jungen Herrenn dem Allmechtigenn Gott inn ſeinenn Schutz gantz getrewlich befehlenn. *Datum* Prag den 26 *Septembris Anno* 1600.

E. F. G.
Vndterdienſtlicher
gehorſamer

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD VITUM WINSHEMIUM.

143r MAGNIFICE et excellentißime Domine D. VITE WINSHEMI, amice inprimis honorande: Ex literis Excell. Væ ijſdemque adiunctis, quæ Illuſtrißimus Princeps OTTHO dux Brunſvicenſis et Luneburgenſis Clementißime a me requirat, intellexi; utque ipſius Celſitudo ſciat, me ea in parte officioſißime illi pro meo modulo morem geſturum, dedi ad ipſius Celſitudinem literas meum reſponſum brevibus complectentes, quas ut ex me debita cum ſubmißione ad ipſius Celſitudinem dirigere E. V. velit, peramanter rogo.

Meæ res adhuc in eodem ſunt ſtatu quo antea. Verſor etiamnum Pragæ cum tota familia, huc a Sacra Cæſ. Maieſtate, paulo poſtquam Pilſena redierat, Clementißime evocatus. Inſtrumenta mea Aſtronomica, quotquot in arce Benachiæ habui, huc iußu ipſius Maieſtatis allata ſunt, atque in domo illa, quæ iuxta hortum Cæſaris prope arcem ſitum magnifice Italico more extructa eſt, et cupro ſuperius tecta, quam E. V. proculdubio novit, diſpoſita ſunt, ut ipſius Maieſtas ea promptius, cum lubuerit, perluſtrare poßit, quod et ante paucos dies, quamprimum ibi erecta erant, me præſente factum eſt, quæſivitque tunc ipſius Maieſtas de cæteris, quæ cum Leutmeritzium adveniße percepit, etiam in eandem domum tranſferri atque aliquantiſper ibi collocari,

collocari, donec de loco oportuno, ubi rectius ad uſum conſtitui atque perpetuo conſervari poßint, providerit, benignißime mandavit. Quid hac in re fiet, poſtmodum V. E. ex me cognoſcet; procedunt hîc omnia (ut ſcit) ob rerum gerendarum copiam et molem lento gradu, quod patienter ferendum eſt. Interim in domo quadam ampla, non longe ab arce remota, ſatis commode cum meis habito, et conſuetis ſtudijs, quantum interpellationes et converſationes cum Illuſtribus Viris in tantæ aulæ præſentia ferunt, vaco.

Gaudeo rem eße compoſitam inter noſtrum Serenißimum Regem et Anglam; Deus author Pacis avertat in poſterum diſcordiarum ſemen et occaſiones.

FREDERICUS ROSENKRANZIUS iam eſt in Ungaria in exercitu equitatus Cæſaris noſtri, ſed vereor, ne illi plus || periculi immineat ex 143v
Aſthmate et pulmonum vitijs, quibus graviter obnoxius eſt, præſertim ſi vinis iſtis fortioribus nimium indulſerit, quam vel ab hoſte propinquo, vel aliunde. Fuit hîc ante biduum quidam ex eius miniſtris, qui in Daniam properavit illi forte pecunias allaturus, cum quo OLIGERO noſtro ſcribere voluißem, niſi tantopere feſtinaßet, et eram alias uti nunc quoque admodum occupatus. Filia nihilominus mea natu maior ad illum quaſdam exaravit, commonefacientes de equo quodam promißo, quam ſponſione quadam, dum Wandeſbeci eßemus, amiſit. Et quia nunc commoda datur occaſio, equum illum cum patruelis ſui miniſtro, qui eum proculdubio accedet, mittendi (is enim ibi reſolutus in eo huc equitare poterit) voluit illa, me ſic iubente, OLIGERO id inſinuare. At miniſter ille iter accelerans hinc abierat, antequam literæ dictæ obſignatæ eßent. Quare eas nunc Hamburgum ad SIMONEM de PETKUM mitto. Si Væ Exæ in promptu eſt commoditas eas ad OLIGERUM dirigendi, rogo id facere non degravetur. Sin minus, poterint GERHARDO RANZOVIO unâ cum alijs ipſi inſcriptis tranſmitti, ita ut OLIGERUS eas recipiat, antequam FRIDERICI miniſter inde ſe huc et deinceps in Ungariam receperit. Sed ſive id fiat, ſive non, parum intereſt. Quare de tam levi re plura non addam, cum hæc ipſa per ſe nimia ſint.

Turcam Caniſium obſidere voluiße, ſed ob aquarum copiam, cum †
udus et paludoſus ſit locus, inde diſceßiße ferunt. Quorſum, necdum ſatis conſtat; habet exercitum quadruplo maiorem noſtro, ſed ultra menſem ob inſtantem hyemem ibi perdurare nequit. Dicunt eum pacem expetere, an vero id ſerio, et æquis conditionibus, dubium eſt. Cæſar noſter adhuc præſenti eſt animo, nec tam potentem hoſtem extimeſcit, utut Germaniæ Principum ſubſidijs maiori ex parte deſtitutus. Deus omnia vertat ad felicem exitum, et Chriſtianiſmum protegat, cui æviterno numini te unâ cum tuis commendatum habeo. Vale. Dabantur Pragæ Bohemorum Die 26 Sept. Anno 1600. [E codice

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD GEORGIUM ROLLENHAGIUM.

146r S.



UOD ſupellex mea, quæ Magdeburgi reſervabatur, nunc tandem in has Bohemiæ oras appulerit, eſt cur Reverendißimo Capitulo Veſtro, quod ſumtus in eos uſus liberaliter ſuppeditavit, tum quoque tibi, Excellentißime et amantißime Domine ROLLENHAGI, gratias agam quam maximas, prout etiam peculiaribus literis ad honorandißimum et nobilißimum Dominum Decanum reliquoſque Capitulares, quas illi per te officioßißime meo nomine tradi velim, teſtatus ſum. Quod autem cum ANDREA miniſtro meo iſthuc pro rebus illis huc adferendis emißo Reverendißimæ illius Dominationi cæteriſque nobilißimis Collegis nihil ſcripſerim, non ulla præpoſtera voluntate, vel quod hoc ipſis me debere gratitudinis loco officium non agnoſcerem, factum eſt, ſed cum ijs ipſis diebus in quibuſdam a Sacra Cæſarea Maieſtate, Domino noſtro Clementißimo, mihi iniunctis, quæ ocius abſolvi debebant, eßem occupatißimus, et aliâs plurimis præpedirer interpellationibus, ita ut varijs obruerer negocijs, vix tantum mihi ſupererat temporis, ut ad te nonnulla, quem ob familiaritatem noſtram tranſcurſorie alloqui licuit, exarare potuerim. Quare prævidens, me id, quod iuremerito facere oportuißet, ut indecenter omitterem, compelli, te diligenter rogavi, ut hanc literarum intermißionem apud Reverendißimum Capitulum excuſares, meque cum nautis, ubi res meas huc advexißent, ad vos redituris illis ſcripturum indicavi, quod et nunc effeci, non quidem per nautas, ſiquidem illi nimis cito Leutmeritzio diſceßerunt, ſed cum hoc tabellario Hamburgo adveniente et commodum ſeſe offerente, qui in illas oras confeſtim rediturus eſt.

Sororem meam SOPHIAM adhuc Segebergæ prope Lubecam hærere, idem tabellarius refert, at ubi ERICUS LANGIUS ſit, ignorat. Doleo utriuſque fortunam pertinaciter reluctantem. Scripſi SIMONI â PETKUM Procuratori meo Hamburgenſi, ut ferreas fornaces, et ſi quæ alia ibi ex meis rebus reſidua ſunt, Magdeburgum per primam quamque oportunitatem ad te mittat, quæ, uti polliceris, in tuis ædibus, neque enim multa ſunt, reſervabis, donec occaſio ſuppetierit Leutmeritzium abſque magno ſumtu ea dirigendi. Optarem autem fornaces, de quibus dixi, ſive integras ſive fractas, huc ante Albis congelationem, modo fieri poßit, afferri. ||

146v Inſtrumenta Aſtronomica, quæ Benaticæ habui, quotquot mecum

in Bohemiam attuleram, quæ numero erant ſex maiora et aliquot minora, Cæſar iußit, ut huc Pragam tranſferrem, ubi ex ipſius etiam Clementißima voluntate in domo quadam magnifice et ſplendide iuxta hortum prope arcem a FERDINANDO avo ædificata diſpoſita ſunt. Cumque ipſius Maieſtas quodam die præteritæ ſeptimanæ ea perluſtrare dignata eßet, dedit mihi in mandatis, ut cætera omnia, quæ Leutmeritzium impenſis Reverendißimi Capituli Veſtri iam adveniße retuli, quod et antea cognoverat, ibidem collocarem, ut omnia ſimul eßent, tunc ſe, poſtquam ſingula perſpexißet, de oportuniore loco, quam eſt in arce Benatica, ubi collocari et in debito uſu conſervari poßent, proviſurum clementißime addixit. Inclinare autem viſus eſt ad ædes Curtianas, hac de caußa a vidua relicta comparandas, ſiquidem non longe ab arce ſublimi proſpectu conſtituantur. Domus etiam amplæ et in edito loco ſitæ et dimidio ſaltem milliari hinc remotæ atque in formam ſtellæ cuiuſdam, unde etiam nomen habet, a FERDINANDO Archiduce ſumtuoſe extructæ, quam hortus ferarum circuit, mentionem fecit, ſi forte ea obſervationibus et inſtrumentorum tractationi accommoda foret. At ego perinde eße, ubinam eius Maieſtas id fieri vellet, modo perpetuari res poßit, ne idem aliquando eveniret quod in Dania, ſubiectißime reſpondi: tunc ipſius Maieſtas de ædificio quodam Viennæ a MAXIMILIANO parente in alto quodam loco eleganter nec parvis impenſis extructo nonnulla inſinuavit, quod Viennam iter ſpacio paucorum dierum faciens ſpectare, et an pro his exercitijs commodum foret, diſpicere poßem: ibi ſe certum eße, quod perpetuo conſervari poßint omnia. Sed nihil concluſum eſt, antequam cætera inſtrumenta huc allata fuerint, et illa etiam in dicta domo iuxta hortum collocata viderit Cæſar.

Ad ea, de quibus me commonefacis, in Poſtſcriptis reſpondebo. Quæ ANDREAS miniſter meus ſui purgandi caußa tibi dixit, more conſueto, quo leviter quidvis loquitur, fecit; neque enim per omnia ita ſe habent: diſceßerat is, cum adhuc Benaticæ eßem, me inſcio et non interrogato, nec per octiduum quæſitus uſpiam comparuit. Poſtea ſponte redijt, cum alium forte Dominum invenire non poßet, nec pecunia, quam abliguriret, illi ſupereßet; at ego illum tunc recipere nolui. Sed ut Capitaneo Brandeiſenſi inſerviret, permiſi, quod non diu durare potuit. Falſa etiam ſunt, quæ de pecunia illi a me debita narravit: nam perſoluta ſunt illi omnia, quæ ſtipendij loco addixeram, nec habet, quod iure ulterius poſcat, ut vel hoc nomine, quod iniuſte de me ‖ apud 147r alios conqueratur, cohercendus foret, verum ego illi ob tuam interceßionem ignoſcam, quia, uti ais, vere ſimplicißimus eſt minuſque prudens, et quidvis inconſiderate effutit [n]ec ſibi ipſi conſtat. Si in poſterum frugi eße voluerit, videbo, quid in tui gratiam facere potero, aut ſi ſui

ſimilis

ſimilis permanſerit, uti proculdubio faciet, dabo operam, ut alium acquirat Dominum, quod et antea hîc molitus ſum apud ſatellitum præfectum, ſed necdum ſuccedere potuit.

Quod Dominus CASPAR ALEMANN Conſul Veſter ægre tulerit, in ſua abſentia reliquum Senatum officium in advehendis huc meis rebus Cæſari denegaße, libenter audio, illique pro hoc ſuo erga me favore gratias habeo. Præſtitißet forte reliquos civiliores fuiße et Cæſareæ Maieſtati, ſummo Magiſtratui, obſequentiores ſe exhibuiße. Verum ego id potius, quomodocunque datur, excuſare quam aggravare malim.

De URSO iſto quæ ſubiunxiſti, ita ferme evenerunt, prout ominari viſus es; nam ſive in Caſtris Gallicis, quibus aßuefactus erat, ſive Aſthmate et Phthiſi, vel potius utraque de caußa conſumtus ante ſex ſeptimanas expiravit, idque ea ipſa hora, qua Citatio Commißariorum Cæſaris, quos, ut de ipſo eiuſque famoſo ſcripto iudicarent, impetraram, inſinuanda fuit: quam primum enim huc Pragam (ut conſcius ſis) a Cæſare, ſtatim ac Pilſena redierat, Clementißime vocatus adveneram, atque URSUM iſtum periculoſe decumbere mihi relatum eßet, miſi ad illum duos Iuris Doctores unâ cum publico Notario, quæſitum, an ſcriptum iſtud maledicum et calumnijs ſcatens revocare vellet: ſimulque notulas præcipuas calumniarum illi prælegi feci; is licet plæraque in ijs inficiaretur, quamvis in ſcripto iſto indicata pagina expreße invenirentur, revocare tamen noluit, ſed iudicum arbitrio omnia ſubmiſit, quod et lubentius vidi, ideoque a Cæſare humilime obtinui, ut quatuor deputarentur commißarij, qui caußam iure deciderent, inter quos duo ſunt Barones, Dominus CHRISTOPHORUS de SCHLEUNITZ et Dominus ERNFRIDUS de MINCKWITZ, reliqui duo Doctores Iuris ex ipſius Maieſtatis Conſiliarijs. Defuncto autem reo, et citatione ante obitum ipſi non prælecta, actio ſuſpenſa eſt, donec novum decretum, quod et brevi futurum confido, ſuperveniret. Expecto ſaltem reditum Procuratoris mei in hac caußa, Doctoris cuiuſdam Iuris IOHANNIS FRITZSCHIJ, qui Budißinum in Luſatiam profectus eſt. ||
147ᵛ Nam actio non eſt mere perſonalis, ſed etiam realis, ob ſcriptum publice editum, perpetuo loco ſui authoris loquens. Ideoque contra hoc procedendum, omneſque calumniæ, quibus abundat, detegendæ, refutandæ et condemnandæ ſunt, poſteaque alio ſcripto in publicum emißo propalandæ, in quo totus proceßus omneſque contrariæ probationes continebuntur, adiuncto Cæſ. Ma^{tis} decreto, quo per totum Imperium famoſus iſte liber irritus reddetur, ſeu, uti aiunt, annullabitur. Et iam Reverendißimo Archiepiſcopo Pragenſi a Cæſare iniunctum eſt, ut in Typographum animadvertat, atque exemplaria omnia conquiri faciat, quotquot Pragæ reperiuntur, eaque Vulcano tradat: ſi aliquantiſper

ſupervixißet author, ſententiam talem, uti ex commißarijs intellexi, accepißet, ut infamis redditus, capite pleĉteretur, aut ſecundum leges Bohemicas in quatuor partes dißecaretur; ſed mihi non tam erat quæſtio de ipſius perſona, quam ſcurrilem et vanam fuiße omnes norunt, ſed potius de libro iſto tot iniurijs et mendacijs ſcatente abolendo, et mea meorumque fama ac exiſtimatione vindicanda, quod etiamnum volente Deo fiet. Quin et ROTHMANNUM, ſive adhuc in vivis ſit, ſive non, ab ijs, quibus illum aſperſit maculis et vaniloquijs, liberabo, atque iniurioſe ipſi illatas eße pronunciari efficiam, quod ad ipſum, ſi adhuc ſupereſt, perſcribas velim. Et ſi quas habes eius manu ſcriptas literas, eas tuis, quibus ipſius eße Chirographum teſteris, incluſas ad me mitte, ut inde probare poßim, alteras tibi ſub finem antecedentis anni inſcriptas mecumque communicatas ipſius quoque manu exaratas eße. Ubi proceßus totus abſolutus fuerit, omniaque in codicillos relata et typis edita, faciam te eorum participem. Vale. Dabantur Pragæ die 26 Septembris ſtylo novo Anno 1600. ‖

POSTSCRIPTA. 148r

ROGAS, ut Reverendißimo Archiepiſcopatus Veſtri Domino Decano, qui tam benigne et libenter res meas huc in Bohemiam promovit, aliquid medicamenti contra calculi dolores, quibus quotidie infeſtatur, quod ſane quam libentißime facerem, ſi eiuſcemodi præſens remedium mihi nunc in promptu eßet. Laboratorium, quod Cæſar mea de caußa Benaticæ pro præparationibus Spagyricarum medicinarum extrui clementißime mandavit, propter eius Maieſtatis diutinam Pilſenæ abſentiam, non eſt haĉtenus abſolutum: ideoque eiuſcemodi pyronomicis confeĉtionibus, prout alias voluißem, operam dare non licuit. Ne vero optimum et honorandißimum illum virum de me tam bene meritum ſuo hac in parte deſiderio plane fruſtrare viderer, ſubiungam quandam medicamenti formam, quæ iſthic non difficulter confieri poterit. Cuius uſum in tali affeĉtione præſens afferre ſubſidium compertum eſt.

Rcp. Semin. Feniculi
Petroſelini
Aniſi
Saxifragiæ
Cardamomi
Oculorum cancri
Lupi piſcis
Nucl. perſic. ana oz. I
Cynoſbator. Germ. *hainbutten beeren*
Meſpillorum
Charabes albi ana oz. II.

Contundantur

Contundantur omnia in mediocriter tenuem pulverem, et cucurbitæ vitreæ imponantur, moxque ſuperfundatur de ſpiritu iuniperorum, qui inſtar aquæ vitæ eſt, tantum, ut duobus vel tribus digitis ſuperemineat, clauſoque poſtea et bene obturato vitro in tepidum balneum omnia ſimul per unam hebdomadam digerenda collocentur, et ſingulis 148v diebus vitrum ‖ circumſpecte exemptum bis vel ter cum impoſita materia circumagatur, et nonnihil hinc inde moveatur, ut ſpecierum impoſitarum eßentiæ eo melius extrahi et ſpiritui iuniperino uniri poßint. Quo peracto omnis materia frigefacta unâ cum liquore ſuperfuſo primum per lineum pannum fortiter exprimatur, deinde per bibulam papyrum coletur et filtretur, ut purior evadat: poſtmodum hic totus liquor eßentiam ſpecierum in ſe continens in balneo mediocriter calido per Alembicum diſtilletur, donec materia quædam inſtar liquidi mellis in fundo remaneat, cui materiæ tantundem quaſi de ſpiritu Therebinthinæ optimo, qui levi calore in balneo aſcendit, addendum eſt, cum quo extractum illud denuo in tepido balneo, vitro bene clauſo, per ſpacium unius ſeptimanæ digerendum; poſteaque ſimul per bibulam papyrum iterum filtrandum, addito aliquantulo de liquore iuniperino prius deſtillato, ſi opus fuerit, ut promptius filtratio abſolvatur. Qui tamen liquor lentißimo calore balnei inde poſtea auferendus eſt, ne ſua ignea et acuta vi medicamento officiat.

Ex hoc dicto modo diligenter præparato medicamento dentur patienti tres vel quatuor guttæ in vino mane ſingulis diebus, tunc quoque poſt meridiem ante cœnam, idque quando et quam diu opus fuerit. Ex liquore autem iuniperino, qui per Alembicum aſcendit, poterit etiam parum quaſi quartæ partis unius cochlearis veſperi ante decubitum aßumere inſtar alterius aquæ vitæ, ſi modo eam ferre poterit, idque potius hyeme quam æſtate fiat, et non niſi bis vel ter in ſeptimana eo veſperi, uti dictum, utatur. Hæc ſi rite et præſcripta ratione executus fuerit, ſentiet inde favente Deo morbi non mediocre levamentum. ‖

149r

POSTSCRIPTA ALTERA.

QUOD amice me admones de ijs, quæ quidam ex aula hac Cæſareana cuidam præcipuo apud vos nobili ſcripſit, gratum eſt, licet omnia illa quæ retulit, prout recte in literis tuis conijcis, falſißima (quod et præſtat) ſint. Ipſius Maieſtas nunquam adhuc mecum de talibus locuta eſt, nec per literas aut oretenus Turcarum aut belli Turcici mentionem ullam fecit, multo minus ut ego, qui alienis rebus me non immiſceam, nec vaticinia profitear, tale quid protulerim: imo, quod plus eſt, ea potius ſemper inſinuavi, quæ a melancholicis curis, animi deiectione, ſuſpicionibus et ſuperſtitionibus otioſis, alijſque eiuſcemodi mentem ſanam turbantibus avertere poßunt, idque ita ſedulo hactenus egi,

egi, ut forte vix alius quiſpiam, qui diu illi ab intimis fuit conſilijs, tam cordate et præſenter facere auſus fuißet, quod optime novit magnificus Dominus BARVITIUS Secretarius præcipuus, qui Cæſari fere ſemper præſto eſt. Ille eo nomine aliquoties ex animo mihi gratias egit, ſeque hanc ingenuitatem, quodque ea, quæ decent et conducibilia ſunt, non dißimulem, ſed ſincere ipſius Maieſtati, cum ſubiectißima tamen diſcretione, aperiam, deque ijs oportune commonefaciam, ad cæteros conſiliarios præcipuos deprædicaße, non ſemel indicavit, quibus hoc gratißimum fuit, adeo ut res longe aliter ſe habeat, quam quidam ignari et neſcio quid ſiniſtro iudicio ſomniantes ſuſpicari fortaße poßunt. Sic non defuerunt, qui Cæſaris tam diutinam Pilſenæ abſentiam mihi vanißime imputarent, atque id non ſaltem Pragæ, ſed et in varijs Bohemiæ locis ſpargere non ſunt veriti, cum tamen id mihi nunquam in mentem venerit, priuſquam ab alijs referri audivi: et vix alius magis quam ego ipſius Maieſtatis præſentiam || deſideravi, ſiquidem, interea 149v dum abfuit, res meæ minus promoverentur, utut eßent, qui earum executionem in mandatis haberent. Nec ſcio quenquam hîc, qui mei odio laboret: neque enim ulli occaſionem dedi, imo quam plurimi adeoque præcipui quique non ſaltem in aula, ſed et alibi in regno hoc amicitiam et converſationem meam ſponte exoptant, et magis quam cuperem ambiunt, ut ſic et temporis et valetudinis iacturam ſæpius quam vellem facere cogar. Quin et illuſtriores regni Primates mihi proprio motu nec rogati obtulerunt, ut in regni indigenam adſciſcerer, nec alio me converterem; quod ſe primis comitijs effecturos prompto animo polliciti ſunt. Si qui inter vulgares latitant moroſuli, invidi et malevoli, quorum tamen neminem novi, illi in ſua ſeſe ineſcent et rodant malevolentia ac iudicij perverſitate, hæcque habeant ſecum ſerventque ſepulchro: infelix et miſer eſt, cui nemo invidet, nec ſplendet aut conſpicua virtus, quæ livore ſuapte umbra caret. Vides itaque, mi ROLLENHAGI, quanta iniuria non ſaltem meam perſonam, ſed, quod longe plus eſt, ipſam Sacram Cæſaream Maieſtatem, Imperij Caput et Dominum noſtrum clementißimum, qui præſenti eſt animo, nec Turcas formidat, ſed et Pacem, niſi honorifica et utilis ſit, etiam ultro oblatam reſpuit, afficere non erubeſcunt, dum tam futilia et a veritate alienißima ſcribunt. Si ſimul eßemus, poßem multis documentis et Tecmirijs irrefragabiliter oſtendere iſtorum hominum vaniloquentiam: quodque contrarium potius verum eße. Interim tamen ſecreto ex te ſcire averem, quiſnam fuerit, qui talia ſuis literis inſperſit, et ad quem eas exaravit, non quod tales nugas morer, aut quod illi id obijcere velim (ſunt enim multa dißimulanda et ex alto deſpicienda) ſed ſaltem ut mihi ab homine tam ſiniſtra et frivola ſuſpicante et malevolo cavere poßim, ſi forte ipſum novi aut alicubi in illum inciderim.

Ut

Ut igitur eundem pauculis vel etiam tectis verbis mihi indices, quam primum denuo ad me ſcripſeris, te per amicitiam noſtram rogatum habeo. Fiet id abſque omni tuo periculo. Scio enim prudenter et taciturne in eiuſcemodi malitioſis et perverſis cavillationibus agendum eße. Vale. Datum ut ſupra in literis. ||

150r Addo et hoc, ea, quæ ſuperioribus literis de perſecutione eorum, qui Euangelicam doctrinam profitentur in Auſtria, conſenſu Cæſaris per Ieſuitas fieri innuebas, falſo ad vos relata eße. Omnia enim in Auſtria quoad religionem in priori ſunt ſtatu, nec Cæſar permittit Ieſuitas aut alios, qui ſe Catholicos nuncupant, turbas excitare, neque quemquam ob religionis diverſitatem odit aut male tractat, cum etiam multos in ſua Aula patiatur a Pontificijs dißentientes. Sed in Styria magna ſuborta eſt Euangelicorum afflictio, Ieſuitis ex authoritate Principis neminem, qui non cum illis ſentiat, iſtic ferentibus, quod tamen invito et aliter ſuadente Cæſare evenit. Sunt qui ominantur, Turcam ſupervenientem controverſias illas et perſecutiones dirempturum, nam occupato (quod tamen Deus avertat) Caniſio, nullum reſtat munitum propugnaculum, antequam Styriam invadere poßit. Sed de his providebit is, in cuius manu ſunt omnia.

† [E codice Basileensi G I 23]

72v NOBILISSIMO AC GENEROSO DOMINO

TICHONI BRAHE, SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS MATHEMATICO EXCELLENTISSIMO, DOMINO ET PATRONO PLURIMUM OBSERVANDO.

71r GENEROSE AC NOBILISSIME DOMINE, PATRONE ET AMICE OBSERVANDE.

S.



OSSEM equidem non iniuſtam excuſationem adferre, quamobrem hactenus rarius ad te literas miſerim, tum quod domo diu abfui, tum quod raro mihi tabellarij Pragam proficiſcentis copia offertur. Sed permitto me incuſari de officio ſcribendi, nam hoc ipſum tui in me amoris aliquod ſignum continet, quod familiariter me arguis. Scripſi tamen cum filio tuo, qui hac tranſijt circa feſtum Pentecoſtes. Roſtochij vivo et doceo ſedulo, poſtquam ex longis peregrinationibus ſatietas multarum rerum me cepit. In patria vivere ſors me non permittit, iucundior eſt vita, quæ ſibi conſtat. Quis bene de patria meritus præmium iuſtum retulit? Nec tu ipſe, præſtantißime TICHO, decus ac columen qui tuæ fuiſti patriæ. Deinde in Livonia omnia bello ardent,

ardent, nam pugnæ aut dirimendæ controverſiæ ſedem eam delegêre, qui de regno Suetiæ inter ſe diſceptant, Rex Poloniæ, Dominus meus clementißimus, et Dux CAROLUS, princeps Suetiæ.

Tuam in me propenſam voluntatem ac conſtantiam ſynceri amoris collaudo, et poſteris etiam eam teſtatam faciam, nec exiſtimo te dißuaſurum, quin hoc vitæ genus, in quo conſtitutus ſum, placidum et philoſophicum retineam, uſque dum certiora pax et tranquillitas patriæ ſpoſponderit. ‖

Quæ in honorem D. CHYTRÆI amici noſtri communis ſcripſi, exigua 71v illa quidem ſunt, ſed tamen argumenta grati mei animi in defunctum extare volui: tranſmitto exemplar adiunctis alijs item pagellis, ex quibus me totum cognoſcere poßis qui ſim, quidve agam potißimum.

Negocium illud, de quo ſcribis et prolixius forte ad D. LUCAM BACKMEISTERUM perſcripſiſti, mihi eo plane modo commendatum habebo, ut tuo honori tuæque memoriæ me plurimum tribuere intelligas. Si quid in hiſtoricis fuerit continuandum, meâ operâ id fiet. Sed adminicula mihi adhuc deſunt, quæ ſuâ amici alijque Docti Viri ſufferre communicatione poßunt utilißime.

Plane conſtitueram meum ad te filium mittere; ſed is, me in Polonia abſente, Baſileam uſque exſpaciatus, nondum redijt. Id vero te rogo, ut beneficio gratiæ et auctoritatis, quâ in aula Cæſaris vales ſummâ, me iuves, et apud illuſtres Dominos, quibus hæc impertiendi poteſtas data eſt, mei honeſtam mentionem facias, ut privilegium Cæſaris de meis libris editis et edendis in iure et in hiſtorijs impetrare poßim, ſine magno pecuniæ diſpendio. Ubi ſpes facta fuerit, aliquot pagellas de ſingulis libris tranſmittam, ut inſpectis capitibus ſummiſque rerum, tanto facilius, quod cupio, impetrem, quanto, ut opinor, utilior civilis prudentiæ ſtudioſis ‖ meus labor futurus eſt. Quicquid vicißim tua 72r caußa potero, faciam, ac lubentißime.

Nova ut mecum ſæpius, quæ ἀξιόπιστα ſunt, communices, etiam atque etiam rogo, teque bene valere cupio. Salutem tuis filijs, filiabus, alijſque domeſticis adſcribo plurimam. Vale. Datæ Roſtochij 19 die Septemb. ſtylo veteri Anno 1600.

Tui amantißimus
CHRISTOPHORUS STURCIUS,
manu propria.

[E codice

† [E codice Basileensi G I 23]

76ᵛ NOBILITATE GENERIS, DOCTRINA AC VIRTUTE PRÆSTANTISSIMO VIRO, DOMINO TYCHONI BRAHE, DOMINO HÆREDITARIO IN KNUDSTORFF, ASTRONOMO EXCELLENTISSIMO, DOMINO ET AMICO SUO INPRIMIS HONORANDO.

PRAGÆ.

75ʳ S. P.



OBILISSIME et clarißime vir, Domine et amice inprimis colende. Binas abs te accepi literas hoc menſe Septembri; priores die 8 mihi reddidit M. CHRISTIERNUS, qui ad tres ſeptimanas Witebergæ ſubſtiterat, poſteriores tabellarius Praga a D. GODELMANNO huc ablegatus heri. Scis autem ſtylo nos Iuliano hîc uti. Utræque negocium pecuniarium tuum mihi commendarunt, de quo et ad affinem meum Dn. Cancellarium D. BORDINGUM ſcripſeras, quem Lubecæ tum agentem ego monui, ut negocium iſtud ſuo loco promoveret. Venit is ante paucos dies Lubeca Guſtrovium ab Illuſtriß. Principe UDALRICO vocatus, poſtquam Celſ. eius in venatione tum circa Grabovium exiſtenti nunciatum fuißet de obitu nepotis ex fratre Ducis SIGISMUNDI AUGUSTI, qui hydrope alijſque morbis diu conflictatus die 5 Septemb. Ivenaci pie deceßit ex hac vita. Funus ei fiet die 10 Octob. Suerini, ubi parentis IOH. ALBERTI et fratris IOHANNIS aliorumque ex ea linea defunctorum corpora quieſcunt. Eadem occaſione Dn. Cancellarius Quæſtorem iuniorum Principum, qui et Ducis UDALRICI iam Quæſtor eſt, in aula reperit, et effecit, ut hodie mihi per miniſtrum ſuum in meis ædibus 600 illos thaleros tibi debitos numeraverit, recepta apocha tua, quam interim apud me ſervaveram. Hanc ego pecuniam uſque ad adventum D. GODELMANNI, quem huc brevi acceßurum tibique in receptione pecuniæ gratificaturum ſcribis, penes me retinebo. Ut autem in auream monetam commutem, haudquaquam fieri poteſt. Rarißime enim hîc vel minimum aureum cernimus, omni auro vel in Belgium vel in ſuperiorem Germaniam, ubi maiori precio quam hîc cenſetur, hinc tranſlato. Id tamen faciam, ſi potero, ut thaleros novos Belgicos, quorum multi ſummæ huic interſunt, in alios Imperiales, uti vocant, commutem; hos enim gratiores iſtic eße arbitramur quam illos.

Porro quod ad continuationem Chronici D. CHYTRÆI p. m. qui poſtridie Iohannis nobis valedixit, attinet, neminem hoc quidem in
75ᵛ loco eam ad rem magis idoneum eße iudico quam ‖ D. CHRISTOPHORUM STURTZIUM, qui hiſtoriarum lectioni in hac Academia

magna cum laude præeſt, ingenioque, memoria et facundia excellit. Quamprimum igitur Concilium Academiæ convenerit, mentionem huius negocij et tuæ commonefactionis inijciam, nec dubito, quin Domini Profeßores, quorum pleroſque ætate, doctrina et prudentia graves eße non ignoras, id conſtituent, quod et Academiæ noſtræ et nomini magni illius CHYTRÆI honorificum et publice utile erit. Adveniente vero D. GODELMANNO, de eo, quod ad te privatim ſpectat, poſtremæ Chronici parti inſerendo, unâ cum D. CLINGIO, cum hæredibus D. CHYTRÆI libenter et diligenter agam, et ſi quæ alia a me proficiſci poterunt grata tibi officia, in illis promptum me ſemper reperies, donec vixero. Seneſco enim iam, et poſt menſem, ſi Deus voluerit, annum 70 ætatis meæ completurus ſum. Facio tamen adhuc mediocriter vocationis meæ in Eccleſia et Academia, per Dei gratiam, officia. M. CHRISTIERNUS paucis hîc diebus manſit, feſtinans in Daniam. Ego ſane hunc virum nobiſcum vivere et iuventutem noſtram literariam in ſtudijs Aſtronomicis, quæ poſt obitum præſtantißimi D. BRUCÆI ſegnius hîc tractata et culta ſunt, erudire optarem. Tuas res honeſto et incolumi adhuc ſtatu eße, ac velle S. Cæſ. Mai. ut Pragæ ſibi adſis propius, gaudeo, et tibi tuiſque deinceps etiam fauſta feliciaque omnia precor.

Rumor iſthuc delatus de dißidio inter Regem Daniæ et nobilitatem ſuborto vanus eſt. Rex hoc tempore in Holſatia eſt cum coniuge, et genethliacis pompis ac convivio Gottorpij interfuturus dicitur, ubi ſoror eius IOHANNI ADOLPHO Holſatiæ duci nupta filium peperit, quo et BUGISLAUS Pomeraniæ dux legatum D. HENR. CAMERARIUM miſit. Venationibus ſe Rex in Iutia oblectavit, magno cervorum numero cæſo. Extruit paßim munitiones Halmſtadij et Overſcheræ in Sueciæ finibus, quo cives ex vicinis oppidulis Rundeby et alijs migrare iußit, item Crempæ in Holſatia. || CAROLUS dux Sue- 76r
ciam nunc totam tenet pacifice, regiam vero coronam ſibi a ſubditis oblatam nondum acceptare voluit, ſupplicio capitis 4 regni proceres captivos, ERICUM SPARRE Cancellarium, GUSTAVUM et STENONEM BANNER, et TURONEM BIELKEN, a concilio ordinum regni damnatos, affecit. Sunt et alij in Finlandia interfecti. Iam cum valido exercitu in Livonia eſt, omniaque Suecis hactenus ſubdita circa Revaliam cum hac ipſa urbe tenet, et Regi Poloniæ bellum facturus exiſtimatur, qui per Capitaneum ſuum GEORGIUM FARNSBECH exercitum circa Rigam conſcripſit, qua de re certiora navibus noſtris Riga redeuntibus cognoſcemus. Cum Lubecenſibus inducias pepigit, qui per legatos ſuos iam de pace cum eo agunt. Nuper duo Lubecenſium Conſules intra 24 horas obierunt, nec admodum bene inter Senatum et cives eius urbis convenit ob turbas Suecicas, quibus improvide Senatus

natus inconſultis civibus ſe et urbem immiſcuit, unde magna civibus in mari damna illata a CAROLO fuerunt.

In hiſce regionibus, Dei beneficio, tranquillitas eſt, ac meßem habuimus ſerenam et uberrimam. In Dania quoque ſegetes feliciter provenerunt, ſed quia ſerior illic meßis eſt, aër agricolis non adeo benignus fuit.

Poſtremo commendo tibi affinem meum ABRAHAMUM STOPIUM, qui iſtic aliquamdiu apud ſororem et affinem vixit, eiuſque negocium, quod haud dubie tibi expoſuit, in quo ſi commodare ipſi apud Dn. Vicecancellarium vel alios proceres poteris, mihi quoque rem gratam feceris. Bene et diu cum omnibus tuis vale. Dabantur Roſtochij 19 Septemb. ſtylo veteri Anno 1600.

Nobil. et Excel. T.
ſtudioſiß.
LUCAS BACMEISTERUS D.

† [E codice Basileensi G I 23]

78v ILLUSTRI ET MAGNIFICO VIRO, DOMINO
TYCHONI BRAHE, ASTRONOMO FACILE NOSTRI TEMPORIS PRINCIPI, DOMINO ET PATRONO COLENDO.
PRAGAM *IN BEHMEN.*

77r ILLUSTRIS et magnifice Domine, patrone colende. Ut doleo priores meas tibi non redditas eßе, ita lætor poſteriores te accepiße: quibus quod prolixe et humanißime reſpondes, pergratum mihi eſt. De Elegia mea ſtatues, utcunque libet, nihil me offendet, neque a me edetur, antequam tu volueris. De MELISSI carminibus plane tibi aßentior. Alius quodammodo et quaſi vulgaris videtur in iſtis carminibus: vel ſenectus hoc facit (ut ipſe ſolet interdum queri) vel laboris fuga: certe iſti odæ omnis lima et intentio videtur deeße. Sed hæc tibi in aurem dixerim, apud ipſum nolim proferri, qui me nuper etiam Elogio ornavit in carmine de obitu CHYTRÆI, quod mitto. Diligentißime egi cum CHYTRÆI filijs de Deſignatione iſta tuæ migrationis in Germaniam. Dixerunt ſe legiße et meminiße, quod patri reddita eßet: ſed quamvis accurate inquiſita, reperta nondum eſt. Deinde etſi reperiatur, nobis tamen non liquet, quomodo ea poßit in huius anni Chronicon regeri ad finem, ut vis, cum incurrat reipſa in præcedentem. Præterea Chronicon illud iam editum eſt poſt mortem CHYTRÆI in id tempus, quouſque ipſe deduxit: nam ut quiſpiam Venerem imperfectam perficiat, huius anni extrema abſolvat, fortaße nemo reperietur.

Exemplum tibi mitto. Sed in tui gratiam facile recudi poßet, niſi priora obſtarent: et hoc quoque, quod iam hæc Exemplaria in hominum ‖ manibus verſentur. Nihil ſane eſt, quod malim, quam tibi gratificari, 77v ſed tu ipſe de his cogitabis et ſtatues, et ſi quid in mentem venerit, nos tantum docebis. Locutus ſum de hoc negocio etiam cum D. LUCA, qui ſuam ſententiam ſine dubio ipſe perſcribet.

De carmine ad Cæſaream Maieſtatem tali, quale innuis, quid fieri poßit, diſpiciam, quando otium nactus fuero. Modo verſor in campo Eloquentiæ et Intemperantiam ac ſectatores eius vehementi oratione ſeu libro caſtigo. Eraſmianum illud erit quiddam, ut ſpero. Sed hæc ante dicens, in lente unguentum quæro.

Obijt nuper SIGISMUNDUS Megapolitaniæ princeps, IOHANNIS ante defuncti (cuius duo filij ſuperſunt) frater: corpus eius humabitur Suerini 10 Octobris ſtylo veteri. CAROLUS dux Sueciæ cum magno exercitu et tota familia contulit ſe in Livoniæ partes; quid moliturus et quo res evaſura ſit, videbimus. Tranſylvaniam periclitari audimus, et propter adventum Turcæ et tyrannidem Walachi, de quibus ex illis locis nos incertiora audimus, vos, qui prope adeſtis, certa.

Iraſcor illi, qui effecit, ut ſuppreßis literis meis VARADINUM noſtrum nondum legeris. Habe vero iam etiam ſero: quod tibi probatum iri omnino confido, magno equidem mihi labore conſtitit. Elegantius videbitur, ſi conferetur cum inepto quodam Sileſij Carmine, qui idem argumentum ſuſceperat ante, ſed ſine Minerva et Gratijs, adeoque nimis pueriliter. RHEDERUM audio id miſiße ad Typographiam Lignicenſem, ut recudatur.

M. CHRISTIANUS iam diſceßit in Daniam, cum ante mihi adfuißet. Tu ut ‖ diutißime valeas et in Germania noſtra floreas, utque 78r tibi diu etiam incolumis ſit ille Cæſar optimus et clementißimus: illud vero eſt, quod opto et voveo ſummopere. Bene vale, vir magnifice. Datæ Roſtochij 20 Septemb. Anno 1600.

T. Magnif.
reverenter colens
MARTINUS BRASCHIUS.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MELCHIOREM IŒSTELIUM.

151r EX ultimis meis literis, Eruditißime et amantißime Domine IÖSTELI, quas Domino Doctori FRANTZIO Iurisconſulto in eas oras proficiſcenti commiſi, facile intellexiſti, quæ ſuperioribus tuis reſpondenda habui, et quænam deinceps a te deſiderarem, quod peracta promotione, quæ ut fauſta felixque ſit precor, meliori reſtitutus otio efficias, te etiamnum per amicitiam noſtram rogatum volo. Invenies facile aliquem, qui id, quicquid erit, meis ſumptibus ad mundum deſcribat. Promptißimum vero erit, ſi hoc per ſtudioſum, quem mihi polliceris (quod et gratum eſt) huc ipſum miſeris, modo is non prius, quod tamen mallem, acceßerit.

Quid M. OSWALDUS et Typographus certo addicere velint, etiam mature reſciſcere cupio, atque ut omnia pro me iſthic peragenda accelerentur, ne irrecuperabile tempus nimis diu incaßum labatur. Sum iam occupatus in diſponendis inſtrumentis meis ſuperius iuxta arcem in domo quadam ampla, in quam Cæſar ex horto ſuo, cui propinqua eſt, ſolitarie, quoties lubuerit, ingredi poteſt et ea perluſtrare, quod et nuper clementißime nec ſine voluptate fecit, licet ſaltem ea, quæ Benatica advecta ſunt, tunc in promptu fuerint, cætera omnia, de quibus etiam pridie inquiſivit, ubi rite collocata fuerint, viſurus, atque tum demum, quo in loco, ut ad uſum perpetuentur, conſtituenda ſint, decreturus. Neque enim vult, ut ego cum meis ſtudijs tam longe, ut antea, Pragâ abſim, quod etiam mihi ipſi non oportunum videtur. Verum de huius conſilij eventu, quem ſpero utilem et commodum futurum, te poſtmodum certiorem reddam.

Advenit ante quatriduum per poſtam, uti vocant, Cæſaris frater Archidux MATTHIAS ab ipſius Maieſtate illico vocatus, ſtatim ac magna illa et inopinata mutatio hîc in aula facta eſt, reiecto RUMPFIO et TRAUTSONIO, præcipuis Conſilij ſecreti Capitibus, qui intra biduum diſcedere iußi ſunt, quod et factum, cæteris eiuſdem Conſilij membris retentis quidem, ſed necdum in priori gratia habitis. Qua de caußa hæc alteratio peracta, nondum ſatis liquet. Fuit quoque dictus ſerenißimus Archidux heri in domo illa, ubi inſtrumenta mea partim erecta ſunt, partim adhuc eriguntur, et ſingula, quæ interim maiori copia advecta erant, diligenter perluſtravit, ſiquidem et is artibus his iucunde et laudabiliter afficiatur.

Vale, et cum otium fuerit, plenius reſcribe. Atque ubi ſexcenti illi Ioachimici e ducatu Megapolitano advenerint, 50 inde pro laboribus

Typographicis

Typographicis tecum retine, et papyrum idoneam pro aliqua eorum parte tempeſtive coëmi effice. Plures mittam, ubi opus fuerit. Reliquos intermediante affine tuo Dreſdenſe huc dirige. Iterumque vale, et D. D. IESSENIUM, licet mei immemorem, reliquoſque amicos Witebergenſes, inter quos etiam obmuteſcentem illum TAUBMANNUM, ſaluta. Dabantur feſtinanter Praga die 8 Oct. ſtylo novo Anno 1600.

[E codice Basileensi G I 35] †

153r (152r)

SPECTATISSIME DOMINE DECANE AC SENIOR CÆTERIQUE CLARISSIMI DOCTORES COLLEGIJ MEDICI.



UOD tam honorifice et benevole ad promotionem Doctoratus in facultate medica circa medium Octobris ſtylo veteri apud vos ſolenniter celebrandam (memores adhuc illius convictus, qui inter nos fuit, dum ſuperiore anno aliquantiſper Witebergæ ſubſiſterem) veſtris humanißimis literis me invitatis, eſt cur vobis omnibus et ſingulis officioſe gratias agam. Satiſfacerem vero haud illubenter veſtræ petitioni, ſi per me id ſtaret, et temporis locorumque ratio, quibus inſerviendum, id ferret. Sum enim ex Sacræ Cæſ^{æ} Ma^{tis}, Domini noſtri clementißimi, mandato iam occupatus in diſponendis inſtrumentis meis Aſtronomicis, quæ partim ex Arce Benatica, partim Magdeburgo Leutmeritzium, quouſque Albis eſt navigabilis, deinde huc Pragam, eiuſdem Maieſtatis iußu, nuperrime advecta ſunt, ut in ampla quadam et magnifice ſuperius prope arcem extructa domo ijs collocatis, ipſius Maieſtati (ſic enim ei clementißime placuit) omnia propius in conſpectu ſint, donec quorſum ulterius tranſferenda, et ubi commode ad uſum ſtabilienda veniant, benignißime ordinaverit. Quæ cum non ita cito expediri queant (res enim non parvæ eſt molis) ut vobis ad conſtitutum tempus gratificer, ſpero tam apud vos, quam Eruditißimum Magiſtrum IÖSTELIUM, Candidatum inter ſex illos primarium, amicum mihi in primis dilectum, excuſationi locum futurum. Quod ſupereſt, ut actus ille auſpicatus et ſalutaris ſit, precor, voſque omnes Deo Opt. Max. commendatos habeo. Dabantur Praga die 9 Octobris ſtylo reformato Anno 1600.

[E codice

† [E codice Vindobonensi lat. 10702]

IOANNES KEPLER AD TYCHONEM
BRAHE.



163r UM hucuſque, Nobilißime et Præſtantißime Domine TYCHO, partim occupationes tuæ, partim febris mea non paßæ fuerint, ut rationes adventus mei in Bohemiam Magnificentiæ Tuæ ex animi mei ſententia recenſerem, ſcripto id rectißime præſtitum iri putavi. Duobus potißimum argumentis Magnificentia Tua, in literis ad me in Styriam mißis, in Bohemiam me vocavit, altero a contractu noſtro, quem Maio menſe et antea talem inivimus, ut pollicerer, interventu Cæſareæ voluntatis, Magnificentiæ Tuæ per biennium adeße, laboreſque tuos in Aſtronomia toti Europæ iam pridem deſideratißimos, quantum in me eſt, maturare et adiuvare: altero argumento a præſenti mea calamitate deducto, dum me iubes optima ſpe ad te proficiſci, nec dubitare, quin vel commendationibus tuis ad Maieſtatem Cæſaream, vel propria opera auxilioque meis incommodis ſis conſulturus, adeoque et viaticum compenſaturus. Recte ſane de duabus hiſce rebus egiſti. Nam mihi cum neceßitas imponeretur e Styria migrandi, omnino de utraque hac cogitandum fuit. Etſi enim, quod primum attinet, omnis noſter contractus expiravit et annihilatus eſt, ſublato fundamento, ut retinerem ſalarium meum Styriacum (quod interdictu Provinciæ mihi ademtum eſt) utque magiſtratus meus eius temporis ||
163v conſentiret (cuius loco, ceßante officio, iam agnoſco Principem Wirtembergicum, vigore cum obligationis, tum literarum Reverſalium) tamen cum, durante meo priore officio, res a Magnificentia Tua incepta et Cæſareæ Maieſtati propoſita ſit, Cæſarea Maieſtas etiam conſenſerit, providendum certe mihi fuit, ne imprimis Cæſaream Maieſtatem, tum etiam Magnificentiam Tuam ludificarer, quin potius vel cum damno meo Pragam irem, ibique rem vel penitus confectam (quam ſpem literæ tuæ in adventum meum præbuerunt) quantum in me eßet, amplecterer, quantum vero in Principe meo ſitum, per Legatum eius Dominum Doctorem DOLDIUM, qui Pragæ eßet, expedirem; vel ſi adhuc præter opinionem tuam, in dubio ſuſpenſa futura eßet, uti tum vires meas explorarem, ſumptuum rationem inirem, et quantiſper ſine pernicie mea, incertum in eventum, meis impenſis, nullo ſalario, expectare poßim, perpenderem, ubi, ſi tantæ moræ, quantas poſtulat aula Imperatoria, ſupra facultates meas eßent, negotium ipſe præſens legitime et cum Magnificentiæ Tuæ meique ipſius excuſatione penitus deſererem.

Quod ad alterum, etſi mihi dubium nunquam neque fuit, neque eſt, quin

quin et impenſe me ames, et optime promotum velis, et huius rei lu-
culentißimas in loco tam ſplendido, tanta ſummi Monarchæ gratia,
habeas occaſiones, ſi moram ego ferre poßem: tamen rationes, quibus
præſens meum infortuni-‖um ope divina ſublevem, aliæ mihi ſunt, 164r
partim neceßariæ, partim (ut ſunt res meæ tenues) magis utiles. Cum
enim iure obligatorio tenear, operam meam priore Magiſtratu, cui il-
lam ex conceßu Principis mei Nutricij addixeram, liberatam, eidem
Nutricio meo renunciare, rectißime ſane mihi conſuluißem, ſi recta
via Grätio ivißem in Wirtembergiam. Certum enim habeo, qui eo
veniunt exules, maxime ſi alumni fuerunt Principis, illis et de victu
ſtatim et de conditionibus primo quoque tempore proſpici. Ego vero
præter hæc omnia etiam a Præceptoribus meis in Academia Tubin-
genſi iam pridem eas habeo promißiones, ut merito ex coniunctione
Principis cum Academia magna mihi ſpes naſci debeat. Atque hæc
via eßet omnium compendioſißima ad mea mitiganda incommoda.
Altera eſt, ut ſi me cauſæ forſan aliæ (qualis eſt noſtra iam tractatio)
Pragam deducerent, uti tum in ea urbe, nempe in conventu Legato-
rum ex pleriſque provincijs, ſtatim mihi proſpicerem, primo omnium
Legatum Wirtembergicum alloquerer, an commode, parvo ſumptu,
commendationibus ipſius adiutus, in Wirtembergiam ire poßim, an
conceßionem mihi ab illo Principe impetraret, commendationibus ite-
rum me iuvaret, ut propter redimendum viaticum in propinquiorem
Academiam, qualis eſt Witeberga, Iena, Lipſia etc. promoverer. Hæc
altera via eſt, Nobilißime Domine TYCHO, ſublevandis meis miſerijs, ‖
minus quidem ſplendidas conditiones pollicens, quam ex aula ſperan- 164v
tur Imperatoria, ſed tamen expeditiores, in præſentia certiores, et mihi,
qui ob inopiam non ſum ſuſtinendis diuturnis moris, acceptiores.

Explicavi, quid de utroque tuo argumento ſentiam: iam quo animo
huc venerim, hîcque iam commorer, recenſebo. Voluiße me, ſtatim at-
que in exilium ire ſum iußus, Wirtembergiam repetere, iam pridem
ex literis meis tenes. Supervenerunt literæ tuæ, quæ et mihi et affini-
tati amiciſque meis ſatis efficaces ſunt viſæ, quæ me permoverent, ut
dimißo in Magnificentiæ Tuæ et Aſtronomiæ gratiam, inque meum
ipſius, ſi Deus ita vellet, maius incrementum, altero mei iuvandi modo,
retento vero alterius arbitrio pro Wirtembergico Bohemicum iter ar-
riperem. Bona vero et uxorem cum privigna viſum eſt in omnem even-
tum Lincij relinquere, ubi eßent in itinere verſus Wirtembergiam.

Mutavi propoſitum de uxore et privigna (bona enim, ſicut dixi, Lincij
reliqui) hoc metu, qui iam in me exit, ne quis ex nobis ægrotaret, reli-
quis abſentibus, inter peregrinos. Itaque Pragam veni magno ſumptu.
Sexaginta expendi in vecturam perſonarum, viginti in viaticum, qua-
draginta amplius in duo vaſa, repleta bonis mobilibus ſive ſuppellectili,
idque

idque tantummodo Lincium uſque. Taceo quanto iam in ære ſim hoſpitis mei. Reſtant mihi impenſæ non plures, quam quibus ad moram quatuor hebdomadum, et deinde ad iter aliud (breve tamen) indigeo.
165ʳ Intra has quatuor hebdomadas expectabo eventum ‖ noſtri negocij. At nihilominus, dummodo per valetudinem liceat, in omnem eventum mihi apud Legatos Principum de commoda conditione legitime circumſpiciam, ſic tamen, ut ſi quid interea Magnificentia Tua effecerit, id ratum, cætera irrita ſint. Ubi hoc tempus tranſierit, atque Magnificentia Tua poſtulaverit a me, ut diutius maneam, id non aliter mihi poßibile eſt, niſi aut viaticum mihi a Magnificentia Tua pro vectura et victu reſtituatur 150 fl., ut duo vaſa mea huc advehantur, ne quæ convaſata ſunt, ſitu pereant, aut Magnificentia Tua prædem ſe præſtet pro me apud illos, a quibus neceßaria mihi ad victum coëmenda ſunt. Quorum illud ſi præſtetur, ad ſemeſtre uſque, DEO vitam prorogante, expectare potero: ſin hoc autem, tantiſper durare poteſt mora mea, dum id Magnificentiæ Tuæ et Creditoribus allubeſcat. Interea Aſtronomia et labores Magnificentiæ Tuæ tantæ mihi curæ erunt, quantam feret valetudo mea. Quin etiam ſi negocium ex animi ſententia apud Cæſaream Maieſtatem conficias, viaticumque, uti ſpem feciſti, impetres, ab eo ſummam eam, quæ interea mihi a Magnificentia Tua commodata fuerit, demptam Magnificentiæ Tuæ reſtituam. Quin etiam id intra has 4 ſeptimanas operam dabo, ut aliquis alius mihi id ſalarium, quod Grätij habui, in hoc biennium pendat, pro quo obligatus illi ſim, exacto tempore in eius ſervitium tranſire. Habet igitur Magnificentia Tua ſummam conſiliorum meorum: quæ ut mihi inopi et deſerto et exuli non in peiorem partem interpretetur, obnixe rogo. Vale. 17. Oct.

Magnificentiæ et Nobilitatis
Tuæ Officioſißimus
M. Io. Kepler.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS
AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.

242ʳ EX itinere, quo peregre abieram, Vir Nobilißime atque Mathematicorum omnium facile Princeps, iam tandem reverſus, relegi literas tuas 28 die Auguſti ad me datas, et ex adiunctis exemplis deprehendi, me ſemel atque iterum in calculo lapſum eße, quo nomine gratias tibi ago eô maiores. Sed inprimis ſumme miror, atque adeo ſatis mirari nequeo, calculum tuum novißimum Eclipſeos Solaris diei 10 Iulij huius anni ἀκριβέστατον tam præciſe obſervationi cœleſti ei-

demque

demque exactæ congruere, ita ut nec ſexageſimâ quidem particulâ unius gradus a ſe invicem diſcrepare videantur.

Ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι. †
Reſpondet numeris tua contemplatio cœli
Unius arctataque ad ſexageſima partis.
Θαῦμα ἴδεσται.
Reſpondent cœlo numeri, quibus attrahis aſtra,
Unius arctatique ad ſexageſima partis.
Θαῦμ' ἀκόεσται.

Summo itaque deſiderio flagro, ut quanto citius pollicitationem hac in re tuam adimpleas, totus enim iam calculum hunc tuum Solis et Lunæ novißimum, poſteaquam eundem plane abſolveris, exſpecto et opto.

Libros, quos petijſti, habeo, ſed iam deeſt tabellarius. FRANCISCUS VIETÆUS A° 89 Londini edidit librum in folio Regali, cui titulus † FRANCISCI VIETÆI opera Mathematica, in quibus tractatur Canon Mathematicus, ſeu ad Triangula, item Canonion Triangulorum laterum rationalium, unâ cum univerſalium inſpectionum ad Canonem Mathematicum libro ſingulari etc. In eoque libro multa tractat de reſolutionibus triangulorum, quare plane conijcio ADRIANUM ROMANUM de hoc ipſo libro locutum eße. Quod ſi eum deſideres, curabo omnino, ut habeas. || ALBATEGNIUS latius habetur, ſed is ipſe, 242v qui multis in locis incorrectus eſt, Norimbergæ A° 37 unâ cum ALFRAGANO editus, et nec is quidem facile invenitur, attamen πολλαπλασίωσις pretij effecit, ut ego quoque exemplar eiuſdem mendoſæ impreßionis ex Bibliotheca quadam redemerim. Quod ſi nihilominus eundem petas, mittam illico. Mihi ſane, præter nomina propria, non videtur adeo mendoſus, ſi unica cautio adhibeatur; ſolet enim numerum binarium et quinarium confundere. Quod ſi hoc unicum caveatur, in calculo vix error oboriatur.

Iungo his literis Catalogum nundinarum autumnalium, quem ipſum quoque iam demum e peregrinatione domum reverſus ſum nactus; quod ſi aliquos libros ex ijs deſideres, tranſmittentur. Affinis meus PAULUS ZEHENTNER ab ZEHENTGRUEB quædam meo nomine tibi referet, atque hiſce vale quam fœlicißime. Datæ Monachij die 8 Nov. A. 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MAURITIUM
LANDTGRAVIUM HASSIÆ.

154^{r} UM Illuſtrißimæ Celſitudinis Veſtræ Legatus Magnificus, Dominus IOHANNES de *Bopenhaußen,* qui magni Regis Perſarum Legationem huc, Cel^{nis} Tuæ iußu, † deduxit, mihi (ſiquidem interea dum hîc fuit, nonnulla ex mutuo aliquoties congreßu atque colloquio nobis interceßit familiaritas) indicâßet, ſe reditum in Haßiam ad Cel^{nem} V^{m} maturare, mei officij eße duxi Ill^{mam} C^{m} V^{m} hiſce meis literis demiße ſalutare, et quæcunque ex mea tenuitate proficiſci poterint obſequia, omni debitâ reverentiâ offerre. Auxit hanc ſcribendi confidentiam, et idipſum ut non omitterem, perſuaſit, non ſaltem ea, qua Laudatißimæ memoriæ V^{ræ} Cel^{nis} Dominus Parens, quoad vixit, me Clementißime proſecutus eſt benevolentia, ſed et inſuper V^{ræ} ipſius Cel^{nis} benignißimus animus et perſeverans erga me favor, ut vel inde liquet, quod Cel^{do} V^{ra} etiam poſt obitum Parentis ſuis Clementißimis et cultißimis literis dignata ſit. Quin et ex prædicto Cel^{nis} V^{ræ} Legato gratißimâ mente nec ſine voluptate percepi, C^{m} V^{m} etiamnum ſubinde per occaſionem nonnunquam mei mentionem facere, quod conſtantis erga me Clementiæ et benignitatis indicium, quâ poßum ſubmißione 154^{v} ac gratiarum devota actione, ‖ lubens agnoſco, inque eo mihi non parum congratulor.

De migratione autem e Dania, Patria mea, ante quadriennium factâ, quoniam C^{m} V^{m} non ſaltem ex proprijs meis literis, interea ad eam officioſißime datis, ſed et aliorum proculdubio relatione per ſuas circumſtantias iam ſatis edoctum eße, nihil addubito, nolo ulterius ea de re quippiam commemorare. Exiſtimo etiam Cel^{ni} V^{ræ} iam antea innotuiße, quomodo a Sacra Cæſ^{a} Ma^{te}, Domino noſtro Clementißimo, huc in Bohemiam ante biennium Clementißime vocatus et in ipſius Cæſ^{æ} Ma^{tis} Clientelam benignißime receptus, quodque Mecœnatem eorum, quæ diu multumque tracto, ſtudiorum Aſtronomicorum in ipſius Ma^{te} invenerim liberalißimum. Quocirca advectis, ex ipſius etiam Cæſ^{æ} Ma^{tis} Clementißimo mandato, per Albim fluvium omnibus meis, quibus in Dania ad tam ſublimis ſcientiæ exercitium et redintegrationem uſus ſum, Organis, ea nuper, ipſius quoque Ma^{te} ſic Clementißime decernente, in domo quadam ampla et magnifice hîc iuxta Arcis hortum extructa diſpoſui, quæ numero ſunt 28, tam formæ et fabricæ quam magnitudinis et utilitatis varietate diſcreta, quemadmodum ‖ 155^{r} ſupra memoratus Cel^{nis} V^{ræ} Dominus Legatus, qui ea ſingula coram † intuitus eſt, ad C^{m} V^{m} plenius referre poterit. Etſi vero in libro Epiſtolarum,

larum, qui Ill^{mi} et nunquam ſatis laudati Patris veſtri literas de re Aſtronomica mihi Clementißime ſcriptas, unâ cum mea reſponſione, complectitur (quem Ill^{mæ} Cel^{ni} V^{ræ} a me ſubmiße dedicatum eam accepiße opinor) ſuo loco nonnulla horum Inſtrumentorum reperiatur deſcriptio, et licet inſuper Icones quaſdam, pleraque ex hiſce Inſtrumentis † repræſentantes, poſtea miſerim, de quibus, quod eas Cel^{do} V^{ra} obtinuerit, Opus illud Palatinum, mihi vicißim dono Clementißime remißum, omne exemit dubium: Tamen cum Organa mea Aſtronomica poſtmodum plenius delineari atque excidi, unâ cum uberiore Fabricæ et Uſus explicatione, atque in peculiari libro inprimi curârim, quem Imperatoriæ Ma^{ti} humilime dedicatum, unâ cum duobus alijs pari formâ et magnitudine, quorum unus de mille affixarum ſtellarum accuratißime a nobis facta Reſtitutione, alter de ☉^{lis} et ☾^{næ} verificatis motibus agit, cum primum huc advenißem, ſubiectißime obtulerim, V^{ræ} Ill^{mæ} Cel^{ni} eum, qui de Mechanica ‖ Aſtronomiæ parte tractat, cum hoc ipſo 155^{v} ſuo Nobilißimo et eximio Legato demiße dono mittendum duxi, quem et Cel^{do} V^{ra} benignâ fronte accipere non dedignetur, quâ poßum reverentiâ oro. Si reliquos duos Cel^{do} V^{ra} unâ Clementißime expetierit, præſertim eum, qui affixarum Rectificationem ſcrupuloſe exequitur, ut collatio cum ijs ſtellis, quas V^{ra} Cel^{do} ibi pariter obſervatas habet, inſtitui poßit, eos quoque per temporis oportunitatem quam obſequentißimo animo impertiar. Quod et nunc præſtitißem, ſi exempla conficiendi (ſunt enim ambo manu ſcripti) commoditas ſuperfuißet. Quin etiam cum alia ex meis Operibus lucem publicam viderint, ea cum Cel^{ne} V^{ra} omni debita ſubmißione communicare, eiuſque ſolertißimo et gravißimo ſubmittere iudicio non ſuperſedebo: Et quacunque alias in re pro mearum virium modulo quippiam, quod Cel^{ni} V^{ræ} gratum ſit, præſtare potuero, habebit ea in me ſervitorem fidelem, cui id, quicquid erit, libere demandet, qui etiam pro virili V^{ræ} Cel^{nis} Clementißimis deſiderijs omni animi ſubmißione obtemperaturus ſit. Sed ne diutius, quam par eſt, C^{m} V^{m}, cui me meaque ſtudia commendata eße ſubmiße cupio, hac interpellatione, gravioribus negocijs intentam, remorer, eam quam proſperrime florere et quam diutißime ſaluberrimeque valere unâ cum Illma Coniuge et inclytis liberis, a Deo Opt. ter Maximo devoto pectore precor. Dabantur Pragæ Bohemorum Die 10 Novembris Anni 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

† TYCHO BRAHE AD LUCAM BACMEISTERUM.



161r X literis tuis, clarißime et præſtantißime vir, amice inprimis honorande, intellexi 600 illos Ioachimicos, qui mihi ad initia Aprilis huius Anni a Quæſtore Iuniorum Principum Megapolenſium debebantur, tibi tandem, prout fieri volebam, redditos eße, atque eos uſque in Domini D. GÖDELMANNI, qui hîc Legatum agit Saxonicum, ad vos acceßum, a te reſervari, quod et mihi gratum eſt. Conſtituerat is quidem maturius ad vos venire, verum omnia in hac aula ob negotiorum magnitudinem et copiam admodum lente procedunt, ut citius abſolvi nequierit. Rogo autem peramanter, ut illi pecuniam hanc, ſumpto ipſius, quo id teſtetur, chirographo, committas, ita ut omnes thaleri ſint imperiales, et eius generis, quales in ſuperiori Germania valori integro ſufficiunt, commutatis videlicet illis, qui novi et Belgici ſunt, in alteros, de quibus modo dixi, prout te facturum benevole pollicitus es. Nam et tota ſumma, quam ego iunioribus Principibus mutuo dedi, conſtabat pro maxima parte ex optimis illis et nihil ſcrupuli moventibus thaleris. Quin et de reliquis 600, qui mihi ad principium Aprilis futuri Anni pariter debentur, rogavi per literas quæſtorem, ut etiam prædicto Domino Doctori GÖDELMANNO meo nomine, cum inde diſceßerit, eos ſolvere velit, ſiquidem ad id temporis, quo poſtmodo numerandi ſunt, vix inventurus ſim tam certum perlatorem, cui æque tuto concredi poßint. Et ſane non iniquum erit, ſi intereße hoc (uti vocant) duobus vel tribus menſibus ante præſtitutum terminum numerârit, ex quo 600 illis, quos hoc anno circa Aprilis principia obtinere debuißem, ultra ſemeſtre caruerim, ut aliqua vicißim fiat iuſta compenſatio. ‖

161v De [ijs quæ] continuationi Hiſtoriolæ Chytreanæ huius anni inſerenda ſunt, antedictus Dominus D. GÖDELMANNUS ſufficienter vobiſcum loquetur, et quemadmodum antea quoque inſinuavi, nihil hîc præſcribo, nihil urgeo, ſed omnia veſtro arbitrio libera relinquo.

Affinis tuus ABRAHAMUS STOPIUS ante tres circiter ſeptimanas Viennam ivit. Scripſißem cum illo, ſed neminem iſthîc notum habeo, cui ipſum et eius negotium fructuoſe commendare poßem; ubi reverſus fuerit, et quippiam deſiderârit, ibi ex ſententia non expeditum, libenter vel tua de cauſa hîc apud Dominum Vicecancellarium, quantum in me erit, eius cauſam promovebo. Si M. CHRISTIERNUM noſtrum ad aliquod officium ipſi idoneum et utile iſthîc promoveris, rem mihi plurimum gratam præſtiteris.

De

De ijs, quæ hîc quoad novos rumores narrantur, nihil addam, ea enim a Domino GÖDELMANNO coram percipies, neque enim otium ſuppetit talia commemorare. Vale cum coniuge et tota familia bene et feliciter, ac ſenij gravamina fortiter, ut facis, ſuſtine. Dabantur Pragæ Bohemorum 16 Novembris ſtylo novo Anno 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD CHRISTOPHORUM STURCIUM. †

NOBILIS ET CLARISSIME VIR, AMICE HONORANDE. 162r



X ijs quas paulo poſt æquinoctium Autumnale ad me dediſti literis, quo in ſtatu res tuæ ſint, et cur rarius ad me ſcripſeris, intellexi. Ego vero tibi quietem illam et ſtudiorum commoditatem congratulor, ac literarum intermißionem lubens excuſatam habeo.

De rebus Suecicis et Livonicis ſimilia ijs, quæ ſcribis, imo adhuc plura hîc cognovimus — quem das finem, pater alme, furorum?

Negotium illud de ijs, quæ Hiſtoriolæ huius anni Domini D. CHYTRÆI laudatæ memoriæ inſeri ipſe, dum in vivis eßet, volebat, nec ego abnui, ſiquidem eius continuatio a te, uti etiam ſcribis, pertexenda erit, tuæ prudentiæ relinquo, quid in eo faciendum vel omittendum duxeris. Habet ſecum gener eius Dominus D. GÖDELMANNUS, qui hîc Legatum agit Saxonicum, amicus meus ſingularis, quæ hac de re inter Dominum D. CHYTRÆUM et me ventilata ſunt, tibi monſtranda, ſi forte priora iſthic interierunt; is etiam plenius hac de re tecum loquetur, neque tamen in his quippiam vobis præſcribo aut urgeo, ſed relinquo liberum agere prout lubuerit. Perinde enim apud me erit, quacunque ratione id fiat, nec ægre feram, etiamſi plane omittatur.

In privilegio hîc obtinendo pro libris tuis in publicum edendis, lubens tibi meam navabo operam, ſed ſcire prius oportet, quales illi ſint libri, et quid contineant; ſi enim quippiam habent, quod religioni, quam Catholicam vocant, || adverſatur, aut eos, qui hanc non am- 162v
plectuntur, commendet, vix quippiam impetrabimus.

Nova quæ hîc narrantur, a prædicto Domino GÖDELLMANNO percipies, qui etiam nonnulla ad continuationem hiſtoriæ huius anni facientia tecum facile communicabit. Plura non addo, ſum enim ita alias occupatus, ut calamum hîc ſiſtere oporteat. Tu itaque cum omnibus tuis quam optime et felicißime vale. Dabantur Pragæ Bohemorum 16to IX^{bris} Anno 1600.

[E codice

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MARTINUM BRASCHIUM.

164r ITERIS tuis, eruditißime et amantißime Domine BRASCHI, etſi vix otium ſuppetat, ut nunc quæ vellem reſpondeam (ſum enim plurimis alijs negotijs diſtractus) malui tamen potius hæc pauca quam nulla ad te dare, ne amicitiam noſtram negligere viderer. De carminibus tam MELISSI quam tuis iam ſatis inter nos convenit, et par ſtat ſententia.

Quæ Dominus D. DAVID CHYTRÆUS optimæ memoriæ, dum adhuc in vivis erat, de mea e Dania emigratione annuæ ſuæ hiſtoriolæ, me conſentiente, inſerere voluit, ſi ea iſtic interciderunt, Magnificum Saxonici Electoratus hîc Legatum agens, Dominus D. GÖDELLMANNUS, qui vos nunc accedit, in alio exemplo ea monſtrare poterit, modo res ſic poſtulet. Sed non multum intereſt, ſive hæc fiant, ſive non, quemadmodum hac de re ad Dominum D. LUCAM BACKMEISTERUM et Dominum D. STURTZIUM, hiſtoricum veſtrum, plenius perſcripſi. Carmen illud tuum, cuius antea meminiſti, iam accepi, quod mihi perplacet. Caniſium, quod Hungariæ Camiſium aliqui vocabant, ſiquidem eo detracto pateret hoſtibus in Stiriam et Auſtriam facilior aditus, ante paucas hebdomadas in Turcarum poteſtatem, quod dolendum eſt, pervenit, quo occupato mox Papam caſtrum obſederunt, quod ijs vix reſiſtere poterit. Cœtera a Domino D. GÖDELLMANNO cognoſces. Iamque quam optime cum omnibus tuis vale. Dabantur Pragæ Bohemorum 16 Novembris Anno 1600.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MELCHIOREM IŒSTELIUM.

165r ENIT ad me Dreſdâ hiſce diebus M. AMBROSIUS RHODIUS, et nonnulla, quæ circa Hypotheſes tentâſti, clarißime et præſtantißime D. D. IÖSTELI, ſecum a te attulit. Utrumque mihi gratum fuit. Faciam, quantum ad illum attinet, prout mones. Hypotheſes autem cuperem accuratius enodari, et magis perſpicue explicari, ita ut nihil deſit aut ſit ſuperfluum, atque ordine debito ſeſe omnia inſequantur. Neque quæſtio eſt, ut loca Planetarum, per Hypotheſin quamcunque inventa, cum meis obſervatis conferantur, quibus nulla

ratio

ratio hactenus præſuppoſita conſentiet, ſed ſufficit, ut ea, quæ ſecundum PTOLEMÆUM deducuntur, calculo reſpondeant Alphonſino, ita tamen ut Apogæa, Eccentricitates et dimenſiones orbium adhibeantur, prout Alphonſina fert methodus, a PTOLEMÆO potißima ex parte derivata, niſi quod Apogæa hiſce temporibus aliter applicantur. Quæ vero iuxta COPERNICUM fiunt, ea oportet ipſius pariter datis et aßumptionibus, in ijs quæ modo dixi, inniti, et calculo Prutenico convenire, idque ſive iuxta ipſius ſpeculationem Solem ad centrum Univerſi quieſcentem, in annuo orbe, eius loco revoluta Terra, ſtatuemus, ſive immutata hac, uti ego oſtendi, Hypotheſi, Terra ibidem immota permanente, et aßumptis Eccentroepicyclis more Ptolemaico, cum circello circa centrum, loco æquantis, uti recte imitatus es. Sed hæc non eſt proprie inverſio, ſed potius permutatio quædam || et cum 165v
Ptolemaicis hypotheſium COPERNICI conciliatio. Noſtra autem innovatio, quæ Epicyclos non minus quam ille negligit, Terra nihilominus immota permanente, etiam aliud adhuc particulare requirit, ut apparentijs ſatisfiat, quam a te iuxta COPERNICI proportiones factum eſt. Oſtendunt ſiquidem apparentiæ, Planetarum circuitus proprios non medium, ſed verum, adeoque ipſum corpus Solis, reſpicere, ita ut †
Martiæ ſtellæ, quæ præcipuam hîc parit differentiam, phænomena, etiam extra Acronychios ſitus, accurate et multipliciter conſiderata, nos ad ipſius Solis Apogæum iuxta initia ♋cri manuducant, ut de Eccentricitate nunc nihil dicam. Recte tamen a te factum eſt, quod noſtram hypotheſin Coperniceæ collatam, et aßumptis ijſdem dedomenis, eundem præbere ſideris locum, quem eius exigit numeratio, demonſtrâſti. De his vero per oportunius ocium deliberatius cogita, et quæ vel hactenus perfectius elaborata habes, quam ea ſunt, quæ miſiſti, vel inpoſterum elaborare dabitur, mecum communica.

Cœterum de Typographo LEMANNO ſic habe. Precium quod annotavit pro Balla papyri 15 fl. nimium eſt, venditur enim hîc, ubi omnia longe cariora ſunt quam Lipſiæ aut Witebergæ, una eiuſcemodi Balla 8 Ioachimicis. Et cum Witebergæ eßem, potui eam a cartopœis pro decem fl. ſi recte memini, obtinere. Verum quantum ad mercedem attinet, quam pro labore ſuo Typographico in imprimenda una Balla poſtulat, facile inter nos conveniret, ſi papyrum || æquiore precio ad- 166r
hibuerit, ita ut decem fl. vel ad ſummum totidem Ioachimicis (quod tamen pluris eſt, quam hîc una Balla venit) comparetur. Qua de re ut cum ipſo diligenter meo nomine agas, te peramanter rogatum habeo, utque promptius intelligat, hanc eße meam ſententiam, idipſum Germanicis verbis conſignatum illique tradendum, uti voluiſti, adiungo. Exemplar autem, quod ea continebit, quæ de Luna in 6 illis quaternionibus excudenda erunt, quam primum ad mundum (in quo nunc laboratur)

laboratur) deſcriptum fuerit, mittam, modo prius de voluntate Typographi certior a te factus fuero, quod ut mature facias, etiam atque etiam peto. Vale et ſaluta amicos Witebergenſes, quibus ſcribere nunc non vacat, ſed fiet id, volente Deo, per oportunius otium, iterumque vale. Dabantur Pragæ Bohemorum 18 Novembris Anno 1600.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS
AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.

242ᵛ ITERAS tuas, Vir Nobilißime atque Mathematicorum omnium facile Princeps, quas quidem die 14 huius menſis Pragæ ad me dediſti, ex Ingolſtadio ad me tranſmißas, hac ipſa horâ probe accepi. D. CHRISTOPHORUS VARSEVICIUS, uti optaßem, ad me non venit. M. IOAN. KEPLERUM male valere doleo, et æque contriſtor, conditione commodâ eum iam carere. Si apud Cæſaream Maieſtatem, quod abominor, ei non ſit permanendum, ipſe quoque diſpiciam, anne forte alibi res ſuas inſtituere queat.

Tabulas BLANCHINI, PRUGNERI et BEURBACHIJ, quas petis, curabo, ſi modo extent, ut habeas. IOANNIS ANGELI Aſtrolabium † et Planum cum IACOBO ANGELO de Cometis ob defectum tabellariorum mitto hiſce iunctum, teque quam fœlicißime florere ex animo opto. Datæ Monachij die 27 Nov. A. 1600.

[E codice Monacensi Bibl. Univ. 693 in 2°]

IOANNES GEORGIUS HERWARTUS
AB HOHENBURG AD TYCHONEM BRAHE.

243ʳ RÆVIA precatione fœlicis et auſpicatißimi novi anni, Vir Nobilißime atque Mathematicorum omnium facile Princeps, mitto Alphonſinas Tabulas recognitas, Pariſijs A° 53 impreßas, No. 43 ſignatas. Et ſimul unâ METHODIJ uti fertur Revelationem, quam deſcribi curavi, cum liber, cui inſerta fuerat, ob molem tranſferri nequeat. Neque iam occurrit aliud, quod ad te modo ſcribendum eße ducam. Summa enim illa tua ἀκρίβεια, quâ vel ad ſexageſimam gradus partem novißimus tuus calculus Solis et Lunæ, cum exactißimâ tuâ cœleſtium apparentium contemplatione, coincidit, eo me redegit anguſtiarum, ut quo me vertam, non habeam, et ob id ipſum Matheſeos

ſeos operationes tantiſper omnino ſeponendas eße decreverim, donec calculum iſtum tuum novißimum abs te abſolutum, quem liberali tuâ ſpontaneâ et benevolâ pollicitatione iam quodammodo meum feciße videris, mihi impertiri dignatus fueris. Ea ſiquidem, quæ Arithmeticam concernunt, ſatis hac ætate elaborata eße videntur. Quæ vero Aſtronomica ſunt, vel ſaltem cum ijs coniuncta, manifeſtis difficultatibus ſunt implicita. Ut ſive PTOLOMÆUM quis ſequatur, ſive ALPHONSUM, ſive COPERNICUM, in multis offendat neceße eſt. Unice itaque reſtaurationem hanc tuam exopto, cui, tametſi forte nondum extremam manum adhibueris, tamen ea ſine omni dubio aliorum calculos longe ſuperabit. Atque hiſce tibi fœlicißima quæque præſagio et ex animo precor. Datæ Monachij 10 Decemb. A. 1600.

[E codice Bononiensi Archivi *Malvezzi dei Medici*] †

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO 4v
VIRO DOMINO IOHANNI ANTONIO MAGINO PATAVINO, RERUM MATHEMATICARUM IN ILLUSTRI BONONIENSIUM GYMNASIO PROFESSORI ET AMICO SUO HONORANDO.
BONONIAM.

S. 1r



ITERAS tuas humanißimas pariter atque eruditißimas, Clarißime et Excellentißime Domine MAGINE, 4 Martij ſuperioris Anni datas, recte quidem accepi; nulla tamen ad eas reſcribendi hucuſque ſeſe mihi obtulit certa commoditas, priuſquam nunc per filium meum natu maiorem, TYCHONEM nomine, Illuſtrißimum et Amplißimum Magni Perſarum Regis Legatum comitantem. Cumque a primario Legato, natione Anglo, ipſum Bononiam, in itinere ſuo Romam verſus, tranſiturum, perceperim, non omittendum duxi, quin meis te ſalutarem, atque ad ultimas tuas nonnulla reſcriberem.

Quod negotium illud, tuæ fidei ſecreto commißum, tam diligenter procurare non degraveris, ſummas tibi habeo debeoque gratias. Et placet ſane iſta ratio, quam proponis, de Excellentißimo illo BERNARDINO BALDO Urbinate, Guaſtallæ Abbate, qui vitas Mathematico- † rum conſcribere propoſuit. Ibi enim id, quod molimur, quam commodißime inſeri poterit. Cuperem tamen (quod et antea rogavi) primas conceptiones mecum communicari, ut meum etiam aliquale iudicium interponam, ex quo res meæ nemini rectius quam mihi ipſi conſtare poßint. Carmina in mei gratiam concinnata, et ulterius, quam priora erant,

erant, aucta, filius monſtrabit. Si quid in prioribus mutatum eſt, poteſt hinc reſtitui, et ea quæ ibi deſiderantur compleri. Cætera tuæ prudentiæ et benevolæ erga me voluntati committo.

Quod Illuſtrißimus et Reverendißimus Cardinalis SS. QUATUOR, Vir procul dubio eximiæ et variæ doctrinæ, rerumque Mathematicarum amantißimus, Eclipſin ⊙^{lis} Anni 98, qua licuerat diligentia, obſervârit, perlubenter accepi, grataque eſt eorum, quæ ipſius Dominatio Illuſtrißima denotavit, mecum communicata deſcriptio, licet ob ſerenitatis raritatem, tam præciſe 1v || omnia (uti voluerit) deſignare nequierit. Gaudeo, atque hiſce ſtudijs plurimum congratulor, quod Romæ inter Illuſtrißimos etiam Cardinales reperiantur, qui Divinam Aſtronomiam (uti vel ex hoc ſolo liquet) in precio habeant. Hæc Eclipſis Uraniburgi in Dania meis adhuc iſthic reſiduis Inſtrumentis obſervata eſt in mea abſentia. Habitabam enim tunc prope Hamburgum, ubi ſerenitas requiſita eius apparentias ſatis accurate rimandi non affulſit. Quæ vero in dicto Uraniburgo animadverſa ſunt, in adiuncta charta habes, unâque mei calculi Epilogiſmum, prout is ex novißima reſtitutione noſtra in motu Luminarium diductus eſt. Quin et huius Anni Eclipſin ⊙^{larem}, quæ 10 die Iulij contigit, ſimul aßignavi, tam quoad obſervationem quam calculum meum reformatum, ut cum veſtris in Italia conſiderationibus, ſive a prænominato Illuſtrißimo Cardinale, ſive te ipſo, aut quovis alio habitis, conferri queat. Erues ex hiſce quos nunc mitto numeris aliam rationem, eandemque exactiorem, quam prior erat, in curriculo Lunari eiuſque Phænomenis præfiniendis.

Non ignoravi, Tabulas illas Lunaris motus, quas a Nobili iuvene FRANCISCO TENGNAGLIO, meo domeſtico, accepiſti, immaturas eße; ideoque eas tunc temporis tibi mittere inconſultum duxi. Præterquam enim quod ob rerum mearum, cum e Dania diſcederem, conturbationem, ea quæ de ☾^{â} prius conceperam, diligentius examinare nequierim, ij etiam numeri, qui a quodam ſtudioſorum meorum, Typographo cuidam imperito Hamburgi, poſt meum diſceßum, commißi ſunt, admodum negligenter et depravate imprimebantur, ut omnem 2r iſtum laborem fruſtraneum habuerim. || Dum vero aliquantiſper in Saxonia poſtmodum ſubſiſto, clementißime id concedente Cæſarea Maieſtate (quæ me Pragam vocârat) donec peſtis in Bohemia remitteret, Tabulas illas Proſtaphæreſium Lunarium denuo ad ſcrupula ſecunda diligentißime ſupputari feci; ubi non ſaltem ille, de quo tu mones, ſed et alij errores, negligentia tam ſupputatoris, quam Typographi prius commißi, ſatis mihi patuerunt. Sed cum ne ſic quidem apparentiæ Lunares hinc derivatæ cæleſti normæ tam præciſe congruerant, prout deſiderabam, aliam inivi rationem, et nactus melius hîc in Bohemia otium, tam Hypotheſin Lunaris motus, quam ei ſuper-

ſtructos numeros denuo redintegravi, omniaque huc facientia nunc prælo adorno. Quæ ubi Typis abſoluta, et Progymnaſmatum Aſtronomicorum e noſtris Tomo primo debito loco inſerta fuerint, te eorundem, unâ cum toto libro, qui Solaris quoque motionis normam expedit, et millenas circiter fixas ſtellas accurate emendat, reddam participem. Interea hanc intervenientem morulam candide accipe. Licet autem Tabulæ illæ priores, Lunam concernentes, non exactæ fuerint, nec mihi ipſi ſuffecerint, tantam tamen deviationem, quantam tu in ſupputatione trium exemplorum, quæ in Epiſtolis Aſtronomicis reperiuntur, inducere videris, non admittunt, prout repetitio calculi iuxta noſtram ſententiam hiſce adiungenda (modo Legatus, opinione citius, non abierit) te edocebit. Ubi vero librum noſtrum Progymnaſmatum, cuius || memini, nactus fueris, omnia plenius et ſubtiliori indagine inde 2v
percipies. Tabulam illam primi mobilis univerſaliorem a te ad ſingula 10 minuta extenſam ſi per occaſionem mecum communicaveris, rem gratißimam præſtiteris. Ego vicißim nonnulla ex meis, ſive prælo abſoluta vel ſecus, data oportunitate, retribuam.

Ephemerides tuas 10 Annorum poſtremo emißas Francofurto accepi. Nihil in ijs, quod a prioribus differat, te correxiße animadverto, ſed ſolummodo quædam ſupplementi loco addidiße, mea equidem opinione non inutilia. Facis ſpem reliquorum 20 Annorum mox ſubſequentium, quos pariter obtinere averem.

ORIGANUM illum, Francofurtenſem ad Oderam Mathematicum et Ephemeridum ſupputatorem, in hiſce tuis ultimo editis necdum, prout meruit, redarguiſti, facturus fortaßis idipſum in reſiduo Ephemeridum Tomo. Mihi ſane eximia tua diligentia in hac pragmateiâ ſemper placuit, eamque alijs commendare non deſino. Et abhorret animus ab ijs, qui philautia quadam et arrogantia moti aliorum labores vel levißima de cauſa inſectantur, ſæpe nodum in ſcirpo quærentes; ſed accidit ijs, nec iniuria, quod Comicus aiebat: dicendo quæ †
volunt, rurſus quæ nollent audiunt. Quod Tabulas primi mobilis præſtantiores procul dubio, quam hactenus habuimus, mediteris, probo, utque Opus illud lucem publicam mature videat, exopto.

De Heliacis emerſionibus et occultationibus Planetarum et fixarum non eſt, quod admodum ſis ſollicitus. || Res hæc præciſione rata tractari 3r
nequit, eo quod limites illi multifariam varient, non ſaltem ratione diverſæ inclinationis ſphæræ, ſed prout aëris puritas in quovis Horizonte maior minorve fuerit. Nec eſt in omnibus ſtellis fixis primæ aut ſecundæ magnitudinis, par ratio, uti neque in cæteris: differentia etiam non minima incidit, prout ſtellæ in parallelo aliquo Horizontis, a loco ubi Sol oritur vel occidit, verſus meridiem aut ſeptentrionem, plus minuſve diſtiterint. Et Planetæ, prout viſibiles diametros, iuxta ☌ vel



☍ ⊙^{lis} occaſione variæ remotionis a Terra alterant, nonnihil etiam
diſcriminis pariunt, Latitudine ipſorum, quæ necdum ſatis comperta
eſt, etiam difficultatem non poſtremam ingerente, ut ob id hoc negoti-
um, per ſe etiam non admodum neceßarium, vix a quoquam iuſta
amußi extricari poße autumem. Unde etiam in eo hactenus curioſam
operam non locavi. Crepuſculorum terminos quoad ⊙^{lem} a veteribus
Aſtronomis conſtitutos, mediocriter bene ſe habere animadverti. Nam
⊙^{lem} iuxta æquinoctia arcum crepuſculi efficere part. 17½ quam pro-
xime, iam antea in Dania comperi. An id in Italia et alibi, ſub rectiore
ſphæra conſentiat, indeciſum relinquo. Ephemerides ⊙ huius anni,
aut nunc per filium, aut poſtmodum, ſi tam cito exemplum deſcribi
nequeat, obtinebis. Addidi 4 annorum Ephemerides ⊙ interea ſup-
putatas; ex his facile plures derivabis. Apogæum eius nunc verſatur
in P. 5 M. 40 ♋: et Eccentricitas eſt P. 2 M. 9 qualium ſemidiameter
3v Eccentrici 60. ‖ Longitudinem eius non ab inæquali Æquinoctiorum
præceßione, qualem COPERNICUS fruſtra admiſit, derivo, ſed ab
Æquinoctio ſimplici, quod proximis ſæculis inſenſibiliter variat, et
ſingulis nunc annis 51″ præciſe, qualis etiam eſt fixarum motus, ante-
vertit. Si vero Æquinoctiorum præceßio e Spica ♍ ad imitationem
COPERNICI nunc conſtituenda foret, eßet illa hoc ipſo anno part. 28
M. 16 exuperans Copernicæam numerationem ſexta Grad. parte, licet
prima ſtella ♈ ab Æquinoctio verno non elongetur ultra Gradus 27
M. 37. Quæ diſcrepantia hinc originem trahit, quod COPERNICUS
intervallum longitudinis Spicæ et primæ ♈ ex PTOLEMÆI abaco,
non ipſo cœlo (uti oportuit) perperam aßumpſerit, diſcrimine incidente
M. 39, quod eſt intolerabile. Verum de his et ſimilibus alias forte co-
pioſius tecum philoſophari licebit, ubi Opera mea Aſtronomica, quo-
rum editionem, quantum in me eſt, urgeo et accelero, lucem publicam
viderint. Plurima inibi invenies ab ijs, quæ hactenus in Aſtronomicis
tradita ſunt, non parum diſcrepantia.

Si quid in elevationibus Poli illic in Italia, cuius exactiorem Geo-
graphiam moliris, exploratum habes, aut (quod mallem) longitudini-
bus locorum rectius limitandis, id, quicquid eſt, mihi impertiaris ve-
lim. Conducerent huc ad longitudinis et Meridianorum differentias
appoſite determinandas Eclipſes Lunares, modo aliquas ibi diligenter
4r præteritis annis cœlitus denotatas in promptu haberemus. ‖ Quod ſi
non concedatur, attende diligenter per tua Inſtrumenta ad illam, quam
hic labens annus ſubminiſtrat, qui etiam in fine, ſtatim a brumali Solſti-
tio, quandam evidentem Solarem exhibebit, pariter apud vos ſtudioſe
obſervandam, cuius calculum non minus quam Lunarem e numeris
noſtris, ijs, quæ prius pollicitus ſum, ſubiungo, ut cum animadverſione
cœleſti iſthic conferri queat, et certitudo numerationis noſtræ explorari.

Inſtrumenta

Inſtrumenta mea omnia, quibus in Dania utebar, numero 28, modo hîc Pragæ, non longe ab Arce, in Cæſaris quadam magnifice extructa domo, diſpoſita ſunt. Quod colophonis loco indicare volui. Neque enim plura nunc ſcribere temporis penuria patitur. Id ſaltem peramanter te rogo, ut Filium meum, præſentium exhibitorem, tibi diligenter commendatum habeas, atque ut ea, quæ Bononiæ viſu digna ſunt, monſtrari cures, eumque pariter Romæ tuis amicis et familiaribus commendes. Iamque te, Excellentißime Domine MAGINE, quam optime et diutißime valere cupio. Dabantur Pragæ Bohæmorum Die 24 Ianuarij Anno 1601.

Excellentiæ tuæ
ſtudioſißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[Ex apographo in *Bibliotheca mathematica* ser. 3, vol. III p. 189 sq. (Lipsiæ 1902)] †

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FERDINANDO, MAGNO DUCI ETRURIÆ ETC. DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.



UM magni Perſarum Regis amplißima Legatio, quæ hîc aliquandiu apud Sacram Cæſaream Maieſtatem, Dominum meum Clementißimum, morata eſt, nunc in Italiam cogitet, et antequam Romam venerit, Serenißimam Celſitudinem Tuam in Etruria ſua ſalutare, et quæ in mandatis habet, eidem reverenter exponere conſtituerit, mei officij eße ratus ſum, Serenißimam Celſitudinem Tuam de TENGNAGLIO noſtro clementißime bene meritam hiſce literulis ſubmiße compellare, præſertim cum Legationis eius anteſignanum, Illuſtrißimum Dominum AMMONIUM SCHERLEJ, natione Anglum, filius meus natu maior, TYCHO nomine, comitetur. Eſt autem ille idem filius, quem antea in Serenißimæ Celſitudinis Veſtræ Aula aliquandiu ſervire exoptâram, niſi obſtacula quædam intervenißent, quæ attingere ſupervacaneum. Tradidißem illi Opera, quæ hactenus in Aſtronomicis elucubravi, ſecum adſportanda, prout Serenißima Celſitudo Veſtra aliquando clementißimis ſuis ad me literis expetijt, niſi quædam in ſingulis ferme adhuc deſiderarentur, typographico labore necdum abſoluto. Quod ubi effectum, Serenißimæ Celſitudinis Veſtræ Clementißimæ voluntati demiße et lubentißime obſecundabo.

Remoram

Remoram nonnullam, quo minus illa ad colophonem deducta ſint, iniecit migratio mea ex Arce prioris habitationis Bennatica huc Pragam, ſic clementißime mandante Cæſarea Maieſtate, quo propior ei factus, humillima mea ſervitia ipſius Maieſtati promptius præſtare poßem, allatis etiam huc omnibus Inſtrumentis Aſtronomicis, quibus antea in Dania Patria mea uſus ſum, quæ numero ſunt 28, ijſdemque in domo quadam ampla et magnifice, Italica architectura, non longe ab Arce iuxta Cæſaris hortum extructa, ordine diſpoſitis, donec in locum quendam uſui eorum aptiorem, a Cæſarea Maieſtate clementißime deputatum, tranſferantur. Quod et brevius futurum ſpero. Idque Serenißimæ Celſitudini Veſtræ debita ſubmißione (ſiquidem eam benignißime ſtudijs meis favere compertum habeam) indicandum duxi. Pluribus vero eam gravioribus intentam hac mea interpellatione remorari nec volo nec decet. Quare nunc finem facio, id ſolummodo addens et humillime rogans, ut Serenißima Celſitudo Veſtra prædictum filium meum ſibi commendatum habere non dedignetur, Deus Opt. Max. Serenißimam Celſitudinem Veſtram Reipublicæ emolumento quam diutißime ſervet florentem et incolumem. Praga die 28 Ianuarij Anno 1601.

Serenißimæ Celſitudini Veſtræ
ſubmiße addictißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[Ex apographo in Io. Ant. Magini *Tabulis Primi Mobilis* (Venetiis 1604)]

93ᵛ

NOBILITATE PERILLUSTRI ET ERUDITIONE PRÆSTANTISSIMO VIRO, D. TYCHONI BRAHE DANO, DOMINO DE KNUDSTRUP, ET ARCIS URANIBURG IN INSULA HELLESPONTI DANICI HUÆNA FUNDATORI.



UM abs te nihil ad nos allatum ſit poſt eas litteras, quas ad me ſcriptas D. IOANNI FRANCISCO SAGREDO Patritio Veneto commendaſti, ut ad me perferendas curaret, quibus ego et ſtatim reſpondi diligenter, eiuſdem opera uſus, ut ad te tuto tranſmitteretur, ſuſpicari cœpi ſuboffenſum eße te, quod ego in tua cauſa procuranda lentior expectatione et voluntate tua fuißem. Sed, mi TYCHO, illud te reputare cum animo tuo velim, quæ non in noſtra, ſed in aliorum manu ſunt ſita, ea non tam cito confici poße: his accedit occupatio domeſtica; ſolus ſum meæ familiæ moderator, quam in officio continere, cui

cui opportuna ac neceßaria providere neceße eſt, ita, quod tempus aut ſtudijs, aut amicorum negocijs obeundis dicatum fuit, id invito mihi domeſticæ curæ eripiunt. Ac dum quidem ſtudia in ſcholis publice exercentur, et tum mihi et publice et privatim auditoribus ſtudioſiſque meis opera danda eſt; cum autem illa intermittuntur, ne tum quidem ocioſo mihi eße licet, ultimis enim elapſis duobus annis a Serenißimo Duce Mantuæ ſum accerſitus, ut per vacationum dies, Principibus ſuis filijs in Mathematica facultate inſtruendis vacarem. Neque vero ſufficere ille ſibi duxit omne iſtud æſtivum tempus atque autumnale, quo ſolemus a publicis lectionibus feriari; ſed et hoc, quod ad Quadrageſimam uſque ab ineunte fere Ianuario nobis vacuum datur, oportet me ab eodem accerſitum, || magno meo incommodo, Mantuæ commorari. 94r
Cum igitur ad Aulam Imperatoriam ab ipſo Serenißimo Duce ſit deſtinatus Rerum ſuarum Procurator, Nobilißimus Comes LÆLIUS ARIVABENUS, percommodum mihi viſum eſt, has ad te litteras ab eo perferendas mittere.

Quod itaque ad præclarum tuum illud de Reſtitutionibus cæleſtium motuum opus ſpectat, vellem equidem incepiße fructum aliquem ex eo percipere. Solum enim habui cathalogum ſtellarum inerrantium, qui mihi pro theſauro eſt, itemque Tabulam illam motus Lunaris; putabamque poße me primo quoque tempore habere a te motum Solis correctum, itemque Motus Lunaris complementum, ſed, ut video, fruſtra putabam. Dubitationes etiam mihi ſeſe obijcientes in hac Lunari tua Tabula, cuius ſupputationes ad unguem congruere tuis obſervationibus non perſpicio, dilui abs te volebam, docerique præterea de arcubus viſionum, ſtellarum tum errantium, tum inerrantium in eum uſum, de quo ad te perſcripſi. Adhæc operam meam ultro obtuli in ſupputandis æquationum Tabulis, neglectis ſcrupulis Proportionalibus, Argumenti æquationibus et exceßibus, iuxta novas meas inventiones, quæ ab ijs omnibus, a quibus perſpectæ ſunt, utilißimæ ac nobilißimæ iudicantur, cum earum ope omnes ſupputationum labores facile compendioſiores fiant. Habeo et alias quaſdam vias, ad eundem ſcopum attingendum planiores et compendioſiores, quas non tam cito alijs communicandas eße iuſtis de cauſis decrevi. Quæ ne tu ſomnia eße putes, mitto ad te Tabulam tuam Lunarem a me novo modo elaboratam, unâ cum eius uſu, quibus compendijs perſpectis tu videris, num tum diligentia tum inventione PTOLEMÆUM, COPERNICUM et REINOLDUM etiam poſt me longe reliquerim. Quid enim mea Proſtaphæreſεων Planetarum Generali Tabula, quæ omnibus Planetis communis eſt, neque viginti paginas excedit, compendioſius excogitari poterit? an non plurimi libentius et maiori compendio per eam, quam per Ephemerides Planetarum computum ſubducturi ſunt? Neque

que vero tu mireris, velim, ſi denuo a me ſupputatas videris centri variationes in hac tua Tabula, et Anomaliæ æquationes; hoc enim, ut nullo fere mihi labori fuit, ita magna cum animi mei voluptate feci, quæ quidem Anomaliæ æquatio prodit ex additione variationis centri et æquationis ſecundi Epicicli. Æquationes tamen argumenti, ſeu maioris Epicicli, cum adhærente eis exceßu denuo ſupputare nolui, licet cognovißem Apogæas æquationes omnium minimas, quæ in novilunijs et plenilunijs contingunt, colligendas eße, manente Luna in puncto G ſecundi Epicicli, proxima puncto D, dum centrum Eccentrici occupat punctum B parvi circelli, atque etiam Æquationes omnium maximas, quæ in Quadraturis accidunt, definiendas eße, manente Luna in F, et centro Eccentrici in H, Perigæo parvi circelli, a quibus poſtea eliciendus eßet exceßus per ſubductionem ſingularum æquationum Apogæarum a ſingulis his Perigæi æquationibus. Nolui, inquam, eas de integro elaborare, cum eandem viam laborioſam, ne dicam parum accuratam, præſertim in ♂, ♀ et ☿, amplius ingredi non ſatis e re noſtra iudicarem. Si itaque idoneum me putas, qui in aliorum Planetarum Tabulis, iuxta has meas inventiones, ulli tibi uſui eße poßim, nihil dubites meam implorare operam, nam hac in re, ut quod res eſt fatear, multo me habebis promptiorem, quam in altera illa mihi tradita Provincia, cuius magna pars in aliorum manu eſt, ut abſque aliorum opera nihil præſtare valeamus, qua in his ſupputationibus nequaquam egeo. Illud etiam addere volo, meas has rationes promptius et commodius ſubſervituras eße variationibus Eccentricitatum, quam uſitatam, nam poßumus definire numerum multiplicandum ſive numerum myſticum ei adiacentem, ad unum ſitum, notando differentiam, quæ pro altero ſitu extremo conſurgit, ut ex ea haberi poßit congruus numerus multiplicandus, vel numerus myſticus ad optatum Eccentricitatis ſitum. Sed pluribus alias, nunc vale, eruditißime vir, meque amantißimum tui, ac præter omnes ſtudioſißimum obſervantißimumque redamare non graveris.

Datæ Mantuæ, in Aula Ducali, die 20 Februarij, anno 1601.

Perilluſtri Dominationi tuæ addictißimus
IOANNES ANTONIUS MAGINUS
Patavinus.

51 [E codice

[E codice Basileensi G I 23] †

GENEROSO ET MAGNIFICO VIRO, 81v

DOMINO TYCHONI BRAHEO, MATHEMATICORUM FACILE PRINCIPI, CÆSAREÆ MAIESTATIS ASTRONOMO, PATRONO ET DOMINO COLENDO.

PRAG IN BEHEMEN.

MAGNIFICE ET NOBILISSIME DOMINE, PATRONE COLENDE. 80r



ANDEM ſub BACCHI ſacra ad nos diu expectatus advenit Magnificus Dominus D. GODELMANNUS. Is mihi de te renunciavit, quod accepißes carmen, quod de Mathematicis exorſus ſum, et ad te ſub natalem CHRISTI miſi. Gratum id mihi fuit. Addidit, ſi ſaltem in curſu progrederer, te laborem et artem meam Cæſareæ Maieſtati commendaturum. Id quoque gratum. Verum interim mirabar, cum ego permulta mihi a te ſuppeditari petierim, cur non aut omnia illa, aut quædam, quæ tibi nota ſunt, ſimul per D. GODELMANNUM unâ cum literis tuis ad me miſeris. Hæc enim potißima cauſa erat, cur iſtud fragmentum vel potius bonam partem ad te miſerim, ac ſignificavi ſimul, me ante progredi non poße, quam reſponſum a te accepißem. Rogo igitur adhuc etiam atque etiam, vir magnifice et generoſe, ut certa data occaſione literas tuas ad me mittas unâ cum illis, quæ petij, quantum in te eſt. Tandiu enim adhæreſcere cogor. Scio, quantum me ames; igitur etiam hîc tibi curæ ſim. Plura iam non ſcribo propter imbecillem plane valetudinem. Bene et feliciter T. M. valeat. Datæ Roſtochij 8 Martij ſtylo veteri Anno 1601.

T. Magnif.
reverenter colens
MARTINUS BRASCHIUS.

[E codice

† [E codice Basileensi G I 23]

82v MAGNIFICO ET NOBILISSIMO VIRO,
D. TICHONI BRAHE, MATHEMATICO S. C. MAIESTATIS EXCELLENTISSIMO, AMICO ET PATRONO PLURIMUM OBSERVANDO.

82r MAGNIFICE AC NOBILISSIME DOMINE TICHO, AMICE HONORANDE.

S.


UM certa per magnificum Dominum IOANNEM GEORGIUM GODELMANNUM mihi ſcribendi occaſio daretur, plenius ſcribendum duxi. Vivo, ut poßum, quando iniquitas temporis et fortunæ maiora ſpectare non ſinit. Calamitas belli Carolini oppreßit meam patriam. Nam Dux CAROLUS totam fere occupavit Livoniam. Sed qua felicitate, eventus docebit. Noviſti illius tyranni dictum: aliena appetendo propria amiſit. Rex ſtatuſque Poloniæ de bello per triennium magnis ſumptibus gerendo in Comitijs convenerunt. Funeſta ergo omnia in mea patria ſunt. Quanta interim animi virtute et conſtantia opus ſit mihi, facile intelligis, qui et bonis omnibus et maximis ſumptibus propterea factis excidi. Spem tamen reliquam in DEI auxilio fixam habeo, fore ut poſtquam nubila et turbulenta iſta tempora tranſierunt, pax florentißima et quies nobis reſtituatur. Interim tu me benevolentia et fide proſequaris ſingulari velim.

Quæ ad D. CHYTRÆUM de tuæ vitæ hiſtoria ſcripſiſti, heredes eius mihi tradiderunt, quæ plene meis hiſtoricis meditationibus inſeram, nec alia tui ornandi argumenta omittam. Nam te virum bonum et vere ſyncerum cognovi, quæ virtutes profecto pulcherrimam iſtam artem tuam, in qua præcellis, elegantißime illuminant. Quod vero tardius liber meus hiſtoriarum prodit, multa in cauſa ſunt, quia et initium cuiuſque rei grave eſt, et veritatem ſequi in omnibus hoc ſeculo ſcis quam ſit periculoſum. Deinde alijs adhuc occupor elaborandis. Mox tamen lucem videbunt, ubi meo genio ita viſum fuerit. Vale interim, vir optime, et magnam ſalutem tuos domeſticos meo nomine imperti. Datæ Roſtochio 10 die Martij A. 1601.

Tui amantiß.
CHRISTOPH. STURCIUS.

Orationem de SIGIS. AUG. B. M. a me habitam adiungo.

[E codice Basileensi G I 23] †

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VIRO, 84v
DOMINO TYCHONI BRAHEN HÆREDITARIO IN KNUDTSTRUP INCLYTI REGNI DANIÆ, ASTRONOMO EXCELLENTISSIMO, IN S. CÆSAREÆ MAIESTATIS AULA PRAGENSI, DOMINO ET AMICO SUO VETERI, PLURIMUM COLENDO.

PRAGAM.

S. P. 83r


OBILISSIME et clariß. vir, Domine et amice vetus plurimumque colende. Reddidit mihi literas tuas vir clarißimus D. IOH. GEORGIUS GODELMANNUS, amicus meus ſingularis, cuius conſuetudine iucundißima per dies complures uſi ſumus familiariter. Huic confectis feliciter negocijs ſuis Dreſdam redituro, ducente ac fortunante Deo, 600 illos thaleros a Quæſtore iuniorum Principum tuo nomine acceptos, et hactenus apud me ſervatos, numeravi, recepta apocha eius. Commutavi autem thaleros Belgicos, quorum maior copia fuit, in alios imperiales, præter paucos. Aurum, in quod eos commutarem, in hiſce locis vix reperitur amplius, cum maioris ſit valoris in inferiori et ſuperiori Germania. Alios ſexcentos ad inſtans Paſcha tibi debitos Quæſtor ſolvere nunc non potuit, licet compellatus eo nomine a D. D. BORDINGO Cancellario, iam etiam Lubecenſium Conſule. Excuſat enim magnos ſumptus et expenſas ſuperiori Octobri in funus Ducis SIGISMUNDI AUGUSTI p. m. factas Suerini, quos expendere oportuit iuniores Principes tanquam proximos hæredes. Petit igitur brevis adhuc temporis dilationem ſibi concedi, et quamvis haberi pecunia iſta potuißet, tamen intellexi grave futurum fuiße D. GODELMANNO eam ſecum deferre. De ſumma capitali, quam etiam te repetere ſcribis, quid reſponderit, nondum comperi. Inquiram vero diligentius, anne Lubecæ vel Hamburgi mercatores ſint, qui Pragæ negocientur, ut per hos pecuniæ Pragam tranßcribi poßint; idem tu inquiras inter Pragenſes mercatores. Mea ſane officia et ſtudia tibi non deerunt.

Literas ad D. CRAGIUM in Daniam mittendas non vidi. Accepi vero alias tuis adiunctas et cuidam CASPARO AGRICOLÆ, Muſico regio, inſcriptas, quas ſoluta glacie et navigatione repetita, quæ aſperitate hyemis diu intermißa fuit, Hafniam tranſmittam. M. BRASCHIO, qui minus recte aliquamdiu valuit, quod iußiſti, indicavi. Amiſimus iterum nuper || virum et Iureconſultum præſtantißimum D. HENRI- 83v
CUM CAMERARIUM, qui cum patriæ ſuæ Brunſuigæ in dißidio cum

Principe

Principe eius componendo inſervijßet, et in itinere non procul Soltquella Marchiæ oppido abeßet, ſubita cordis compreßione extinctus eſt die 11 Februarij. Funus huc advectum 27 eiuſdem terræ mandatum eſt honorifice. Hemiplecticus etiam eſt D. MARCUS LUSCOVIUS Iuriſcoß. vir excellens et nunc facultatis ſenior. Ita nos viſitat Dominus, ut appareat magnas imminere in Academia noſtra mutationes.

CAROLUS Sueciæ Dux magna celeritate et ſucceßu Livoniam occupat, et quamvis exiguam nuper cladem accepit, tamen ab altera parte Dörptam urbem in finibus Livoniæ et Moſcoviæ oportuno loco ſitam vi occupavit, ac pleraque iam loca munita tenet, præter Rigam urbem primariam, cuius tamen vicinas arces ita occupat, ut commeatu eos terra marique intercludere poßit, niſi auxilia maturius a Rege Poloniæ ſubmittantur. Et hæc omnia hyeme maxima ex parte egit. Habet confœderatum ſibi Moſcovum, et quod mirum eſt, Suecia interim tota quieſcit, et rerum neceßariarum copia abundat. Poloni dicuntur in proximis regni Comitijs tres hoſtes proclamaße, Suecum, Moſcovum et Walachum, et in tres annos magnam pecuniæ ſummam ad bella hæc Regi promiſiße. Eventum reget Deus pro ſuo beneplacito, non pro hominum arbitrio aut potentia. In his regionibus, Dei beneficio, tranquillitas eſt, et optimus Princeps noſter, Dux ULRICUS, recte adhuc valet. Ego tibi tuiſque omnibus valetudinem proſperam diuturnamque opto. Salutant te filij mei IOHANNES et LUCAS, qui Theologiam iam profitetur hîc publice, et ſponſus eſt, reverenter. Ex D. GODELMANNO Pragam aliquando veniente copioſius de ſtatu noſtro audies. Roſtochij die 11 Martij Anno 1601.

Nobil. et Excell. T.
ſtudioſiß.
LUCAS BACMEISTERUS D. ||

84r M. CHRISTIANUS LONGICAMPIANUS mathematicus paulo poſt reditum ſuum Praga in Daniam traiecit, ubi adhuc vivit, neſcio tamen quo in loco. Amo hominem, et optaßem nobiſcum eum manere potuiße propter ſtudia mathematica, quæ fere iam hîc iacent. Iterum vale.

[E codice

[E codice Basileensi G I 23] †

GENEROSO MAGNIFICO ET NOBILISSIMO VIRO DOMINO TYCHONI BRAHE, EQUITI DANO, S. CÆS. MAIESTATIS CONSILIARIO PRÆCIPUO ET MATHEMATICO LONGE CELEBERRIMO, DOMINO AC PATRONO OBSERVANDO. 86v

PRAGA.

S. 85r



RECTE perlatas eße meas ad te literas, generoſe et nobilißime vir, index ſcida ſuperiore Decembri me docuit. Volui, uti ſuggeſtum fuerat, rem denuo et ſtatim prehendere; ſed avocarunt morbus uxoris, negotia clientum, ſexcenta alia. Nunc paullo expeditior, et amanter a vidua illa CUNONIS filia invitatus, libenter ei hoc operæ dare volui, ut, quod bono etiam publico futurum providerem, ſollicitatoris partes ſuſciperem, quo opus illud horologicum, multis, magnis ac diuturnis laboribus ac vigilijs elucubratum ac perfectum, lucem tandem ſub tuo, aut cuiuſcunque videatur nomine, aſpicere poßit. Superioribus addo hoc quoque, eße apud eandem viduam opus, ſecundum præcepta iſta inchoatum, atque adeo ſemicompletum, quod morte præventus abſolvere auctor non potuit. Qui librum emat paullo liberalius, facile unâ idipſum quoque impetret; cui ſummam manum peritus in arte et libro iſto inſtructus ſine negotio imponat. ‖ Sumptum 85v credo facile libenterque ferat pietate, ſapientia, virtute et meritis in rempub. maximus, Divus Cæſar RUDOLPHUS, mathematicis diſciplinis ipſe quoque et ſupra conditionem principum excultus, quem non ALPHONSUM alterum, ſed et illo potiorem non immerito prædicamus. Neque dubium mihi eſt, quin monitu ſuggeſtuque tuo res procedat melius: quod ut facias, ſive viduæ illius pauperculæ nomine, ſive boni publici reſpectu, ſive quod hanc operam haud difficulter te præſtiturum virtus et humanitas mihi tua ſpondet, quam poßum officioſe ſubmißeque rogo. Qua de re literas tuas, vel ſi ijs non vacat, ſaltem nutum tuum expecto. Si quid ad me velis, et occaſio alia non ſit, Bratiſlaviam ad clarißimum Dn. MONAVIUM mittere poßis, qui, qua eſt humanitate et virtute, id porro haud gravate curet. Vale, vir generoſe et optime, meque et ſtudia mea, quibus ipſis quoque MÆCENATE opus ſit, apud Sacram ‖ Cæſaream Maieſtatem, cui vitam ac felicita- 86r tem perpetuam precor, tibi commendata habe. Vale iterum. Francofurto cis Viadrum a. d. XII Martij Anno MDCI.

Generoſ[tis] ac magnif. t. obſervantiß.
BALTHASAR CAMINÆUS I. V. D. et profeßor publ.

[E codice

† [E codice Basileensi G I 23]

88v MAGNIFICO ET GENEROSO DOMINO D. TYCHONI BRAHÆ, DOMINO HÆREDITARIO IN KNUSTORPFF ET HEERESWART, CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO DIGNISSIMO, AMICO SUO ET DOMINO SUMMA OBSERVANTIA COLENDO.

87r S. P.



CCASIONE oblata intermittere non debui, quin aliquid literarum ad te, Magnifice Dom. TYCHO, darem, et quidem per eundem, quem ipſe præſentem aliquoties cupiviſti, quo etiam hiſce in locis exercitatiorem ſphagirum neſcimus. Novißimæ tuæ literæ ſunt quas miſiſti per NICOLAUM MAUL quondam domeſticum tuum, in quibus etiam quæ ad grammatophorum expedienda præcepiſti exequutus ſum.

Quoad Politicum ſtatum omnia apud nos ſunt tranquilla, nihilominus tamen multæ gliſcunt inter magnos dominos, principes et reges ſimultates, quæ bellorum ſemina et initia eße ſolent. Inter CAROLUM Sueciæ nunc protectorem et urbem Lubecam quomodo convenit, te non latet, quod negocium nondum eſt conſopitum, licet Lubecenſes multum in eo laboraverint. Comitia Polonica nuper Warſoviæ, quo et Brandenburgicus Elector, adiunctis in adſiſtentiam Regis Daniæ, noſtri principis et nonnullorum aliorum, petitum ſucceßionem in Feudum Brutenicum, legatos miſerat, celebrabantur, quod denegatum illi eße intelligo, niſi regem Poloniæ, Suecia nunc privatum, poſtliminum regem fieri opitulentur. In dictis etiam Comitijs Poloni hoſtes ſuos, ut fertur, declararunt, CAROLUM Sueciæ, qui iam dudum bellum in
87v Livonia Polonis intulit, et eouſque progreßus ‖ eſt in Livonia, ut Polonis ibidem nihil reſtet præter Rigam. Et meo quidem iudicio hoc bellum non ſolum ad CAROLUM pertinere videtur, niſi temeritatis ſibi hocipſo vitium attrahat. Alter hoſtis Polonorum dictus eſt Magnus dux Moſcoviæ, tertius vero Walachiæ Waiwoda. Utrum tot hoſtibus Poloni ſimul ſtare poterint, eventus docebit. In Belgico magnus eſt apparatus iterum belli præfixi: ALBERTUS dux Auſtriæ exercitum ducet in Hollandiam. Hollandici ſtatus non ſegnius vim eius averſari moliuntur. Æſtas futura abſque Tragedijs magnis non præteribit, uti præſens eſt forma rerum. Rex Portugaliæ SEBASTIANUS in conflictu Africano amißus, nunc redivivus, ab Hiſpano non agnoſcitur, a ſuis vero affectatur, qui exutus regno apud Regem Galliæ hoſpitio fruitur. Proh deum, quanta Metamorphoſis iſta! EXSECCIUS Comes

Angliæ

Angliæ et ſucceßor Reginæ in regno hactenus muſcitatus, ante biennium a Regina in Irlandiam cum Claße Nautica mißus, ob rem non ſatis fideliter, ut accuſatur, geſtam, in Parlamento damnatus, et captivus de vita periclitatur. In Patria tua Regno Daniæ cura et expenſis Regis nonnulla fortalitia et Caſtella, ut vocant, exſtruuntur, nec non in Gothlandia idem fit. Ungarica a nobis non expectabis, quin potius quid rerum ibi agitur, a te perdiſcere cupimus. Hæc per occaſionem ||
ad te pervenire volui. Vale, ut bene etiam ſit tuis. Datæ Roſtochij 21 88r
Martij anni 1601.

T. Mag. obſervantiß.
CHRISTOPHO. HENNIOCHUS Med.

Dux Brunſuiccenſis civitati denuo commeatum intercipit, nec ulla ratione placabilis dicitur, inter quos, mißis et datis a Cæſarea Maieſtate commißarijs, nuper fruſtra de pace tractatum eße, notum eſt.

[Ex apographo in Archivo Regni Daniæ: Diplomatario Langebekii]

NON SALTEM GENERIS NOBILITATE SED 2v
ETIAM INSIGNI DOCTRINA ILLUSTRI VIRO OLIGERO ROSENKRANTZIO, DOMINO DE ROSENHOLM, AMICO, CONSANGVINEO ET AFFINI SUO INTEGERRIMO.



RÆPROPERUS Patruelis tui hinc ad vos diſceßus, ex- 1r
optatißime mi OLIGERE, fecit, ut tibi, prout alias voluißem, tunc non ſcripſerim; concredidi nihilominus illi nonnulla oretenus tibi ſecreto referenda, quod et præſtitum eße, modo tecum fuit, nullus dubito. Cæterum nunc nactus commodiorem oportunitatem, has ſubſequi volui. Neque tamen eorum, quæ ille viva voce (uti mihi perſuadeo) tibi expoſuit, quidpiam hîc repetam. Interceßionem Cæſaream pro illo ſæpe et diligenter, interea dum abfuit, urſi, nec quidem unquam mihi denegata eſt a Domino CORRADUCIO, Vicecancellario, ſed cum tam multa ſimul inciderint, gravißime Rempublicam concernentia, ſemper excuſavit ſe, quod non haberet oportunitatem eiuſcemodi particularia proponendi, antequam principaliora et magni momenti negotia expedita eßent, et ſancte affirmavit, nulla ſua negligentia, ſed neceßitate ſic efflagitante, id retardari. Rogavit itaque, ut hanc dilationem patienter ferrem, ſe nihilominus omnia in meliori forma effectui daturum. Nunc vero ante biduum mihi referri fecit, impetratam iam eße interceßionem illam, atque in ſecreto conſilio, ut ſcribatur, concluſum. Quare ſe confeſtim, ut concipiatur et ad mundum exaretur, effecturum;

effectūrum; unde adhuc pauculos dies exſpectare oportebit, antequam voti compotes reddemur. Quin et poſtea aliquot interlabi poterunt, priuſquam Cæſarea Mai^{tas} ſua manu ſubſcripſerit, adeo lente pro-
1v cedunt hîc omnia, præſertim hoc tempore, ob periculum a || Turca imminens, propter occupatum Caniſium et denuo ferme amißam Tranſylvaniam. In me tamen nulla erit mora, quin, ut negotium hoc mature abſolvatur, operam dem; poſtea tibi exemplum mittam, originale autem mecum reſervabo, donec FRIDERICUS redierit, ſic enim fieri voluit, ſi res nimis diu protraherentur.

Habito nunc in ædibus a priore Procancellario Domino IACOBO CURTIO Laudatæ Mem. exſtructis et a viduâ relictâ liberalitate Cæſareæ Mai^{tis} pro 10000 Ioachimicis in meos uſus coëmtis, quæ tamen duplo pluris exædificatori conſtiterunt. Accepique hîc exoptatam commoditatem pro ſtudijs, obſervationibus et domeſticis rebus debite adminiſtrandis; amœnißimus hortus ædes undique circumdat, Muro circumſeptus. Conſtitui vero, favente Numine, in his ipſis ædibus Nuptias filiæ ELIZABETÆ cum Nobili viro FRANCISCO TEGNAGLIO, quem noſti, celebrare aliquo oportuno tempore inter Paſcha et Penteceſten; quo nomine ad præcipuos quoſdam et maxime ſingulares in Dania et Holſatia amicos Literas Nuptiales dedi, non quod eos interfuturos ſperem, ſed ſaltem ut conſcij ſint. Aliquos tamen ex intimis propriâ Perſonâ adventuros, aut ſaltem quempiam ſuo loco mißuros confido. Cumque te inter ſinceriores et integerrimos præcipuo loco reputem, quibus poßum verbis, te rogatum velim, ut aßumpta coniuge tuâ charißimâ, meâ ex fratre Nepte, tuâ præſentiâ hanc ſolennitatem augere et condecorare non degraveris. Iter non admodum longinquum,
2r viæ tunc erunt || faciles, et ſumptus non multum excedent domeſticos. Licebit ſic in via veteres tuos amicos Wittebergenſes iucunde reviſere, et hîc aulam Imperatoriam variaque viſu digna cognoſcere, quæ tibi voluptati et forte etiam aliquando commodo erunt. Adſunt inſuper in propinquo binæ thermæ, quas ſi ſanitatis caußa ingredi lubuerit, minimo impendio id unâ fieri poterit. Interea ſobolem tenellulam facile et tuto alicui Heroinæ e conſangvineis commendabis. Adveniet etiam (uti ſpero) Soror mea SOPHIA, et ubi adveneritis, tum demum diem certum nuptialem præfiniam, ut et hîc Illuſtres et præcipui viri, amici et noti invitentur. Rogavi FRIDERICUM, ut ſerio tecum hac de re ageret, daretque operam, quo perſuaderet, licet ego de tua in me fide et conſtantiâ nihil addubitem. Quare pluribus id contendere nolo. Sed te avide et certo expecto, utque queas nobis ſalvus adeßе. Vale, ſaluta coniugem et matrem tuam ex me officioſißime. Datum Pragæ in novo Uraniburgo Cæſareo die 5. Aprilis Anno 1601, Stylo novo.

Tuus TYCHO BRAHE.

Filius meus TYCHO abijt cum Legatis Perſicis per Italiam, Galliam et Hiſpaniam tranſiturus, munitus ſalvo conductu Imperatoris. Habes hîc Effigies duorum præcipuorum ex Legatis, et Cæſaris reſponſum.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD MARTINUM
BRASCHIUM.



NULLA tui oblivione nec mea negligentia accidit, erudi- 169r
tißime Domine BRASCHI, quod Mag. Dominus GÖ-
DELLMANNUS, Legatum hîc agens Saxonicum, ſine
meo ad te reſponſo Roſtochium venerit. Iam enim illud
inchoatum erat, ſed is mea opinione citius abijt, ut vix
eas, quæ magni momenti erant, et pecunias meas iſtic
hærentes concernebant, complere licuerit, ideoque oretenus illi quæ-
dam dixi tibi inſinuanda, quæ etiam literis ad Dominum D. BACK-
MEISTERUM, quas tum præ manibus habui, quatenus tempus tulit,
ſubiunxi. Mitto autem nunc ea, quæ per quendam meorum de Aſtro-
nomiæ hiſtoria e quodam libro deſcripta ſunt. Plura invenies ſub ini-
tium Aſtronomici Cæſarei APPIANI, tum quoque nomina quorun-
dam Aſtronomorum, in priori parte tabularum primi mobilis REIN-
HOLDI, quemadmodum etiam in Sphæra PEUCERI, quod tuæ in-
duſtriæ relinquo, mihi enim non ſuppetit otium talia inquirendi. Car-
men quomodo diſponendum et concinnandum, tuæ diſcretioni et venæ
Poëticæ liberum relinquo. Principium paulo aliter ordinandum cen-
ſerem, nec volo, ut mei in primis carminibus fiat ulla mentio, ſed omnia
conveniente methodo per mundi ætates ſucceßive deducantur ad hunc
Cæſarem || RUDOLPHUM Secundum, poſtea, ſi tibi ſic placuerit, po- 169v
teris migrationem meam e Dania, quo[d] ad hoc ſtudium ab Augu-
ſtißimo Imperatore huc clementißime vocatus ſim, paucis attingere,
ſicque in Cæſaris laudem, hoc etiam nomine, diſcurrere, ita tamen ut
optimum illum Regem FRIDERICUM Secundum, laudatißimæ me-
moriæ, qui hæc ſtudia in ſuo regno, quoad vixit, liberaliter fovit, ſub
quo etiam Uraniburgum exædificatum eſt, non prætereas. Si quid aliud
inciderit, de quo te monendum duxerim, in quadam charta adiungam,
neque enim nunc tantum ſuppetit temporis, ut carmen tuum relegere
atque omnes circumſtantias diſpicere valeam. Ubi integre tuas con-
ceptiones ad colophonem deduxeris, mitte mihi exemplar, antequam
imprimantur, et ſi liberum reliqueris, meam interponere ſententiam,
ingenue id faciam, daboque poſtea operam, quantum in me eſt, ut Cæ-
ſarea Mtas liberalem vicißim erga te clementer præbe[at]. Plura ad-
derem,

derem, modo aliæ interpellationes aliaque negotia id paterentur. Tu itaque, mi optime BRASCHI, rectius quam nuper vale, et plenio[res] per meliorem oportunitatem a me expecta. Dabantur Pragæ ex ædibus olim Cæſaris, nunc novo Uraniburgo Cæſareo 14 Aprilis Anno 1601. ‖

170r HISTORIA ILLUSTRIUM ASTRONOMORUM INDE A MUNDI EXORDIO AD NOSTRUM ÆVUM HEROICO CARMINE CONCINNATA.

NON placet in primo carmine *radioque potentes,* nam licet apud † VIRGILIUM ſit *Deſcripſit radio,* tamen hoc verbum *radius* non habet hîc emphaſin in ipſo carminis frontiſpicio, ſed potius alicubi in medio. Videtur etiam principium nimis humile, quare ſic mallem:

Artifices ſummos Divina ſcientia cœli
Quos celebres genuit, quæque incrementa Matheſis
Docta habuit, pedetentim Mundi ab origine prima
Ætatem in noſtram, certis deducere faſtis
Mens amet et clauſos Heliconis inire receßus,
Arduum opus, atque alijs res intentata Poëtis,
Res precioſa licet et Muſis digna canoris etc.

vel in eandem ferme ſententiam per teipſum melius. Hæc ſaltem admonitionis cauſa aßignare lubuit, prout nunc in buccam venerunt.

Poſtea inferre, cur hoc potius Argumentum arripueris, quam alias res ludicras huius inferioris ſcenæ mundanæ, quales ſunt bella, victoriæ, triumphi, amores, Bucolica, et ſimilia a prioribus Poëtis ſæpe decantata, ſed potius ſublimia illa et præſtantiora, quæ varijs fluctua-
170v tionibus et vanitati non ita ſunt obnoxia, quæque in tanto cœtera ‖ illa dignitate antecellunt, quantum arduus æther declivis terræ ſuperat loca.

Huc addatur invocatio ad verum DEUM, totius cœli et univerſitatis creatorem, non Deaſtros licet fictitios, quos gentiles Poëtæ implorant,
† et tandem narratio exordium habeat ab ijs, quæ a MOISE primo capite Geneſeos de cœli et ſiderum creatione referuntur. Deinde ex IOSEPHO antiquitatum Iudaicarum ſcriptore, quod ADAM docuerit ſuos filios et nepotes Aſtrorum ſcientiam, et duabus columnis excitatis in Siria ab ijſdem, et de NOAH, quem BEROSUS ait aliqua etiam ex parte Diluvium prævidiße ex Aſtrorum diſpoſitione, et de ABRAHAMO, quod inſignis Aſtronomus et Geometra fuerit, atque artes Ægyptios docuerit, quodque ex ijs, quæ circa Solem, Lunam et Sidera, terraſque et maria apparent, cognoverit unum ſaltem eße DEUM boni autorem in Natura, quod prædictus habet IOSEPHUS, et quod ABRAM appel-

 latus

latus ſit, dum ex ſola Aſtrorum ſcientia claruit et DEUM hinc aliquatenus agnovit, poſtquam vero divinitus eſt plenius edoctus et illuminatus, ABRAHAM, ſic volente DEO, eſt dictus, ut PHILO Iudæus infert, quod etiam a MOISIS relatione non videtur alienum.

Deinceps poteris ordine recenſere, quæ [e] profanis etiam ſcriptoribus colligi poterunt, quorum etiam aliquam indicationem ſuppeditabit liber Domini HENRICI RANZOVIJ de Regibus et Principibus, qui † Aſtronomiam foverunt. Omnia autem ordine ſe ſequantur, || prout tempora 171r ætatum mundi requirunt, ſed decenti methodo, ut principaliora præcedant ea, quæ minus ad rem faciunt; et narretur etiam, quomodo Aſtronomia peregrinata ſit ex Siria et Meſopotamia in Ægyptum, hinc ad Chaldæos, Arabes, Æthiopes, Indos, ex Ægypto etiam veniße in Græciam, hinc in Italiam et Hiſpaniam ac Mauritaniam, poſtea in Galliam et Germaniam, atque ibi præcipua lumina, quæ in hac arte apud Germanos viguerunt, commemorare, uſque ad COPERNICUM et REINHOLDUM, et quod tandem in Daniam tranſfretârit, ubi regnante optimo Rege FRIDERICO Secundo quietem et portum aliquandiu invenit, exædificata arce Uraniburgo in Inſula celebris illius Porthmi Danici Huenna, et fabricatis magnis et idoneis Inſtrumentis, qualia non alibi reperiuntur, ubi etiam per 21 annos ſtrenue exercebatur, quamdiu idem Rex vixit, tum quoque in octennali interregno poſt ipſum. Verum cum ſequentibus annis firmam ſedem ibi habere nequierit, in Germaniam redijt, et in Holſatia feudoque Producis HENRICI RANZOVIJ aliquandiu quievit, et ibi laudare RANZOVIUM, tam ob hanc quam alias virtutes, et quod aliæ circumiacentes regiones, ut Gallia, Anglia et Batavia, interea eam ambiverint, ſed vocata ab Auguſtißimo Imperatore RUDOLPHO II Auſtriaco, in Bohemiam ad ipſum concedere prætulerit, ubi ab eodem munifice non ſine aliorum invidia ſuſtentata eſt, et primum de arce Bennatika, ubi per annuum ſpacium || manſit, poſtea de Praga, ubi eſt reſidentia Cæſaris et Regis 171v Bohemici, hiſque ædibus Curtianis in eos uſus liberaliter a Cæſare coemptis. Hoc etiam loco quædam de earundem ſtructore, Domino IACOBO CURTIO, priore Procancellario, inſerenda, ſiquidem is Matheſi et Aſtronomicis ſtudijs impenſe addictus fuerit, atque ea de cauſa haſce ædes in maxime ædito civitatis loco magnis impenſis exſtruxerit, quodque, dum adhuc in vivis eßet, mihi etiamnum in Dania commoranti inhabitandas obtulerit, ſi huc Pragam venire vellem, quod, vivente tunc Rege FRIDERICO, non concedebatur, et nunc poſt fata eiuſdem Domini CURTIJ non ſine numine et Divino proviſu ex liberalitate Cæſaris RUDOLPHI eaſdem ædes mihi ceßiße, pro Aſtronomia hîc excolenda. Poſtmodum elogia domus Auſtriacæ ſubiungere, atque ad hunc RUDOLPHUM II omnia deducere, atque in eius excurrere

laudes

laudes eaſque ampliare, atque victorias et præclare geſta commemorare, inter quæ hoc quoque non poſtremum, quod Aſtronomiam foveat, qua in re non cedat ALPHONSO Regi, cuius fama per Tabulas et liberalitatem in eas conſtruendas cœlo coæva durabit, cumque id numeri ipſi cœlo non per omnia correſpondentes tribuere potuerint, quid tibi, Cæſar Auſtriace, ubi Tabulæ Rudolpheæ ſub auſpicijs tuis cœleſtes motus exactißime æmulantes lucem viderint? etc.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD LUCAM BACMEISTERUM.

174r CLARISSIME et præſtantißime Vir, Domine et Amice honorande, quod per Clarißimum Virum Dn. D. IOH. GEORG. GÖDELMANNUM, communem noſtrum amicum, ſexcentos illos thaleros a quæſtore iuniorum Principum loco intereße mihi debitos tranſmiſeris, ijs qui Belgici erant in imperiales maiore ex parte commutatis, recte a te factum eſt, eoque nomine plurimas tibi habeo gratias. Quod autem idem quæſtor reliquos 600, qui mihi nunc debentur, tunc numerare noluerit, non equidem miror, utut non iniquum fuißet, ſi id officioli mihi præſtitißet, ſed quod totam ſummam ſatis mature reſignatam et conſenſu et iußu Illuſtriß. Ducis UDALRICI mihi ad hoc Paſcha reſtituendam ſolvere tergiverſetur, neſcio quas alias prætendens expenſas et calvas excuſationes, id mihi magis diſplicet, nec ferendum duco. Scripſi itaque ad dictum Illuſtriß. Ducem UDALRICUM, ſponſorem primarium, ut ad conſtitutum tempus integram ſummam decem millium Ioachimicorum mihi reſtitui ſua authoritate curet, quod et non invite effecturum optimum illum et integerrimum Principem, mihi clementißime faventem, nullatenus diffido. Obtigit mihi occaſio, qua in hiſce oris plus commodi ex illa pecunia nanciſci queam quam iſthic, alias non tam cito eam repetijßem.

174v Quin et præterea ad præfa-||tum Illuſtriß. Ducem dedi literas, qua ipſius Celſitudinem ad nuptias filiæ cuidam ex meis ELISABETHÆ nomine ſubmiße invitavi, cum quodam Nobili et erudito Iuvene FRANCISCO TENGNAGLIO e Weſtphalia oriundo atque in hac aula verſante, ad inſtans Penteco ſtes, favente Cœleſti Numine, celebrandas. Cum enim non ſaltem Cæſaream Maieſtatem, Dn. noſtrum clementiß. et præcipuos eius Conſiliarios et aliquot Germaniæ Principes, tam Eccleſiaſtici quam politici ſtatus, quos ſcio mihi clementer favere, humilime per literas invitare animus ſit (quod et nonnullorum Legati, qui

hîc

hîc ſunt, ſponte a me petierunt, atque ſuis Dominis gratum futurum innuerunt) Illuſtrißimum Ducem Megapolitanum, Dn. meum clementiß. et quam optime de me meritum, præterire nefas duxi, non quod ipſius Celſitudinem aut alios in Germania Principes, ad quos hac de re reverenter ſcribo, aliquem ſuo nomine ideo huc mißuros petere audeam, ſed ſaltem quo conſcij ſint, ut ſi forte aliquem ex ſuis Legatis tum temporis hîc in aula habuerint, illis feſtivitatem hanc loco ſui Principis coram ‖ condecorare liceat, quod et te, charißime Domine 175r D. BACHMAISTERE, ob veterem inter nos neceßitudinem non cælandum duxi, quo vota tua ad Deum omnis boni et felicitatis largitorem noſtris coniungens, fauſta et ſalutaria huic actui preceris.

Miror te literas D. D. CRAGIO inſcriptas non accepiße. Nullas nunc ad ipſum ulterius mitto, ſiquidem intellexerim ipſum in Legatione Polonica abeße, ſed tabellario huic nonnullas tradidi, quibuſdam in Dania præcipuis amicis deſtinatas, quarum maxima pars eſt invitatoria ad iam dictas nuptias; eas vero omnes ipſe tabellarius facile per quendam nobilem, ESCHILLUM BILLÆUM nomine, res meas iſtic procurantem, expediet. Addo minutulas quaſdam ad eundem Regis Muſicum, cui alteræ prius tibi mißæ (ut opinor) inſcribebantur, quas hic ipſe grammatophorus, ſi tibi commodior non ſuppetit ratio, illi Hafniæ inquiſito tradet; ſunt a quodam hîc Italo, in cuius aliquantul[a fideiußione?] Muſicus eſt, ſcriptæ.

Magiſtro BRASCHIO ipſemet nunc de negocio prius inſinuato reſcribo; antea enim non vacabat.

Quæ a CAROLO ‖ Sueciæ Duce in Livonia acta ſunt, iam antea hîc 175v cognovimus; nimis tardus eße videtur in reſiſtendo Poloniæ Rex, et vix ut ENNIUS de altero iſto Romano aiebat, cunctando reſtituet rem: † celeritate potius in talibus opus eſt. WAIWODA, qui in Comitijs Polonicis etiam hoſtis eius Regni declaratus eſt, nuper hîc fuit, et gratiam Cæſaris impetravit, acceptaque magna pecuniæ vi Tranßylvaniæ partem Polonorum conſilijs et Tartarorum invaſionibus nuper amißam pro Cæſare recuperare meditatur, omniaque ſtrenue ad hanc expeditionem præparat. Magnis etiam viribus contra Turcam exercitum parat Imperator noſter, validiorem quam unquam antea, ſiquidem neceßitas ſic poſtulet, ob amißum ſuperiori Octobri Caniſium, fortißimum Hungariæ propugnaculum, quo occupato Turca ſibi viam, ſive Styriam ſive Auſtriam infeſtare velit, præſtravit; armipotens et fortis Deus eius ferociam et tyrannidem retundat atque a cervicibus Chriſtianorum avertat. Ubi plura aliquid momenti habentia reſciero, te eorum faciam participem. Vale cum omnibus tuis quam felicißime, et ſenij, ſi quæ, uti fit, incidunt gravamina, patientia vince. Dabantur Pragæ ex ædibus olim Curtianis, quas Cæſar pro 10000 millibus Ioachimicorum in meos

meos uſus liberaliter emit vix duplo maioris exædificatas, quæ novum Uraniburgum Rudolphæum appellanda. Iamque iterum et ſæpius vale. Die 15 Aprilis ſtylo novo Anno 1601.

[E codice Basileensi G I 35]

TYCHO BRAHE AD CHRISTOPHORUM STURCIUM.

176r QUOD mihi per Magnificum Dn. D. GÖDELMANNUM ſcripſeris, Nobilis et eruditißime Domine D. STURTZI, utut ego ob eius feſtinationem et meas tum temporis occupationes nihil ad te literarum dederim, eſt cur tibi plurimas habeam gratias. Agnoſco hinc tuum erga me candidum et conſtantem amorem, cui par pari referre non deſinam. De ſtatu Patriæ tuæ mirabili et iam multis annis miſerabili hîc ſatis ſuperque inaudivimus; Deus tandem pacem largiatur. Walachus inter alios, uti ſcribis, declaratus hoſtis Regni Polonici, Cæſaris noſtri clementißimi Vaſallus nuper factus eſt, et belli dux contra SIGISMUNDUM BATORUM (qui Cancellarij Polonici inſtinctu per Tartaros Tranſylvaniam invaſit, et aliquam eius partem Cæſari ademit) ut inde rurſus eum expellat, poſtea pro Caniſio recuperando laboraturus. Accepit hac de cauſa a Cæſare magnam vim pecuniarum. Bellum Hungaricum tanto conamine nunc reparatur quanto vix unquam antea, ſic enim opus eſt.

Cæterum quod narratiunculam meæ e Dania huc in Bohemiam ad S. Cæſ. Matem migrationis, qualem optimæ memoriæ Dn. D. DAVIDI CHYTRÆO ſic expetenti miſi, tuis hiſtoricis meditationibus inſerere
176v eamque expolire || et ornare conſtitueris, rem mihi apprime gratam et quovis officio vicißim compenſandam præſtiteris. Exiſtimaßem complementum hiſtoriolæ anni milleſimi ſexcenteſimi ultra priorem mediam partem, quam Dn. CHYTRÆUS ante obitum abſolvit, a te continuatum, ut hoc anno proſtaret, atque in illa, quæ de me, dum in vivis eßet, inſerere cupiebat, adiuncta forent, ſed forte alia ſunt veſtra conſilia, quibus lubens acquieſco. Cuperem nihilominus id, quod propoſuiſti, mature fieri, et ſi oportunitas ſic feret, conceptionem primam, antequam excudatur, mecum communicari.

Habito nunc Pragæ in ædibus olim a laudatæ memoriæ Vicecancellario Dn. IACOBO CURTIO ſplendide et magnifice exſtructis, unâ cum horto amplo et amœnißimo circumiacente, quas Sacra Cæſ. Matas in meos uſus emit a vidua inhabitante pro 10000 Ioachimicorum, cum tamen duplo maiori ſumma vix exſtructæ ſint. Eſt locus maxime in

civitate

civitate editus, verſus Zephyrum, nec longe ab arce ſitus, ut Cæſarea Ma^{tas} ultra alias domos et hortos interpoſitos ſecreto et minimo negotio huc, ‖ quando ipſi ſic clementißime placuerit, venire queat. Diſponuntur 177r hîc modo Inſtrumenta mea omnia, quæ e Dania huc tranſtuli numero 28; theſaurus incomparabilis, quem Patria mea non æſtimans ſibiipſi invidit. Adornatur Typographia, ut opera mea hactenus interrupta, quanto ocius fieri poterit, compleantur. Exſtruitur etiam officina pyronomica pro exercitijs ſpagyricis, quæ noſtra eſt etiam voluptas. Deus Opt. Max. conſervet et proſperet Auguſtißimum hunc Cæſarem RUDOLPHUM II, qui nobis hæc ocia fecit. Quod ſupereſt, æviterno † et omnipotenti Numini te et omnia tua commendo. Datæ ad Pragam ex novo Uraniburgo Cæſareo, cuius inſcriptionem mox ſubiungam, die 15 Aprilis ſtylo novo Anno 1601.

Subiungatur poſtea Epigramma inſcriptionis.

[E codice Basileensi G I 23] †

DEM EDELEN GESTRENGEN EHREN- 90v
VESTEN HERREN TYCHO BRAHENN AUFF KNUTSTORFF ERBSASSEN, RÖMISCHER KEYSERLICHER MAIESTAT *ASTRONOMO*, MEINEM GROSSGUNSTIGEN HERREN.

S. 89r



GENEROSE et doctißime D. TYCHO, miſit ante paucas ſeptimanas reſponſum ad priores tuas literas SIMON a PETKUM. Illud, cum priorem aliquem habere non potuerim, per hunc FRANCISCUM SCHRÖTERUM Sundenſem, Chymicarum rerum ſtudioſum, qui neſcio qua de cauſa iter Pragam inſtituerat, ad te amandare volui, ſpero recte redditum iri. De fornacibus quoque advehendis videbo quid efficere potero. Nondum enim quicquam præter eas Hamburgo advectum eſt, propter nimiam Albis exundationem. Quia vero moris eſt, ut amici amicis novarum narrationum communicatione gratificentur, mitto D. TYCHONI cuiuſdam LL. Doctoris DETHARDI HORSTIJ Witebergæ agentis prognoſticon de eventu belli Turcici, ſane gratißimum, utinam etiam verißimum. Impingunt noſtri Theologi et vani vates omnes in eundem quo Phariſæi et Apoſtoli olim lapidem, ut vaticinia de CHRISTO eiuſque et Eccleſiæ regno et victorijs, politica Phraſi pronunciata, politice intelligant, cum Eccleſia novi Teſtamenti nullam habeat promißionem politiæ et politici regni ut veteris Teſtamenti, uſque ad CHRISTUM, et CHRISTUS ipſe dicat: *Regnum* † *meum*

meum non eſt de hoc mundo, item: *In mundo affliĉtionem habebitis, in me autem TANTUM pacem.* Stultum quoque hoc eſt, quod omnes † vaticinium de GOG et MAGOG interpretantur de regno Turcico, cum 89v id loquatur hiſtorice de victorijs Iſraëlita-‖rum ante CHRISTUM, allegorice vero, ut Apocalypſis IOHANNIS eum declarat, de perſecutoribus Eccleſiæ in toto orbe terrarum adventu CHRISTI extremo tollendis, cap. 20 vs. 8: *Exibit SATHANAS ut ſeducat gentes, quæ ſunt in QUATUOR angulis terræ,* τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μάγωγ, *qui circumierunt caſtra Sanctorum et urbem dilectam. Sed deſcendit ignis a DEO e cœlo, qui devoravit eos* etc. Simile delirium eſt, quod hic interpres idolum vaſtans interpretatur de MAHOMETE, cum ipſe filius DEI dicat Matth. 24 intelligendum eße DANIELEM de ſigno præceßuro finalem Politiæ Iudaicæ, inprimis templi deſtructionem. † Ideo monet: *Cum videritis abominationem vaſtatricem ſtantem in loco ſancto, ut dictum eſt a DANIELE propheta, tum qui in Iudæa eſt, fugiat ad montes* etc. Ridiculum denique plane eſt ſomnium, quod metuunt, ne DANIEL mentiatur, cum definit Monarchias quatuor, ſi Turca inchoaret quintam Monarchiam, cum prima fuerit Monarchia iam Aßyriorum, iam Chaldæorum, in ſecunda iam in Babylonia, iam in Perſia dominabantur Monarchæ, in tertia ſinguli Duces ALEXANDRI conſtituebant ſibi peculiarem Monarchiam, in quarta alia erat 90r Orientis, ‖ quam dudum rapuit Turca, alia Occidentis, quam hactenus mordicus retinet Papa, et vicinorum regulorum potentia ad ſuam triplicem coronam tuendam ſimplici credulitate et armis abutitur. Ante vero illa tempora quam varios habuit Monarchas, quorum poſt annum CHRISTI 480 nemo Romanus aut Italus fuit, quando AUGUSTULUS ultimus purpuram abiecit, eamque induit ODOACER Sax. Poſt illum anno 495 CHRISTI THEODORICUS Oſt-Gotthus dictus Veronenſis, inde 574 Longobardorum Reges uſque ad CAROLUM Magnum Francum, qui cœpit Imperator Romanorum dici 800 CHRISTI. Unde reliqui Germani titulum, Papa imperium habet hactenus. Et ſic digiti pedum in DANIELIS Coloßo varie diſcriminantur ſine inchoatione quintæ Monarchiæ, et metuimus, ne Turca ſit quintus Monarcha; qui iamdiu eſt Monarcha Orientis. Sed hæc delirant, qui hiſtoriarum ſunt ignari, † et qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt. DEUS tueatur hoſpitia Eccleſiæ, 90v ſervet verbum ſuum ‖ et confundat conſilia Turcæ et Papæ, propter gloriam nominis ſui. Bene in Domino vale. 18 Aprilis noſtro 1601.

G. N. T.

addictiß.

GEORGIUS ROLLENHAGEN.

53 [E codice

[E codice Florentino Bibl. nat. in codicum Galileianorum tomo 27 (*Accademia del Cimento* part. 3 vol. 12)] †

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FERDINANDO MAGNO DUCI ETRURIÆ ETC. DOMINO SUO CLEMENTISSIMO. 8^{v}

FLORENTZ.



D Serenißimam Celſitudinem Veſtram ante Anni quadrantem per Filium meum natu maiorem, Legationem Perſicam in Italiam comitantem, ſubmiße dedi literas, quas Sereniß. Celſ^{ni} V^{æ} recte eße redditas ex Epiſtola eiuſdem Filij nuperrime ad me data lubenter cognovi. Scribit is inibi nonnulla, quæ animum meum non parum perculerunt: Legatum nimirum Perſicum illum primarium natione Anglum, in cuius familia Filius meus tunc fuit, cum Senas pervenißet, ipſum ad ſe ſeorſim vocaße, atque hæc inſinuaße: Serenißimam Celſ^{nem} V^{am} illi videlicet Legato Anglo, cum ex literis ad ipſam a me ſcriptis intellexißet, Filium meum in ipſius comitatu eße, dißuaſiße, ut illum Romam ſecum adduceret, præſertim illo tempore, id enim non abſque gravi periculo vitæ Filij, et ipſiuſmet Legati impedimento fieri poße, ſiquidem meum nomen in illis oris iam antea ſatis innotuißet, et potißimum ea de cauſa periculum ſubeße, quod in Italia rumor increbuißet, Sacræ Cæſareæ Ma^{ti} me authorem et ſuaſorem fuiße, ne Monachos Capucinianos hîc Pragæ diutius pateretur, ſed eos dimitteret. † Voluit itaque Legatus ille Anglus, ut Filius meus Senis remaneret, nec Romam unâ accederet, quod et factum eſt. Si itaque hæc, ut ille retulit, ex Sereniß. Celſ^{nis} V^{æ} conſilio et admonitione facta ſunt, non dubito, quin clementißimo erga me et Filium meum animo et bona ac ſincera intentione profecta ſint. Sin autem Legatus iſte ex ſuo cerebro talia deprompſit, et ſub prætextu nominis V^{æ} S^{a}^{æ} Celſ^{nis} (uti ſuſpicor) protulit, facile conijcio, eum id feciße, ut ſic honeſte a Filio meo liberaretur, ne illi ulterius oneri eßet, ſiquidem, uti hîc Pragæ ſatis cognovimus, viatico pro tam magnifica legatione et tanto itinere emetiendo non ſatis inſtructus erat: ſed ſit quicquid velit, gaudeo Filium meum Senis in Sereniß. V^{æ} Celſitudinis ditione et urbe commorari, ‖ 7^{v} ubi eum commode degere, et ſatis tutum fore, omnino mihi perſuadeo, cum V^{æ} Sereniß. Celſ^{nis} Regio ſit per ſe libera, et ijs, quæ forte alibi in Italia incidere poßent, periculis non obnoxia, ideoque a Sereniß. Celſ^{ne} V^{a}, qua poßum ſubmißione et reverentia peto, velit ſibi Filium hunc meum commendatum habere non dedignari, et ſi res ipſius ita tulerint, ut tam diu in V^{æ} Sereniß. Celſ^{nis} territorio ſubſiſtere poßit, donec Linguam Italicam

Italicam mediocriter addidicerit, id equidem mihi apprime acceptum foret; quo peracto, ut Sereniß. Celſ^{o} V^{a} eum Sereniß. et Potentißimo Rege Galliarum, inclyto ſuo Affini, per literas commendare dignetur, quo in ipſius Aula per unum vel alterum annum, donec et illam linguam calluerit, pro ſervitore recipiatur, demiße et officioſißime eam rogatam vellem: quicquid hac vel alia ratione Sereniß. Celſ^{o} V^{a} in Filium meum contulerit clementißimi beneficij, id tanquam in me ipſum collatum perpetua animi ſubmißione et gratitudine, quantum vires meæ patientur, agnoſcam.

Cæterum quod Monachos Capucinianos attinet, certo ſciat, atque indubitate Sereniß. Celſ^{o} V^{a} ſtatuat, quod nunquam vel minima cogitatione mihi in mentem venerit apud Sacram Cæſaream Maieſtatem, Dominum meum Clementißimum, quidpiam de ijs loqui, aut an hîc manere debeant vel ſecus, ullo verbo mentionem facere, nedum ut quidpiam in his eius Maieſtati ſuggererem aut conſulerem, cum talia ad me plane non pertineant, nec ipſius Maieſtas unquam de eiuſcemodi rebus, quæ Eccleſiaſticas Perſonas aut res concernunt, mecum loquatur, ſed ſolummodo de ijs, quæ Philoſophica et Aſtronomica, quibus ipſius Maieſtas, ſicuti multi alij Reges et Principes, laudabiliter afficitur, nec ego me alienis immiſceo: vix ſuppetit otium et commoditas propria tractandi et exequendi. DEUM itaque ſancte et conſcientiam meam intemerate teſtari poßum, magnam mihi hac in parte fieri iniuriam, tam hîc quam alibi, uti etiam in quibuſdam alijs calumnijs, quæ ab imperitis ſeu mearum rerum ignaris hîc ſparſæ ſunt, de quibus brevi ad ipſius Maieſtatem, quæ me in omnibus ijs, quæ apud ipſius
8^{r} Maieſtatem a me dicta et peracta eße || nonnulli comminiſcuntur, inſontem novit, referre animus eſt. Quin et Sereniß. Celſ^{nis} V^{æ} Magnificentißimus hîc Orator ſatis perſpectum habet, eum de Capucinis rumorem meram eße in me calumniam, et ſcit forte, unde illa dißuaſio apud Cæſarem provenerit, ut me non ſaltem ille, ſed et Illuſtrißimus ac Reverendißimus Dominus Nuncius, qui nomine P. M. hîc moratur, me ſatis de iſto figmento, uti et in alio quodam huic ferme ſimili, excuſatum habet, ſiquidem ab Illuſtri et Magnifico Domino CORADUCIO Imperij Procancellario ſatis ſuperque cognoverit, rem longe aliter ſe habere, meque omni culpa in eiuſcemodi de me promulgatis nugis vacare. Quæ ob id latius ad Sereniß. Celſ^{nem} V^{am} qua poßum ſubmißione perſcribo, ut illa quoque, ſi tale quid ad eius aures pervenit, meam innocentiam cognitam habeat, nec tam iniurioſas calumnias in meæ famæ extenuationem aut Filij mei detrimentum redundare ſinat, ſed id potius ſua authoritate, ſicubi opus fuerit, clementißime amoliatur, ſique vicißim ex mea tenuitate proficiſci poterint officiola, quæ Sereniß. Celſ^{ni} V^{æ} ullo modo accepta eße queant, utatur me perpetuo

tanquam

tanquam ſuo ſervitore fideli et obſequentißimo. DEUS Opt. Max. Sereniß. Celſ^nem^ V^am^ Reipub. tam politicæ quam literariæ bono per multos Annos incolumem et proſperam florere faciat. Dabantur Pragæ die 30 Aprilis Anno 1601.

Serenißimæ Celſitudinis Veſtræ
Reverenter et ſubmiße
addictißimus
TYCHO BRAHE,
manu propria ſcripſi.

[E codice Basileensi G I 23] †

GENEROSA NOBILITATE ET POLITIORIBUS LITERIS CLARISSIMO VIRO D. TYCHONI BRAHÆO DOMINO IN KNUTSTORFF ET CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO ET MATHEMATICO EXCELLENTISSIMO DOMINO ET AMICO SUO. 92v

S. 91r



UM ad me ex itinere ſuo, quod ad te inſtituerat, Generoſe et Doctiß. D. TYCHO, divertißet optimus vir DAVID FABRICIUS, et non modo tua ſtudia, ut merentur, crebris ſermonibus commendaret, ſed obſervationes quoque ſuas coram oſtenderet, dolui profecto GANYMEDEM tam elegantem Friſios potius Boves paſcere, quam † ab Aquila Ioviali raptum, Dijs in Cœlo miniſtrare, ut DAVID ab ovibus in aulam propter Muſicam adoptabatur, ut certe hic DAVID GANYMEDEM habet aſcendentem. Sed quiſque ſuos patimur manes. Ego certe multis nominibus eum mihi optârim propiorem.

Fuit ante paucos dies hîc quaſi privatus Epiſcopus Colonienſis, iturus ad Cæſarem, ut ei Papæ nomine electionem Regis Romanorum perſuadeat, atque ſic et reditus Cæſarios et autoritatem in plures partes diſtrahat. Ne dicam de nuncio Belgico, in quam terram iam redijt exercitus Hiſpanicus. Ab altera parte redit Turca. Domine, ſerva nos, † perimus.

Favorem Epiſcopi Saltzburgenſis tibi ex animo gratulor, utinam plures adducat tibi ſuffragantes, ‖ ut tandem utilißimos tuos labores 91v ad umbilicum deducas.

De prognoſtico, quod HENRICUS IULIUS de ſe uſurpare dicitur, iam olim audivi doctorem MEGABACCHUM, ROTHIUM et alios, qui a me exiſtimabant eße profectum. Sed neque ego hoc dixi aut ſcripſi unquam,

† unquam, neque ab ipſo audivi. Hoc autem dicere ſolet GARCÆUM prædixiße, aliquando ſe præclaram ex bello victoriam relaturum eße, itaque ad bella eße animoſiorem. Quod negavi ego ex fontibus, quos epiſtola tua allegat. Et ſi poßem, in viam potius pacis reducerem, quam † ut currentem inſtigarem. Sed fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Spero me propediem in aulam venturum ad conſultationem de vocando Theologo in locum HOFMANNI. Ibi, ut decet, privatim de tua pro eius ſalute ſolicitudine, et commoditate negociorum apud Cæſarem privatim expediendorum, movebo fideliter omnia. Et reſcribam. Bene et quam diutißime vale. 15 Maij 1601.

Tuæ Gen. N.
addictiß.
GEORGIUS ROLLENHAGEN.

HENR. IULIUS natus eſt 1564, 14 Octobris, 17 hora P. M. in arce † *Heſſen*. Hoc tempus GARCÆUS corrupit per falſißimam HERMETIS trutinam et correctiones ſimiles.

† [E codice Basileensi G I 23]

94v NOBILISSIMO STRENUO ET MAGNIFICO VIRO TYCHONI BRAHEN DANO, SACRÆ CÆS. MATHEMATICO, IMO ET FAUTORI SUO MULTIS NOMINIBUS COLENDISSIMO.

PRAGA.

93r Εὖ ζῆν καὶ εὖ πράττειν.



QUANQUAM apud D. DAVIDEM FABRICIUM ad nobiliß. Mag^am T. ſcripſerim de rebus omnibus, Nobiliß. atque Mag^ce vir, Domine multis nominibus colende, quas quidem literas meas unâ cum earundem latore, † FABRICIO noſtro, te accepiße et vidiße non dubito, facere tamen non potui, quin nobiliß. Mag^am T. hac ſchedula inviſerem, ſciſcitaturus ſaltem, num dictus FABRICIUS noſter ſalvus atque incolumis ad vos pervenerit. Multa enim metuebat atque, ut mihi videbatur, ſibi perſuadebat, quare non ſine periculo hoc iter perficere poßet. Veruntamen omnia in DEI præpotentis manu poſita eße firmiter credo, ſic ut eundem FABRICIUM, niſi DEO aliter viſum fuerit, incolumem omnino ac ſalvum huc reverſurum plane perſuaſum habeam. Porro nobiliß. Mag^am T. rogatam velim, uti me ſibi commendatum et perſuaſum plane habeat, me ex eorum eße numero, qui nobiliß.

biliß. Mag^{am} T. modis omnibus ſalvam optet atque incolumem, || eiuſ- 93v que honoribus faveat quam maxume.

Cæterum quid Sacræ Cæſ. Ma^{tis} Legatus et Conſiliarius præcipuus D. HANNIWALT hîc rerum agat, quamque honorifice, ne dicam magnifice, ab Ill^{ri} et generoſo principe meo ENNONE, Orient. Friſiæ Comite, exceptus ſit, et quæ porro Sacræ Cæſ. Ma^{ti} ab Ill^{ri} Celſ. eius exſpectanda ſint officia atque ſervitia, meum non eſt perſcribere, cum tempus ipſum atque exitus reipſa comprobatura ſint, quali affectu Ill^{ris} Dominus noſter erga Sacratiß. Cæſ. Ma^{tem} ſit præditus, quam ut DEUS opt. max. unâ cum nobiliß. Mag^{a} T. diutißime ſervet, ex animo precor. Ac ſi forſan occaſio fuerit, ut Sacræ Cæſ. Ma^{ti} mea quamvis humilia ſervitia commendare poßis, quæſo ſtudiorum, ſi non eorundem, attamen communium memor eſto.

Hæc ſcripſi αὐτοσχεδίως et quaſi per ſatyram, propterea || quod 94r propter præſentiam præfati Cæſ. Ma^{tis} Legati, qui pridie huc appulit, pluſculis eram occupatus negocijs. Quare et feſtinationi et lituris ignoſces, tum FABRICIO noſtro haſce incluſas literas cum ſalute uberrima tradere haud dedigneris. Utinam vero ſit aliquid, in quo nobiliß. Mag^{æ} T. vicißim gratificari poßim, neque enim labori, vigilijs, ſtudijs, ſumptui parcerem. Vale vir nobiliß. atque Mag^{ce}. Scripta ex arce Auricana Friſiæ Orientalis pridie Eidus Iunij ſtilo veteri Anno poſtremi temporis Ch. 1601.

Nobiliß. Mag^{æ} T.
addictiß.
EBERARTUS SCHELE,
Orient. Friſiæ Secret.

Quæ hoc ipſo die de occupatione propugnaculi ante Bergam ex Haga Comitis allata ſunt nova, cum et incerta adhuc ſint nec vobis ignota diu eße poßint, lubens prætereo.

ANNOTATIONES

ANNOTATIONES EDITORUM

ad p. 3,11] vid. Cicero *Pro Milone* 38,105.

ad p. 3,25] Postridie Viti, i. e. d. 16 Junii.

ad p. 3,39] Idem versus, qui Ovidii non esse videtur, affertur tom. VII p. 301,10–11.

ad p. 5,24] Nomen tanfum subscripsit Tycho. Ceterum epistula, cum inscriptione careat, neque complicata charta sit, missa non est.

ad p. 6,16] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 9,39] Ovidii *Rem. am.* 462, ubi tamen pro »pellitur« legitur »vincitur«.

ad p. 10,13] Autographum, quod sicut cetera, quæ in arce Rosencrantziorum, quæ dicitur *Rosenholm,* olim asservabatur et a. 1761 cura Jacobi Langebekii transscriptum et postea incendio absumptum est, lacerum fuisse videtur; annotavit librarius ad v. 21: »Sex hic lineæ non potuerunt legi«.

ad p. 10,27] Transformati sunt versus ex Vergilii *Æn.* III 56—57: »Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames!«

ad p. 11,5] Fieri potest, ut pro »Deo tra« scriptum fuerit »dextra«; nam respici videntur versus Vergilii (*Æn.* II 387—388): »Quaque ostendit se dextra [fortuna] sequamur.«

ad p. 13,1] De observationibus Davidis Fabricii ad Tychonem missis vid. tom. X p. XVIII. Nos eas transscribemus in tom. XIII post observationes anni 1598. Commentationes tamen quasdam eodem tempore, ut videtur, ab illo ad Tychonem missas, quæ inter observationes non recte ponebantur, hic subicimus (e codice Hauniensi Ant. Coll. Reg. 316 in 2°):

150v

OBSERVATIO MEA DE PARALLAXI INVENIENDA IUXTA MODUM TADDÆI.

Anno 96 4 Febr. hora 12 noctis præcedentis, cum Regulus meridianum 30′ circiter minutis tranſierat, obſervavi altitudinem meridianam centri ☾ plenæ cum Regulo fere coniunctæ Gr. 52° 50′ M.

Si iam ☾ cum Regulo in Meridiano fuißet, facilis res eßet ex altitudinis meridianæ differentia et Reguli declinatione declinationem ☾ viſam cognoſcere. Verum quia Regulus iuxta aſcenſionem rectam anterior eſt circiter 30 min. ideo pro motu 30′ minut. ☾ in Zodiaco correſpondentem declinationem accipio, videlicet 10′ min. et addo altitudini ☾ meridianæ, et fit 53 G. 0′, et ſic ☾ quaſi cum Regulo in Meridiano imaginetur, et ſic diſtantia Reguli a ☾ viſa erit 2 Gr. 44 min. circiter.

Si igitur ☾ ſimul cum Regulo in Meridiano exſtitißet, hanc altitudinem Gr. 53 0 quam proxime habuißet, quare ablata æquatoris altitudine 36 Gr. 22 M. ab altitudine ☾ 53 0 datur declinatio ☾ viſa 16 Gr. 38′,[1] declinatio autem vera iuxta tabulas centrum terræ reſpicientes 17 Gr. 12′ circiter, ergo viſæ et veræ declinationis differentia 34′, tot enim minutis in illo loco videtur depreßior, quam revera eſt reſpectu centri terræ.

Si nunc iuxta Taddæum declinatio viſa ☾[2] ex altitudine meridiana aufera-

[1] Adscripsit Fabricius in margine: »vel diſtantia merid. addatur declinationi Reguli, quod idem eſt«.

[2] Addit Fabricius supra hæc verba: »phænomeni ait«.

tur, manet 36 22, elevatio videlicet æquatoris vera in noſtra regione.[1] Taddæus vero dicit, ſi declinatio viſa ab altitudine ſua auferatur, et æquatoris vera altitudo remanſerit, nullam phænomeno ſubeße parallaxin arguit. Hic vero contrarium apparet, quomodo igitur hoc excuſari poßit, de T. E. cognoſcere aveo vel ſcire deſidero.[2] Ego ſane nil aliud adduci poße exiſtimo, niſi forte ☾ locus tantum a vero aberret, quantum parallaxi iſtius loci, videlicet 34, reſpondeat, quod 1 Gr. 40′ circiter minutis non erit minus. Hæc data occaſione ſcribendi de parallaxibus indicare volui, T. Exc. iudicium de his expetens.

DE NUBIUM DISTANTIA A TERRA.

Locus obſervatoris ſit A, et animadvertatur, quando nubes aliqua extremitate ſua verticis puncto immineat, quod ſit in B (ubi humilius feruntur) vel in C (ubi altius evehuntur), notetur quoque eodem momento terminus umbræ a B proiectæ, quod ſit in D, vel terminus umbræ a C, quod ſit in E.

Iam AD diſtantia ex hypotheſi cognita ſtatuitur, ut exempli loco 500 paßus, cognitus quoque angulus BDA, idque ex altitudine ⊙ etiam abſque inſtrumento cognita (per tabulas) ſi obſervatio in meridie ſit, vel ſi ⊙ ultra vel citra meridianum fuerit, quando ante vel poſt altitudo ⊙ capienda eſt, nam exigua aliquot minutorum differentia in altitudine ⊙ nullum ſenſibile ingerit diſcrimen. His igitur datis, angulo videlicet BDA et latere AD et angulo ad A recto, facile per △$^{\text{gul.}}$ planorum doctrinam AB altitudo patebit in menſura vel partibus quibus AD data fuit. Idem de altero angulo; ut enim angulus DBA (qui eſt complementum anguli altitudinis ⊙ dati) ad AD, ſic angulus BDA ad BA. Eadem ratio in triangulo ECA. ‖

EXEMPLA OBSERVATIONUM ALIQUOT. 151r

Quodam die æſtivo anni 95 hora 12 min. 30 ⊙ altitudinem habuit 56 Grad. Nubes in vertice exiſtens umbram terræ proiecit ad 440 paßus. Alia nubes in vertice conſiſtens umbræ extremitate attigit locum 900 paßibus diſtantem (poſitum ibi eſt templum, quod facile extremitatem oſtendebat). ⊙ habuit altitudinem 33 Grad., altitudo ergo nubis 700 circiter. Plura exempla aggerere nolo, quia ſupervacaneum duco, cum nullum de eo ſit dubium, nam idem etiam alijs modis expertus ſum per triangula obliqua, et ſemper in idem res recidit.

[1] In margine: »folio 79, etſi phæno. in ipſo Merid. altius, et alibi«.

[2] In margine: »nulla parallaxis ☾ iuxta hanc regulam Taddæi«.

Sint 3 loca in circumferentia terreſtri ut D, A, C. Sit AB tumor in terra exurgens in circumferentia DAC vel reſpondens circumferentiæ, et EA altitudo nubis cognita et æqualis tumori AB. Hinc ſequitur quod nubes E imminens vertici exiſtentium in A, ubi decurrit ad F et G, in ortu vel occaſu ſit in A exiſtentibus et contra in verticibus D et C. Cognito igitur tumore AB, cognoſcetur etiam AD. Fieri autem non poteſt ut mons G longius videatur quam punctum contactus horizontis et nubis F vel G, cum ſint maioris altitudinis. Sed cætera ex literis. Ignoſce meæ infantiæ apud T. E. balbutienti.


Si igitur mons humilior quam nubes aliqua exiſtens longius videtur quam ſpatium terræ, tumori terræ altitudinem nubis æquanti, æquale reſpondeat, neceße erit terræ quantitatem aliam eße, ita ut in dato ſpatio tumor terræ altitudini nubis datæ reſpondens minus creſcat, quod poſita maiori quantitate terræ fieri non eſt dubium. Et ſane dico, ac non ſine cauſa, multo, multo inquam maiorem eße terræ quantitatem et ambitum quam hactenus exiſtimatum eſt. Quæ controverſia in locis borealibus et mari congelato facile innoteſceret, ſi in duobus locis eidem meridiano ſubiectis altitudo poli exacte obſervaretur et intermedium ſpatium curru certam menſuram habente et ſignificante certis ſignis menſuræ quantitatem demeteretur. Ex quo poſtmodum totius terræ quantitas ac alia paterent. Sed de his forte nimium.

DE INSTRUMENTORUM FABRICA CUM GENERALITER TUM SPECIALITER INSTITUENDA.

Quantum in exacta inſtrumentorum fabrica ac compoſitione ſitum ſit, præ alijs omnibus T. E. novit. Inde enim omnium obſervationum verus fructus dependet. Summa igitur ſolertia et circumſpectione opus erit, ut præcaveantur errores, et ita conſtruantur ut et firmum et expeditum uſum præbeant. ||
151v Volui igitur de illis utcunque cognoſcere, quo mea inſtrumenta ad modum tuorum exactius conformentur, nec ſpero te in his mihi defuturum.


1. Quo compendio aut quibus medijs ſuperficies plana inſtrumentorum ab ea parte, qua diviſiones fiunt, exacte et ad amußim levigari poßit, ut ubique eandem æqualitatem habeat. Quod quomodo in circulis et inſtrumentis magnæ quantitatis fieri poßit, ſæpe miratus ſum et adhuc miror.

2. Quod ſi unicus ſaltem obſervator per Sextantem duas ſtellas obſervare velit, qua ratione in tali caſu viſoria prope oculum conformari debeant, ut et facilem et expeditum uſum præbeant. Ego non dubito bina viſoria eaque extra centrum inſtrumenti eße conſtituenda. Apparet tamen ex literis Rothmanni fol. 28 Sextantem Lantgravij (qui unicum obſervatorem habuit quoque) fuiße tantum in viſorijs 3 rimulas, quia ſcribit: viſoria centro inſtrumenti ita appoſuimus ut ſemper eandem ab illo Sextantis centro diſtantiam retineant, centrumque ſemper præciſe in medio mediæ rimulæ reperiatur. An igitur ita ſit vel non, cupio cognoſcere, et an forte figuram in latere poſitam aliquo modo referat vel minus, ita ut media rimula utriuſque ſtellæ obſervationi inſerviat, et dimidia pars viſorij per fibulas angulo viſionis et inſtrumenti adaptetur. Quid in his verum ſit aut non, vel paucis verbis vel ſaltem ſchemate T. E. indicare dignetur, facile enim percipiam.




3. Scribit T. E. quadrata pinnacidiorum et viſoriorum æqualia omnino eße oportere et debere, quod ut in maximis inſtrumentis facile conceßerimus, ita in minoribus 3 vel 4 pedum non ita exactam præbere diſtantiam exiſtimo. Ut autem quid ſequendum ſit, magis innoteſcat, apponam utriuſque modi ſchemata.

In hac figura medium rimularum reſpondet lateribus pinnacidiorum, quam pinnacidiorum conſtructionem in minoribus inſtrumentis certiorem iudico. Et hac forma ego in meis nunc utor, quia trium tantum pedum ſunt.



Hæc figura pinnacidijs et viſorijs tuorum inſtrumentorum reſpondet, nam quadrata ſunt æqualia, et medium rimulæ extra quadratum. Hanc conſtructionem propter rimularum pro ſtellarum quantitate commodam et utilem dilatationem et coarctationem factam eße intelligo et video. Et ſane artificioſa eſt conſtructio, in maioribus præſertim ut dixi inſtrumentis, in quibus ſemidiameter rimularum reſpectu graduum limbi exiguam proportionem habet, ac parum refert an quis per medium rimularum pinnacidiorum lateribus reſpondentium ſtellam conſpiciat, ut in prima figura, vel per medium rimularum non reſpondentium lateribus. In parvis vero inſtrumentis plus medietatem ſtellæ conſpici non dubito. Ergo ut 2da figura in maioribus inſtrumentis commodior, ita prima in parvis exactior. Sed pro ſtellæ lumine vario dilatari aut relaxari non poteſt, quod ſic medium rimularum non ſemper reſpondeat lateribus. Quæſo mi Nobilißime Domine, ut quid ſequendum ſit, digito ſaltem oſtendas, et quid exactius in hoc negotio ſit, indices. Propter hæc enim et alia inſtrumentorum



meorum fabricam hactenus diſtuli, quæ iam conſtructa cernerentur, ſi prius horum omnium enodationem habere potuißem.

Rogoque obnixe ut maximam dilatationem rimularum pro inſtrumentis 4 pedum ſubtili calamo in charta deſignare non graveris, ne nimia earum dilatatio incertam præbeat obſervationem, quod tali caſu in minimarum ſtellarum centris capiendis futurum credo, ſi rimulæ nimis laxæ ſint. T. E. facile quid velim et notem perſpicit, ideoque pluribus ſuperſedeo. ||

152ʳ Quæſtio, quomodo Cylindro ad centrum quadrantis poſito obſervatio altitudinis ſideris fieri poßit, cum non per foramen in adiunctum Canalem radij admittantur, ſed potius umbra a cylindro fiat, quomodo illa umbra excipiatur.

Reſtant nunc alia duo, quæ ad faciliorem et expeditiorem Inſtrumentorum uſum pertinent, videlicet Regulæ (cui pinnacidia et viſoria affixa ſunt) ad optatum in limbo locum facilis deductio, et Sextantis ad quemvis ſtellæ poſitum expedita conſtitutio.

1. Quod ad primum attinet, fateor me ſæpenumero hyberno tempore atque frigido ab obſervationibus abſtinuiße, quod hac commoditate deducendæ ad ſuum locum regulæ deſtitutus quadrantem horæ vel etiam dimidiam horam unicæ obſervationi ſæpenumero impenderim. Nam manibus eum producere cogor in limbo, ibique arctare rurſumque laxare, donec tandem voti compos fiam, interim elabitur tempus et obſervandi commoditas. Video nunc in quibuſdam tuis Inſtrumentis Cochleam affixam Inſtrumento, qua regula facile producitur, quæro hîc, an cochlea ea parte, qua regulis affigitur, clavum circumvolubilem habeat vel non. Videntur in figura (nu. V) circa locum D 2 rotunda foramina vel duo forte clavi, ſi duo ſunt, certe fixi erunt. Rothmannus catenulam artificioſe affixa ſidera præſtare ſcribit, qua vero ratione hoc fiat, ſi brevibus expediri poßet, ſcire cupio, ut alterutrum modum (qui commodior videbitur) eligere poßim.

2. Reſtat fulcri, cui ſextans innititur, deſcriptio. Scribit T. Exc. ſextantes imponi globis, quibus in omnes partes cœli facile diſponantur. Hîc ignoro, an ſit globus ligneus vel ex metallo factus, item an habeat aliquam affixam cochleam latentem, qua globus laxatur et ad certum poſitum conſtringatur, ne Inſtrumentum a ſuo vero ſitu dimoveatur. Habet et meum Inſtrumentum fulcrum, quod 3 cochleis operoſe diſponitur, non ſine temporis diſpendio. Ac te, mi Excellentißime Domine, velim me in his (prout meis rebus maxime convenire tibi videbitur) fideliter et ſufficienter edoceas. Nam his poſtremis duobus impedimentis ſæpe, præſertim frigido cœlo, ab obſervationibus abſterreor, *den ein Stund vber eine obſervation im kalten winter darauff zu ſthen, iſt woll ein zimlich buße*, ita ut catharrum ſæpe nocturnum frigus excitet. Quid vero 2 baculi rotundi in figura ſextantis ſibi velint, ignoro.

Quæſtio, cur in tabula ſinuum ſingulæ 3 cyphræ vel figuræ numerorum commate diſtinguantur, quid eo notetur.

Scribit in literis T. Ex. in capienda diſtantia ſtellæ et Lunæ limbum extremum eße obſervandum, et ſemidiametrum uno quaſi minuto minorem diſtantiæ addend. vel dim. Hæc non ſatis percipio, cur ſemidiameter uno quaſi minuto minor ſit etc. cuius dubij enodationem expecto.

De his et ſimilibus ubi ſufficientem declarationem accepero, ad inſtrumentorum fabricam mox progrediar. Quare mihi non deſis, ut nec hactenus in ullo mihi defuiſti, ſed etiam plus, quam petere auſus fuerim, præſtitiſti. Deus opt. max. tibi retribuat. Amen. ||

Plura nunc non audeo nec etiam poßum ſcribere, quia Tabellarius urget, ut me quam citißime expediam, ſibi propter alia maxima negotia, propter quæ ablegatus ſit, properandum eße, igitur calamum nunc inhibeo. Circa feſtum Natalitium de alijs præſertim aſtrologicis rebus ad te perſcribam, quid in illis diutina experientia obſervaverim, idque circa potißimam eius partem, et non dubito, quin tibi futura ſint gratißima, nam a nullo quicquam tale annotatum aut obſervatum comperi; addam exempla nativitatum certa et mirifice comprobata. Mittam tunc una cum alijs muneribus, quæ vel navi vel curru Bremam tranſvehi curabo (cum Tabellarius commode perferre non poßit) carmen integrum de Urania antea conſcriptum, nunc tamen, ut petis, ex parte mutandum, quod tibi non ingratum futurum ſcio. Ad extremum rogo obnixe, reverenter et ſtudioſe, ut ſimplicitatem meam, quæ ex candido animo ac ſummo erga Uraniam tuam amore procedit, boni conſulas ac in optimam partem interpreteris, ſtylumque agreſtem et Friſicum potius quam Latinum non tam conſideres et reſpicias, quam animum meum tui nominis imprimis obſervantißimum et ſtudioſißimum. Rogo quoque, ut primo quoque tempore mihi reſpondeas, literaſque Bremam ad Gerhard Hviſman bibliopolam in platea S. Catharinæ, aut Dn. Ludolph. Ridderſhuſium (qui plurimum tibi favet, tuumque adverſum caſum plus decies in literis hac æſtate mecum deploravit) vel directe vel oblique (ut ita loquar) per Iohannem Schreining *in Hamburch bi der Karen in Roſenhirſch* (*welcher des Hrn. Stathalters auß* ..... *is*, ut Ridderſhuſius ad me ſcripſit) ad illum mittas, qui ſine omni mora, prout me ſummo amore proſequitur, eas ad me per certum nuncium dabit, et ſic aliquoties hac hyeme per literas communicare et cogitationes noſtras commodius conferre poßumus. Sed ut antea dixi, Tabellarius urget reſponſum, nec relegendi tempus concedit, ut nec vix cogitandi, ideo hæc, prout in mentem venerunt, inter tot illius interpellationes et diſtractas cogitationes in chartam potius effudi, quam ſcripſi. Sed tuæ ingenuitati et candori, qui mihi ſufficienter cognitus, plane confido, meque committo. Hiſce vale, Magnifice Domine. Dat. ut in literis. 152ᵛ

T. Ex. quam primum quæſo reſcribat, idem a me fiet prolixe et de varijs ...

ad p. 13,29] Hoc loco adscripsit Tycho: »at prius habet 10 [ex 12 corr.] 53«. Respicit observationes a Fabricio missas (vid. tom. XIII). Illic ad finem sectionis primæ (»Primo de ♃ Acronychio«) hæc addidit Fabricius: »Nec T. Ex. offendat, quod ante paulo aliter diſtantias ♃ a ſtellis prædictis denotavi, factum id fuit ex ſumma feſtinatione. Nam et eadem nocte obſervationes mihi perficiendæ erant, et ſimul literæ ſcribendæ. Hinc evenit quod diſtantias prima veſpera ſumptas (ut tanto celerius poſt regulam collimare poßem ad diſtantias utcunque acceptas, ne forte propter nubes intervenientes, ut ſæpe fit, obſervatio longiori collimationis mora protracta impediretur) et in chartula conſignatas libro meo et literis tuis inſcripſerim, cum potius diſtantiæ exactißime circa medium noctis acceptæ et in alia chartula annotatæ mihi fuißent tranßcribendæ, ſed feſtinationi et incogitantiæ meæ hoc velim tribuatur.«

ad p. 18,23] In eiusdem codicis foll. 1—2 prior reperitur adumbratio eiusdem epistulæ. Illa autem, quam nos secuti sumus, multis locis correcta est. Cete-

rum est, cur epistulam hanc numquam missam esse suspicemur. Nam quod libros a se confectos Imperatori sese una cum epistula mittere scribit (p. 19,29 sqq.), dissentit ab iis, quæ p. 166 narrantur, unde æstate demum anni 1599 illos libros Imperatori traditos esse discimus.

ad p. 25,39] »Aſtutam vapido ...«: Pers. *Sat.* V 117 (cf. tom. I p. 59,16).

ad p. 26,3] »Omnia nunc ...«: cf. Vergil. *Georg.* I 199 sq. (»sic omnia fatis in pejus ruere ac retro sublapsa referri«).

ad p. 26,6] Ovid. *Trist.* III 4,5 et 25.

ad p. 27,5] »Moriemur inulti«: Vergil. *Æn.* II 670, Horat. *Sat.* II 8,34. — In sequentibus verba Danica sic vertenda sunt: »Atque is aliqua ex parte corriget, si unquam Thule(?) viveret aut vixisset« — »Danice *at være schuløri*t (i. e. dissimulare) nec recte audire et intellegere velle« — »Ita me adjuvet Deus«.

ad p. 28,23] vid. tom. VI p. 317,25 sq.

ad p. 33,10] Annum tropicum, quem Tycho æstimabat $365^d\ 5^h\ 48^m\ 45^s$ (tom. II p. 43,14), Alphonsus æstimaverat $365^d\ 5^h\ 49^m\ 16^s$, cum præcessionem mediam æstimaret 26″.45; vid. Reinholdi *Theoricæ novæ Planetarum* (Parisiis 1558) fol. 163v.

ad p. 35,4] Martini Everarti *Ephemerides novæ et exactæ ab anno 1590 ad annum 1610 ex novis tabulis Belgicis* (Lugd. Bat. 1597).

ad p. 37,32] De Duncano Liddelio vid. tom. VI p. 321,38 cum annotat. Quod tradit Cramerus (p. 38,42 sqq.) de iis, quæ Rostochii docuerat Liddelius, confirmat etiam Iohannes Caselius in epistula ad Iohannem Craigum data, quam præmisit Liddelii *Arti medicæ succincte et perspicue explicatæ* (Hamburgi 1608); hic enim Liddelium primum in Germania theoriam motuum cælestium secundum Ptolemæum et Copernicum docuisse ait; »neque non singulorum planetarum theorias adjunxit secundum tertiam hypothesin, cujus διατύπωσιν libro de ætheriis Phænomenis proponit Tycho«. De correctione quadam hypotheseos a Liddelio proposita vid. tom. VII p. 193,20. Quod affirmavit Cramerus, indignans Liddelius negavit, qui scripsit »*Responsionem D. Duncani ad calumnias Crameri, missam Tychoni anno 1600 una cum programmate*«. Hanc inter chartas Kepleri reperiri ait Ch. Frisch (Kepleri *Opera* I p. 227 sq.), a Tychone illi traditam, ut refutationem Ursi conscriberet. Inter easdem reperiri ait epistulam Liddelii ex anno 1587, ubi »Tychonis novæ hypotheseos« mentio fit (anno 1587 m. Jun. d. 24—29 et a. 1588 m. Jun. d. 7 Liddelium Hvenæ fuisse, e Diario meteorologico constat), ac præterea responsionem Tychonis datam Uraniburgi d. 14 m. Oct. a. 1587, e qua hæc verba affert: »Quod tam scite mentem meam imitatus es ex eis documentis, quæ cum mecum esses, solo colloquio adeptus es, congratulor. Rem videris acu tetigisse«. (Jam explicata sua de superioribus planetis hypothesi addit Tycho) »Nolim te eam pluribus communem facere, sed da operam, ut in Mercurio et Venere idem quod in tribus altioribus assequaris«. Has duas epistulas nos non vidimus.

De Tychonis insimulationibus in Liddelium vid. etiam hujus tomi pp. 57 et 185.

ad p. 38,24] Verba Græca sunt Plutarchi (*Apophthegm. Græc. Pericl.* 3) et Aristotelis (*Eth. Nicom.* I 4 p. 1096 a 16).

ad p. 39,42] cf. tom. VI p. 57,13; 72,5; 93,23; tom. II p. 234 sqq.

ad p. 42,4] Teste Diario meteorologico a. 1592, non 1591 (d. 6 m. Jul.) Hvenam adiit Cramerus. Error est ipsius Crameri; vid. p. 42,32.

ad p. 43,21] Thaletis dictum notum non est; sed cf. Heracliti *fragm.* 101 a.

ad p. 43,27] Theocrit. *Idyll.* 3,31.

ad p. 43,33] Epicharm. *fragm.* 250 Kaibel; 13 Diels.

ad p. 44,1] Nomen tantum subscripsit Tycho. Annotationes addidit Keplerus in margine, quas infra subiciemus, adjecta littera K.

ad p. 44,22] »Quod ego ſollicite excuſaveram in ipſo libello« K.

ad p. 44,31] »Contra caput penultimum mei libelli, in quo nihil affirmative, omnia monendi cauſa cæteros« K.

ad p. 44,33] Cum Ptolemæus eccentricitatem in duas partes æquales divisisset, ponendo centrum circuli deferentis in media distantia inter Terram et punctum æquans, Copernicus tres partes eccentricitatis circulo deferenti dederat, reliquum vero per epicyclum explicare conatus erat; quod idem efficit. Vid. Copernici *De revolut.* V 4 (p. 326 ed. secul.); Dreyer, *History of the Planetary Systems* p. 336.

ad p. 44,36] »Hæc contra Ptolemæum, Copernicum, et ſi quis alius unquam artifex claruit« K.

ad p. 44,41] »Hinc diſcant ſummi artifices« K.

ad p. 45,8] »Quadringentis Alexandreæ liberalitatis talentis redimendæ meo judicio, ut ab interitu vindicentur, et in publicum exeant« K.

ad p. 45,19] cf. tom. VII pp. 130 et 291 sq.; tom. VI p. 236; tom. V p. 126.

ad p. 45,23] »Matura editionem lucubrationum tuarum: dabitur opera conciliationi« K.

ad p. 45,24] Veneris Apogæum posuit Ptolemæus (*Synt.* X 1 p. 299 Heiberg) pro A. D. 140 in ♉ 25°. Hoc servavit Copernicus (*De revolut.* V 20 p. 365 ed. secul.), longitudinem afferens 48° 20′; nam more suo a γ Arietis, cujus longitudinem Ptolemæus esse vult 6° 40′, longitudinem numerat. Æquantis eccentricitatem Ptolemæus (X 2 p. 302 Heiberg) reperit 1° 15′ ($e = 0.04166$), Copernicus vero 0.0350 (ibid. p. 369). Quod Tycho multo minorem eccentricitatem sese reperisse ait, »Hæc ſunt pro me« addit K.

ad p. 45,30] »Idem etiam per me licet et per libellum meum« K.

ad p. 45,36] »Tycho, ut Terræ quietem relinquat, exiguam hypotheſibus Copernici mutationem attulit« K.

ad p. 45,38] »Quietem Solis, motum Terræ impugnat phyſice, nihil habet, quod aſtronomice objiciat« K.

ad p. 46,2] »Non eſt abſurdum Deum in conditu tantæ molis demonſtraße

ſuam omnipotentiam. Nec Deo mundus magnus eſt, ſed nos mundo parvi. Hic unum habet, quod meæ pro Copernico argumentationi obijciat, ſcilicet imperfectam eße, quod comprehendat tantum ſecunda mobilia, omißa Sphæra fixarum, propter eius in Copernico infinitatem. Atqui, o Tycho, mundanæ formæ intereſt quieſcens a mobilibus tanto intervallo abeße. Nam ſi una proportione comprehendit Deus mobilia cum quieſcente: cur illa moventur, hoc quieſcit? Nonne ad normam motuum convenit diſtributam eße et quantitatem?« K.

ad p. 46,11] »Quilibet ſe amat, ſed hinc vide quanti faciat meam argumentationem« K.

ad p. 46,16] »Non quidem eſt prætereunda, ſed tamen non eſt immiſcenda mobilibus, in hac illis propria ſpeculatione« K.

ad p. 47,1] In libro *De Astronomicis Hypothesibus* (Pragæ 1597) Ursus epistulam Kepleri d. 15 m. Nov. a. 1595 ad se datam publici juris fecerat, in qua summam operis sui, quod vocatur *Mysterium cosmographicum*, quod tunc in manibus habebat, breviter exposuit. Quam epistulam iterum transscripsit J. E. Scheibel, *Einleitung zur mathematischen Bücherkenntniss* III p. 251 sqq. (Vratislaviæ 1787). Invenitur etiam inter Kepleri *Opera* I p. 218 sq.

ad p. 49,6] cf. hujus tomi p. 29,9.

ad p. 50,18] Hic versus (non tamen *ſtrepat*, sed *fremat*) invenitur in effigie Tychonis a. 1597, dum Wandesburgi erat, picta, quæ fuit Hauniæ in bibliotheca regis Friderici III (vid. P. J. Resenii *Inscriptiones Haffnienses* p. 335), nunc duo ejus exstant exempla, alterum Oxonii in bibliotheca Bodleiana, ubi fuit inde ab anno 1752, alterum a. 1876 in Britannia inventum nunc asservatur in specula regia Edinburgensi.

ad p. 50,23] Adscriptum est ante epistulam: »Exemplum literarum Rollenhagii, quas accepi in initio Maij.«

ad p. 51,6] Vid. Cicero *Ad fam.* V 12,3. De Socrate vid. Diog. Laert. II 21.

ad p. 52,10] Ad finem epistulæ post diem adscripsit Mæstlinus: *»Präſentirt von Straßburg* 29 Maij 98.«

ad p. 54,36] In codice Monacensi, qui incipit p. 54,25 et desinit p. 55,23, annotationes inveniuntur a Keplero adşcriptæ (vid. C. Anschütz, *Ungedruckte wissenschaftliche Correspondenz zwischen Johann Kepler und Herwart von Hohenburg* [Pragæ 1886] p. 32 sq.), quas hic subicimus: Ad v. 32. »Cum Mercator inter meridianum Hamburgenſem et Græcenſem 7^{0} circiter gradus ponat, ergo hic incipere debuit h. 4^{0} 42′. At ex Prutenicis tempus proditur hic h. 3^{0} 45′. Differentia 57′. En fidem meæ obſervationis in appendice prognoſtici poſitæ.« — Ad v. 33. »Adeo attenuata eius lux eſt, ut tandem ſub aquoſis exhalationibus circa montes verſantibus mihi evanuerit. Nam etiam propter minorem altitudinem poli citius mihi occidit quam illi, circa medium ſcilicet.« — Ad v. 36. »Additis 28′, prodit tempus Græcenſe h. 10^{0} 20′. Calculus prodit h. 8^{0} 45′. Differentia: h. 1^{0} 35′. Hoc rurſum ad obſervationis meæ fidem pertinet.«

ad p. 55,4] Annotatio Kepleri: »Bene ſcopum attigit Tycho. Vidi medium, ſed raptim inter nubes crebras. Videbatur eße 9 digitorum aut paulo plus, minus ſcilicet ſub 47° gr. latitudinis, quia eclipſis borealis fuit. Hamburgi enim elevatio 53° 35½′.« — Conferantur autem, quæ de hoc calculo ipse disputat Tycho in epistula d. 9 m. Dec. st. n. a. 1599 ad Keplerum data (in hujus tomi p. 210, ubi per incuriam v. 12 pro 98 scripsit 99). Exstat calculus in codice H post observationes deliquii, nos vero eum, ut qui falsus sit, omisimus. Uraniburgi quoque deliquium observatum est; vid. tom. XIII et hujus tomi p. 124,34.

ad p. 55,14] Annotatio Kepleri: »Idem et ego animadverti, Lunæ circulum anguſtiorem circulo ſolari.«

ad p. 55,22] Annotatio Kepleri: »Mæſtlinus ad me ſcripſit, ſe idem iam pridem quoque animadvertiße, non tantum in eclipſibus, ſed etiam quando Luna ſtellam aliquam tegeret.« Cf. tom. II p. 147,4–10; tom. V p. 183,25.

ad p. 59,31] Conferatur epistula Tychonis d. 17 m. Sept. a. 1597 ad Ericum Sparre, vicecancellarium Sueciæ, data, quam in nostro tomo XIV afferemus.

ad p. 59,39] Illa verba, quæ in epistulis inter Tychonem et Rosencrantzium commutatis uncinis quadratis inclusimus, litteris secretioribus scripta sunt, ita tamen, ut in eadem epistula pro unaquaque littera eadem semper substituta sit. In apographis vero, quæ sola nobis nota sunt, semper adscripta sunt verba, quæ debebant intellegi, et apographo epistulæ Rosencrantzii d. 7 m. Mart. a. 1599 datæ adjecta est scheda explicationem notarum continens.

ad p. 60,22] Verba Danica: »Hoc æque bonum est ac cetera omnia; quando hujus pertæsum erit, aliam aliquam oblectationem invenient.«

ad p. 61,1] Verba Danica: »Credat aliquis, Jutum eum esse.« Juti nempe res in majus extollere vulgo dicebantur.

ad p. 61,28] cf. hujus tomi p. 56,38 sqq.

ad p. 61,42] vid. annotat. ad p. 35,4.

ad p. 64,2] *Ranzovianum Calendarium ad elevationem poli 55 Grad.* (Hamburgi in fol.) descriptum est in Kaestneri *Geschichte der Mathematik* II p. 413 sq. Quomodo rex Tychonis elegiam vidisset, etiam Scaligero elegiam mittens hic retulit (vid. *Danske Magazin* II p. 340 [Hauniæ 1746]), et post apographum elegiæ Monachi inter chartas Herwarti asservatum eadem relatio invenitur.

ad p. 64,37] De tertio libro vid. tom. V p. 163 sqq. cum annotat. (p. 327).

ad p. 66,42] vid. tom. V p. 151,26 sqq.

ad p. 67,2] Verba Danica: »Tum videbitis, quam polite rem tractaverim; nam verum dicere non licet.«

ad p. 68,17] Verba Danica: »Sed jam in mundo eo res rediit, ut multum alicui boni faciat, qui nihil mali faciat. Utinam hoc tantum mihi in posterum contingat.«

ad p. 69,18] Pridie Aſcenſ. Domini, i. e. 24. Maii.

ad p. 69,22] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 72,6] Nomen ejus, qui epistulam dedit, non invenitur in apographo; sed Rollenhagium fuisse patet ex epistula, quam attulimus p. 50 sqq.

ad p. 74,12] vid. tom. V p. 122,32–34.

ad p. 75,8] Vergil. *Æn.* II 351 sq.; 325 sq.

ad p. 77,1] Nomen tantum subscripsit Hemmingius.

ad p. 79,23] Prior versus pars ex Vergil. *Æn.* VI 129.

ad p. 84,8] Juvenis est Christianus Iohannis; vid. hujus tomi p. 102,13.

ad p. 84,28] vid. Plutarchi *Themistocl.* 3,4.

ad p. 85,5] Euripidis *Hippol.* 612.

ad p. 85,24] Annum tropicum æstimavit Tycho $365^d\,5^h\,48^m\,45^s$ (tom. II p. 43,14), Alphonsus autem æstimaverat $365^d\,5^h\,49^m\,16^s$ (vid. annotat. ad p. 33,10), Gelâl-ed-dîn (Melik Shah) A. D. 1079 vel $365^d\,5^h\,48^m\,53\tfrac{1}{3}^s$, adjuvantibus viris doctis delectis, quibus præerat Omar el Chaijami (Scaliger, *Opus novum de emendatione temporum* [Lutetiæ 1583] lib. IV p. 196 B; 2. ed. [Lugd. Batav. 1598] p. 287 D. 728 A), vel $365^d\,5^h\,49^m\,15^s$, teste Ulugh Beg (F. K. Ginzel, *Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie* [Lipsiæ 1906] I p. 301), vel $365^d\,5^h\,48^m\,49^s$ (Sédillot, *Matériaux pour servir à l'histoire des sciences mathématiques chez les Grecs et les Orientaux* [Parisiis 1845] I p. 288), Ptolemæus denique $365^d\,6^h$ subtracta trecentesima parte unius diei, i. e. $365^d\,5^h\,55^m\,12^s$ (*Synt.* III 1 p. 208 Heiberg).

ad p. 85,26] vid. Ptolemæi *Synt.* VII 2 p. 14 Heiberg. At hic non legitur $3^0\,30'$, sed $3^0\,3'$ Piscium (editio Latina 1515: »in tribus partibus piscis,« 1528 et 1551: »gradus 3.3 proxime«).

ad p. 85,29] vid. Ptolemæi *Synt.* III 7 p. 257 Heiberg. At Solem ponit non in $3^0\,20'$, sed in $0^0\,45$ Piscium (et sic etiam editiones Latinæ). In opere suo (lib. V p. 214 C ed. primæ) diem solum affert Scaliger (Feb. 26, feria quarta), addit vero: »in cuius meridie Sol quædam scrupula Piscium ingredi incipiebat, teste Ptolemæo«; hanc tamen additionem in secunda editione omisit (p. 368 C).

ad p. 85,35] vid. Ptolemæi *Synt.* III 1 p. 203 sqq. Heiberg et annotat. ad p. 85,24.

ad p. 86,31] Librum Ptolemæi Φάσεις ἀπλανῶν ἀστέρων edidit Petavius in *Uranologio* (Lutetiæ 1630), et invenitur etiam in ejusdem *Doctrina temporum* (tom. III, Antwerpiæ 1703). Postea ediderunt Halma (tom. III, Parisiis 1819) et Heiberg inter Ptolemæi *Opera* (tom. II, Lipsiæ 1907).

ad p. 87,13] Ait Hesiodus (*Opp. et dies* v. 564 sqq.), ver incipere ab ortu acronychio Arcturi, quando post Solis occasum illa stella primum conspiciatur, 60 diebus post solstitium hibernum. Hoc autem posuit Scaliger in d. 7—8 Jan. (»Epocha enim brumalis vetus erat in VII et VIII Januarii« *De emend. temp.* p. 385 B ed. sec., non in prima ed.); unde sequitur, ut Hesiodi tempore Arcturi ortus vespertinus in d. 8 m. Mart. ponendus sit. At ignoratur, quem annum respexerit Hesiodus, quod non certo constat, num proprio sensu accipiendus sit numerus 60, nec certius est, quantum tempus post Solis occasum Arcturus per crepusculum occultus fuerit. Illud vero nemo negabit, prave Scaligerum

solstitium posuisse in d. 7—8 Jan. calendarii Juliani, cum Hesiodus non ante annum 850 vivere potuerit, qua ætate solstitium erat in d. 29 fere Dec. cal. Jul.

ad p. 88,7] Adscripsit Rosencrantzius: »Recepi 19 Auguſti Malmogiæ.«

ad p. 88,22] Verba Danica: »Ceterum aliter promissum erat; si recte circumspicio, cancellarius alter cum altero colludit; nam corvus alter alteri oculum non effodit.«

ad p. 88,28] Verba Danica: »Etiamsi aliquis pecuniam mihi addere vellet, ut fit in mutationibus.«

ad p. 90,6] Respicit librum Philippi de Marnix *De Byencorf der H. Roomsche Kercke* (1569 et sæpius). Cf. p. 99,32.

ad p. 90,19] »Heu tam . . .«: Vergil. *Æn.* I 568.

ad p. 90,31] Verba Danica: »Ut tamquam fabula vesperi legi possit.« — In sequentibus: »Fortasse vetus ille . . . non desinet . . . antequam ex inferis exsurget et miracula faciet.«

ad p. 90,41] In margine apographi hæc addita sunt: »al. manu: ſalſe reſpondet; λόγοι καθόλου κενοί, illi præſertim, qui abſque mundo philoſophari nequit.«

ad p. 91,4] Verba sunt Horatii (*Carm.* III 3,7–8) nonnihil mutata.

ad p. 91,28] Verba Danica: »Detrimentum et fenus addituros se esse.«

ad p. 92,5] »Ut pulchra . . .«: Vergil. *Æn.* I 75.

ad p. 93,8] Verba Danica: »Quomodo igitur Accius egeat?«

ad p. 93,25] Versus allati sumpti sunt e carmine, quod inscribitur »Germania Daniæ sorori«, quod Tychoni e Dania proficiscenti scripsit »quidam nobilis Germanus«. Invenitur in compluribus collectionibus manu scriptis carminum Tychonis et ad illum scriptorum.

ad p. 93,31] Verba Danica: »Recte sane res se haberet, si nemo hoc pejor esset.« — »Et magna gratia est hoc tempore.«

ad p. 94,11] Verba Danica: »Si præclarus . . . etiamnum sederet Augustæ in nosocomio inter mente captos, unde 18 coronis olim eum exsolvi . . . tam diu ibi sedere deberet, quoad librum ex memoria recitare et fortasse devorare posset, ut ita sanus fieret, antequam iterum eum exsolverem.« — V. 17: »omnes homines probi.«

ad p. 94,31] cf. *Iob* 21,7 sqq.

ad p. 94,38] Verba Danica: »Non recte de lucro gloriari oportebat, antequam mercatus habitus esset.«

ad p. 95,3] Verba Danica: »Jam enim tempus est de hominibus probis loqui et ceteros missos facere.«

ad p. 95,15] Verba Danica: »Ut quibusdam Danis imputari debet, ut ita vocentur.« — Laudat Tychonis æquinoctiorum observationes Scaliger *De emend. temp.* p. 728 (ed. 1598).

ad p. 96,3] Verba Danica: »Credat aliquis, vestratem eum esse« (i. e. Jutum; cf. p. 61,1 cum annotat.).

ad p. 97,14] Verba »reliquos inglorius annos« pars sunt versus ipsius Tychonis (tom. I p. 14,40).

ad p. 97,32] cf. Taciti *Agric.* 42: »Proprium humani ingenii est odisse quem læseris.«

ad p. 99,20] cf. Ovidii *Trist.* I 3,16: »Qui modo de multis unus et alter erant.«

ad p. 99,32] vid. annotat. ad p. 90,6.

ad p. 101,9] Vergilii *Georg.* IV 176.

ad p. 101,13] Scaliger *De emend. temp.* p. 728 D (ed. 1598) tabulam exscribit, quam præbet Tycho tom. II p. 15,32.

ad p. 102,1] Tria æquinoctia observaverat Ptolemæus, A. D. 132 Sept. 25 H. 2 P. M. (temp. med. Alex.), 139 Sept. 26 H. 7 A. M., 140 Mart. 22 H. 1 P. M., sed omnia justo serius, primum $32^h\ 0^m$, secundum $31^h\ 7^m$, tertium $18^h\ 20^m$. Error igitur medius $27^h\ 9^m$, qui respondet errori in Solis media longitudine $1^\circ\ 7'$. Hæc causa est, cur in Ptolemæi catalogo longitudines stellarum uno fere gradu vel paulo plus justo minores sint, ut jam perspexerat Laplace (vid. Dreyer, *On the origin of Ptolemy's Catalogue of Stars, Second paper,* in *Monthly Notices of the R. Astronomical Society* vol. 78 [1918] p. 343 sqq.).

ad p. 102,14] Respicit librum, qui inscribitur *Hipparchi Bithyni in Arati et Eudoxi Phænomena Libri III ed. Petrus Victorius* (Florentiæ 1567). Recentissima hujus editio est Caroli Manitii (Lipsiæ 1894).

ad p. 102,21] Tychonis tempore una sola editio Latina erat operis Albategnii, quod vertit Plato Tiburtinus: *Alfragani Rudimenta astronomica, item Albategnii liber de motu stellarum* (Norimbergæ 1537). Nostris temporibus Arabice et Latine edidit C. A. Nallino: *Al Battani sive Albategnii Opus Astronomicum* (3 partes, Mediolani 1899—1907).

ad p. 103,2] Loquitur de illa, quam falso admittebant quidam, »trepidatione æquinoctiorum«. Rejecit eam Tycho tom. II p. 255,41; at anno 1588, quando scripsit verba tom. II p. 33,22 sqq., nondum rejecerat, etsi minoris, quam antea solebant homines docti, eam æstimabat.

ad p. 103,33] vid. annotat. ad p. 86,31.

ad p. 106,8] Hoc exemplum nunc Lugduni Batavorum asservatur (tom. III p. 411).

ad p. 107,19] Ovidii *Fast.* III 111 sq. (cf. tom. IV p. 424,24).

ad p. 108,10] Hoc loco hæc addunt duo codices Haunienses: »De patre eius, qui adhuc ſuperſtes eſt, nec minus in Poëſi excellit, tale quid ſperare non auſim, ex quo nulla mihi cum eo per literas intercedit familiaritas, et gravioribus Reipub. negotijs magiſque ſerijs ſtudijs diſtineatur. A te, qui omnium optime poßes, tale quid ſperare pudor vetat.«

ad p. 109,3–10] Pro his verbis (»et aut . . . attenderit«) hæc præbent duo codices Haunienses: »Et ſi intellexero Illuſtres Bataviæ Ordines, liberalium artium alias promotores liberales, hæc quæ tracto Aſtronomica exercitia hoſpitio ſuo excipere et ijſdem competenter providere non averſaturos, iſthuc ire to-

tumque Apparatum Aſtronomicum eo conferre non gravabor. Locutus eſt de his cum Illuſtrißimo Principe MAURITIO noſter etiam TENGNAGLIUS, tum quoque BARNEVELDIO, qui ſe Ordinibus ea expoſituros in ſe receperunt; præſertim vero MAURITIUS, cui duo illi libri, quos tecum nunc communico, tum quoque oblati ſunt, qui etiam ad me admodum clementer et humaniter reſcripſit, ſuamque operam in me promovendo addixit. Sed intellexi, te referente, illorum conſilia lenta eße. Quare, ſi res ita ceciderit, ut illos animes atque promptiores hac in re tua adhortatione efficias (quemadmodum te factuꝛum ultro recepiſti) rogo.«

ad p. 109,17] Diem præbet 17 Aug. codex Monacensis; hic vero secuti sumus Haunienses; nam dies poſterior 23 ille esse videtur, quo epistula ad finem perducta est.

ad p. 111,1] In margine apographi hæc adscripta sunt: »At unde hoc divinare poterat?«

ad p. 112,42] Horatii *Epist.* I 11,27.

ad p. 113,34] Verba Danica, quæ uncinis incluſimus, in margine adscripta sunt; sic autem interpretanda sunt: »Nisi ita res se habet, ut legem Juticam tenere — sive ipse retinere vis, quæ sunt promissa, ita ut alteri nihil eorum obtingat. Debebas utique certiorem facere, ne frustra expectandum esset.«

ad p. 116,12] Theocrit. *Idyll.* 12,3–4.

ad p. 117,1] Vergil. *Æn.* IV 481 sq. (»ubi maxumus Atlas axem humero torquet stellis ardentibus aptum«).

ad p. 117,5] Manilii *Astron.* I 41 sq.

ad p. 117,18] Sosigenes Ægyptius (i. e. Græcus Alexandrinus) ad calendarium reformandum Julio Cæsari opem tulit (Plinii *Nat. Hist.* XVIII 25,211). Quare »minus honorifice a quibusdam habitus« sit, nescimus. — »Deo duce et auſpice Chriſto«: cf. Horat. *Carm.* I 7,27.

ad p. 118,25] De hac epistula cf. Ant. Favaro, *Ticone Brahe e la corte di Toscana* in *Archivio storico italiano* ser. 5, tom. III (Florentiæ 1889).

ad p. 120,20] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 120,32] vid. tom. V p. 127 cum annotat. ad v. 23.

ad p. 124,35] cf. tom. V p. 183,8 cum annotat.

ad p. 125,12] De negotio illo secreto cf. huius tomi p. 250. — Ad finem hujus epistulæ hæc adscripta sunt: »Te, eruditißime Domine Ioannes Ant. Magine, ego Melchior Iöſtelius Dreſdenſis, Mathematicus Profeßor Wittembergenſis, officioſe ſaluto«.

ad p. 127,41] »infringet dentem ſolido«: cf. tom. VI p. 336,1; VII p. 340,31.

ad p. 128,9] Verba Danica: »æquumne sit tantum detrimentum frustra me accipere.«

ad p. 131,19] Charta apographi nonnullis locis lacera est.

ad p. 133,5] Partem hujus epistulæ exscripsit Petrus Gassendus (*Tychonis Brahei Vita* p. 183 sq. ed. Paris).

ad p. 137,21] Vergil. *Georg.* I 199 sqq.

ad p. 138,26] »Me mortuo . . .«: Verba tragici alicujus Græci Græce affert Suetonius in *Vita Neronis* 38. — Versus sumpti sunt ex *Octavia* tragœdia (quæ fertur inter Senecæ tragœdias) v. 832 sq.

ad p. 139,17] cf. Paulus 1. *ad Tim.* 3,2 sqq. ac paulo infra *Act. apost.* 4,32; 2,42. 47.

ad p. 141,18] Annus addi potuit, quia Henricum Rantzovium (p. 139,41 sqq.) d. 31 m. Dec. a. 1598 obiisse constat.

ad p. 141,19] In hac epistula edenda Hanschium solum sequi nobis licuit, quia non ut ceteræ ab illo editæ inter chartas Kepleri in codice Vindobonensi lat. 10702 reperitur.

ad p. 143,1] Loquitur de Ursi libro, qui inscribitur *Fundamentum astronomicum* (Argentorati 1588), non de libello illo famoso *De Astronomicis Hypothesibus* (Pragæ 1597).

ad p. 144,39] Epistula scripta est m. Februario a. 1599; nam d. 26 hujus mensis Mæstlino exemplum transscriptum misit Kepler (Kepleri *Op.* I p. 220).

ad p. 146,21] De observatione Saturni a. 1570 Augustæ Vindelicorum facta vid. tom. V p. 246,30; 249,28; 256,15; tom. X pp. 30 et 319.

ad p. 146,35] Hagecii causa in hac epistula novum stilum sequitur Tycho, qui alias semper, donec Bohemiæ fines transgressus est, vetere utitur.

ad p. 148,9] vid. hujus tomi p. 136,37.

ad p. 149,21] Data est hæc epistula d. 7 m. Mart.; nam Tychonis epistulæ d. 31 m. Dec. a. 1598 datæ adscripsit Rosencrantzius: »Receptæ 27 Ianuarij. Reſpon. 7 Martij.« Eadem est epistula, quam »circa æquinoctium vernum« datam esse ait Tycho (p. 154,8).

ad p. 150,26] Hæc est æquatio annua Lunæ; cf. hujus tomi p. 161,37 et tom. II p. 101,41.

ad p. 152,7] cf. tom. II p. 235 sq.

ad p. 153,24] Sumpta est epistula ex libro, in quem Bongarsius epistulas a se missas intulit.

ad p. 155,35] Adscripsit Rosencrantzius post inscriptionem: »Accepi 2 Auguſti.«

ad p. 157,20] vid. annotat. ad p. 351,39.

ad p. 160,23] Mercurium et Venerem suo lumine lucere contenderat Al Betrugi; vid. Alpetragii Arabis *Planetarum Theorica* (Venetiis 1531) fol. 21r. Copernicus autem (*De revolut.* I 10 p. 26 ed. secul.) de iis, qui orbitas Mercurii et Veneris inter Lunam et Solem esse volunt, sic verba facit: »Non ergo fatentur (»fatemur« ed. prima sola) in stellis opacitatem esse aliquam lunari similem, sed vel proprio lumine vel solari totis imbuto corporibus fulgere, et idcirco solem non impediri, quod sit eventu rarissimum, ut aspectui solis interponantur, latitudine plerumque cedentes.«

ad p. 161,8] cf. tom. V p. 254 sq.

ad p. 161,$_{19}$] cf. tom. II p. 121 sqq.; V p. 111,$_{27}$; XI p. 162.

ad p. 162,$_{22}$] vid. tom. V pp. 163 sqq. et 327.

ad p. 168,$_{38}$] Supplevimus collato p. 179,$_{2}$, ubi versus reperitur hexameter.

ad p. 170,$_{6}$] »quæ meminiße . . .«: cf. Vergil. *Æn.* II 12.

ad p. 174,$_{22}$] cf. *Opus Palatinum de Triangulis* a Georgio Rhetico *cœptum: L.* Valentinus Otho *consummavit* (Neostadii 1596). Reperiuntur ibi tabulæ trigonometricæ ad decima quæque scrupula secunda supputatæ, positu sinu toto 10000000000.

ad p. 174,$_{29}$] Homeri *Iliad.* XIX 108; *Odyss.* IV 253 et sæpius.

ad p. 180,$_{13}$] Qui Velleio in historico officio successit, fuit Nicolaus Cragius (cujus nomen pro »is« v. 11 substituit Casseburg et addunt in margine codices manu scripti), ipse quoque amicus Tychonis, quocum litteras sæpius commutavit. Nihil tamen aliud dicere voluisse Cragius videtur, quam cum obitu regis Friderici II (1588) historiæ suæ finem sese facturum esse. Ad v. 14 addunt in margine codices: »D. Petrus Severini.«

ad p. 180,$_{16}$] Verba Danica: »Sæpe alter alteri bene facit, etiamsi male consulit, ac fraus ipsa sibi nocet.« — v. 27: »Fieri potest sine jactura.«

ad p. 185,$_{3}$] De Duncano Liddelio vid. hujus tomi p. 37 sqq. cum annotat. ad p. 37,$_{32}$.

ad p. 185,$_{41}$] cf. tom. III p. 236,$_{34}$.

ad p. 189,$_{26}$] vid. Ovidii *Fast.* IV 169 sqq., quos versus affert Tycho tom. III p. 257,$_{19-28}$; cf. tom. II p. 320,$_{22}$.

ad p. 190,$_{6}$] Manu sua adumbravit Maginus.

ad p. 191,$_{20}$] Tota epistula ipsius Fabricii manu scripta est; caret autem die et subscriptione. Insuta est in observationum codicem H post observationes a Fabricio ad Tychonem missas, quarum ultimæ factæ sunt d. 3 m. Nov.

ad p. 191,$_{26}$] vid. tom. VI p. 79,$_{19}$.

ad p. 192,$_{33}$] Ovidii *Fast.* III 394.

ad p. 195,$_{27}$] vid. tom. II p. 234 sqq.

ad p. 195,$_{37}$] vid. tom. II p. 237 sqq.; p. 246,$_{35}$; cf. tom. I p. XLVII.

ad p. 196,$_{22}$] Alibi (tom. V p. 269) ponit

Apogæum ♂	in	23°	40′	♌
Lat. max. bor.	in	17	0	♌
		6	40	

ad p. 196,$_{32}$] cf. tom. V p. 254,$_{28}$.

ad p. 197,$_{2}$] Alibi (tom. V p. 255,$_{15}$) limitem boreum ♃ ponit in 6½° ♎.

ad p. 197,$_{20}$] Asraëlis, i. e. Al Zarkali (Latine Arzachel).

ad p. 197,$_{27}$] De Prophatio atque obliquitate Eclipticæ vid. tom. V p. 332 (annotat. ad p. 229,$_{8}$).

ad p. 198,$_{13}$] vid. tom. II p. 253 sqq. et annotat. ad hujus tomi p. 103,$_{2}$.

ad p. 198,$_{29}$] Tycho invenerat $365^d\ 5^h\ 48^m\ 45^s$; vid. annotat. ad p. 85,$_{24}$.

ad p. 198,$_{42}$] vid. tom. II p. 29 sqq.

ad p. 199,20] De tabulis Tychonis Solis ac Lunæ cf. hujus tomi p. 162,6 et 173,36. Inveniuntur in *Progymnasmatis* (tom. II p. 46 sqq. et p. 102 sqq.), sed cum hæc epistula scripta est, nondum absoluta erat appendix de motu Lunæ.

ad p. 200,25] »dum regnum Uraniæ . . .«: cf. tom. V p. 104,24 cum annotat. — Quod 10 vel 12 studiosos sese sustentasse contendit, numerum auxit fortasse (tom. V p. 109,22: »accitis pluribus studiosis«).

ad p. 201,17] vid. hujus tomi p. 143,1 cum annotat.

ad p. 201,27] cf. tom. V p. 121,34 cum annotat.

ad p. 201,37] vid. tom. I pp. 297 sqq. et 318 sqq.

ad p. 202,3] Quæ leguntur ab hoc loco usque ad v. 28 (». . . inter alia«), omittit apographum Langebekianum, quod v. 28 pro »intellexiße« præbet »Intellexi olim«; omittit etiam verba a v. 40 ad p. 203,21.

ad p. 202,10] Exemplum Mechanicorum coloribus pictum, quod Herwarto misit Tycho, nunc asservatur Monachi in Bibliotheca Universitatis.

ad p. 202,41] cf. J. Mayer, *Der Astronom Cyprianus Leovitius (1514—1574) und seine Schriften* (*Bibliotheca mathematica* ser. 3 vol. IV pp. 134—159). Additus est ad finem index novem librorum ejus manu scriptorum, qui nunc in Bibliotheca Vindobonensi asservantur, quorum plerique Georgio Fuggero dedicati sunt. Omnes e Tabulis Alphonsinis supputati esse videntur. Quæ vocantur »Tabulæ directionum reſolutæ« sunt fortasse codex Vindobonensis lat. 10697.

ad p. 203,24] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 204,20] vid. tom. VI p. 61,41.

ad p. 204,23] vid. tom. VI p. 179 sq.

ad p. 204,36] vid. tom. V p. 121,34 cum annotat.

ad p. 205,31] Hic primum disertis verbis asserit Tycho, anno 1584 systema a se inventum esse; cf. tom. IV p. 156,1 cum annotat.; tom. V p. 115,10; tom. VII p. 130,34; p. 199,32.

ad p. 206,3] cf. hujus tomi p. 37 sqq.

ad p. 206,38] Franciscus Patritius edidit librum, qui inscribitur *Nova de Universis Philosophia libris L comprehensa* (Venetiis 1593). Terram singulis diebus circumvolvi ille quidem concedit, at motum ejus rejicit, ac Tychonem sphæras solidas esse arbitratum esse, inepte contendit. Cf. Kepleri *Apologia Tychonis contra Ursum* (*Op.* I p. 247).

ad p. 210,12] Pro 99 scribendum fuit 98. Erravit ipse Tycho vel ejus amanuensis.

ad p. 210,23] Hoc deliquium Hvenæ observatum est; vid. hujus tomi p. 54,34 et p. 124,34.

ad p. 210,28] Crameri epistula ad Rosencrantzium reperitur in hujus tomi p. 37 sqq.

ad p. 210,37] Hoc testimonium Michaelis Walteri, scribæ Erici Langii, affinis Tychonis, editum est inter Kepleri *Opera* I p. 230 sq., ubi pro »Buig-

holm(?)« legendum est »Bygholm«, quæ arx erat regia prope Horsnesiam in orientali Jutia sita, cujus præfectus erat Ericus Langius. Quomodo Hvenæ se gesserit Ursus, Tycho ipse narrat tom. VII p. 322.

ad p. 211,1] Epigrammata edita sunt ab Hanschio inter Kepleri epistulas p. 117 sq. et in nostro tomo IX locum tenebunt.

ad p. 214,19] Rex Poloniæ erat Sigismundus III (1587—1632), nepos Gustavi, regis Sueciæ, e gente Vasa. Regnum Sueciæ hereditate accepit a. 1592, sed cum fidei catholicæ faveret, patruus ejus Carolus procurator regni creatus est. Sigismundus autem, postquam armis regnum obtinere frustra conatus est (1598), in Suecia potestate regia expulsus est (1600), tandem vero Carolus (numero IX) rex creatus est (1604—1611).

ad p. 215,10] Nomen tantum subscripsit Tycho. Ad quem scripta sit epistula, ex ipsa non patet; si vero v. 22 cum tom. VII p. 327 sqq. comparatur, res manifesta fit.

ad p. 216,15] Tota epistula, quam expressimus, ipsius Riddershusii manu scripta est.

ad p. 221,23] Ipsius Henniochi manu.

ad p. 222,18] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 224,33] cf. tom. II p. 25,10; tom. V p. 221,2.

ad p. 224,35] cf. tom. V p. 226,15.

ad p. 226,14] Adumbravit amanuensis Tychonis.

ad p. 228,21] »Nobis hæc otia fecit«: Vergil. *Ecl.* 1,6.

ad p. 229,1] Adumbravit amanuensis Tychonis; partem epistulæ exscripsit Maginus in *Tabulis Primi Mobilis.*

ad p. 229,16] Hinc usque ad p. 230,29 omisit Maginus; quare desunt etiam apud Antonium Favaro, *Carteggio* p. 418.

ad p. 229,39] cf. Horat. *Epist.* I 1,32.

ad p. 230,7] Manilii *Astron.* I 41 sq.

ad p. 230,18] Cancellarius erat Christianus Friis, Aulæ magister Christophorus Walkendorf. Quod tam severe de iis judicat Tycho, memoria tenere oportet, nobis non licere alteram partem audire.

ad p. 232,10] Ipsius Felsi manu.

ad p. 234,1] Adumbravit amanuensis Tychonis.

ad p. 236,24] Adumbravit amanuensis Tychonis.

ad p. 238,1] Adumbravit amanuensis Tychonis. De Bochazio cf. tom. V pp. 228 et 331.

ad p. 239,23] Pars horum Postscriptorum exscripta est inter Kepleri *Opera* VIII p. 715, ubi dies indicatur 20 Jan., ut in epistula, quæ sequitur.

ad p. 240,26] Adumbravit amanuensis Tychonis. Ad quem scripta sit epistula, non patet; licet suspicari, fuisse Johannem Barvitium.

ad p. 242,1] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 244,16] Adumbravit amanuensis Tychonis.

ad p. 246,1] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 247,22] Ipsius Hoffmanni manu. Edidit et lucis ope expressit Fr. Burckhardt, *Zur Erinnerung an Tycho Brahe 1546—1601* (*Anhang zum dreizehnten Bande der Verhandlungen der naturforschenden Gesellschaft in Basel.* 1901).

ad p. 248,26] Adumbravit amanuensis Tychonis.

ad p. 250,7] Adumbravit Maginus ac postea publice edidit in *Tabulis Primi Mobilis;* ulterior tamen epistulæ pars a p. 253,34 in his solis reperitur.

ad p. 251,5] Respicit *Herone Alessandrino degli Automati overo Machine se moventi. Libri due tradotti dal Greco da* B. Baldi (Venetiis 1589). Rectius igitur scripsisset Maginus »ſe moventibus«. Baldi *Vite di matematici* numquam integræ editæ sunt. Epitome sola edita est in *Cronica de' matematici overo epitome dell'istoria delle vite loro. Opera di* Bernardino Baldi (Urbini 1707). Præterea 13 vitæ Arabum editæ sunt in *Bullettino di bibliografia e di storia delle scienze matematiche e fisiche* (ed. Boncompagni) V p. 427 sqq., 52 vero vitæ Italorum ibid. XIX p. 335 sqq.

ad p. 252,14] cf. Tychonis responsio in hujus tomi p. 394 sqq.

ad p. 254,9] vid. Ptolemæi *Synt.* VIII 6 p. 198 sqq. Heiberg (de stellis fixis) et XIII 7 p. 590 sqq. (de planetis).

ad p. 254,21] Adumbravit amanuensis Tychonis.

ad p. 256,13] Adumbravit amanuensis Tychonis. Scripta est fortasse epistula ad Johannem Barvitium.

ad p. 257,15] Adumbravit amanuensis Tychonis. In eodem codice (foll. 28—29) prius invenitur exemplum, quod paululum ab hoc differt et datum est d. 4. Martii.

ad p. 257,29] vid. hujus tomi p. 136 sq. Inde perspicuum est, ad Corraducium scriptam esse hanc epistulam; nam nomen deest.

ad p. 259,10] Adumbravit amanuensis Tychonis. Cui viro nobili hic et p. 261 Tengnaglium commendet, divinare non possumus.

ad p. 261,1] Adumbravit amanuensis Tychonis.

ad p. 261,39] Epistula Tychonis ad Scaligerum data invenitur in hujus tomi p. 151 sqq.; altera (p. 262,10) in hujus tomi p. 187 sqq.

ad p. 263,4] Scaligeri *De æquinoctiorum anticipatione diatriba, nunc primum edita,* prodiit demum Lutet. Paris. a. 1613, licet Lalande (*Bibliographie astronomique* p. 110) priorem editionem anni 1580 fuisse contendat. At in secunda editione *Operis de emendatione temporum* (1598) p. 266 C—267 D miras suas opiniones adumbraverat Scaliger: »Stella illa, quæ est in cauda Cynosuræ, a veteribus credita est esse polus mundi arcticus: neque immerito. Nunquam enim nobis moveri ne minimum quidem videtur.« Maginus autem edidit *Confutationem diatribæ Ios. Scaligeri de æquinoctiorum præcessione* (Romæ 1617).

ad p. 264,26] Ipsius Franzii manu.

ad p. 265,11] Dominica Lætare est quarta Quadragesimæ, illo anno d. 2 Mart. st. vet.

ad p. 265,17] Ipsius Monavii manu.

ad p. 266,41] cf. *Deuteronom.* 30,20; *Act. apost.* 17,28 (ubi Aratus respici videtur).

ad p. 267,11] Ipsius Melissi manu.

ad p. 268,17] In oda Crameri (quæ in exemplis satis multis inter chartas Tychonis exstat) inveniuntur hi versus: »Parumne quod Turcûm poples Panoniæ | jacere pulvillis amat?« et »Indulge clemens hospiti«.

ad p. 268,22] Ipsius Fischeri manu.

ad p. 269,9] Lucretii *De rerum natura* III 1031.

ad p. 269,32] Vergil. *Æn.* VI 129 sq.

ad p. 269,38] Versus Fischeri (hi quoque inter chartas Tychonis) tales sunt: »Dum mare velivolum, tellus dum stabit, et axe | volventur astra cœlitus gemino aurea.«

ad p. 272,1] Post ea, quæ inter Keplerum et Tychonem acta sunt (vid. annotat. ad p. 297,36) hoc fragmentum epistulæ addidit Kepler, his suprascriptis: »Copia partis literarum Tengnaglii ad Tychonem.« Dies non certo constat.

ad p. 273,37] Verba Danica: »Ita mihi nunc huc relatum est.« — Verba sequentia »Hinc ... reſignare« in margine adscripta sunt; antea autem hæc scripta fuerunt, quæ deleta sunt: *»ligeſom thillforn udi Danmarch i Kong Frederichs thiid* (i. e. sicut antea in Dania tempore regis Friderici), licet hic Cæſar ſatis ſit taciturnus, et libenter ferat admonitiones utiles, bona intentione ſecrete indicatas. Ideoque clementißime cupit, ut ſubinde illi ſcribam, nec licet cuipiam conſiliariorum meas reſignare literas, quod tamen alias utplurimum ipſis licet. Exiſtimant ſuperſtitioſi homines me Aſtrologicis ſignificationibus occupari, ideoque multa eorum, quæ eveniunt, a me præviſa ſomniant, cum ego graviora certioraque moliar: ego vero tales ineptias rideo.«

ad p. 274,35] Epigrammata illa sunt, quæ edidit Hanschius inter Kepleri epistulas p. 118; cf. hujus tomi p. 211,1 cum annotat.

ad p. 275,11] vid. hujus tomi p. 50,18 cum annotat.

ad p. 276,13] Michaelides (Danice *Mikkelsen*) videtur esse Ioannes M., rector scholæ Soranæ.

ad p. 277,12] Ovidii *Art. amat.* II 13; cf. tom. IV p. 420,15 et hujus tomi p. 289,3.

ad p. 281,3] »Multa cadunt ...«: notum proverbium Græcum: πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

ad p. 283,14] Charta illa est, quam exscripsimus p. 284,31—286,26.

ad p. 284,31] In ejusdem codicis fol. 87 prius invenitur exemplum hujus relationis.

ad p. 286,22] *Psalm.* 18,2.

ad p. 288,22] Scripta videtur hæc epistula ad Christophorum Sturcium; cf. hujus tomi p. 375 sq.

ad p. 289,3] Ovidii *Art. amat.* II 13.

ad p. 289,10] Scriptam esse hanc epistulam ad Christophorum Henniochum, perspicere licet ex hujus epistula p. 221 sq. allata.

ad p. 291,36] Verba supra allata sunt p. 213,14 sqq.

ad p. 292,38] Dies est 1 Apr. st. nov.

ad p. 293,1] Ex libro, in quem Herwartus epistulas a se missas intulit.

ad p. 295,29] Hæ observationes eclipsium annorum 1581—1600 inter observationes Tychonis annorum 1600—01 in codice I (Haun. Ant. Coll. Reg. 318 in 2°) insutæ sunt (fol. 157). Adjectæ sunt annotationes Tychonis.

ad p. 296,1] Hoc Kepler declarasse videtur inter colloquia, quæ eo ipso die, 5 Apr., cum Tychone habuit, eo consilio, ut conditio ejus inter socios Tychonis certo definiretur (cf. Kepleri *Opera* VIII pp. 721—725). Tum vero nihil confectum est, et postero die Kepler Benachiam reliquit.

ad p. 297,1] Edita est hæc epistula inter Kepleri *Opera* VIII p. 728 sq.

ad p. 297,37] Sequitur in codice (foll. 126a—127) explicatio »Quibus conditionibus in Tychonis gratiam in Bohemiam cum uxore concedere cogitem« (Kepleri manu; edita est inter ejus *Opera* VIII p. 723 sqq.); adjectæ sunt ad unumquodque caput annotationes Tychonis (fol. 128^r; Kepleri *Opera* VIII pp. 725—727).

ad p. 298,1] Pars hujus epistulæ edita est inter Kepleri *Opera* VIII p. 728.

ad p. 300,1] Ex libro, in quem Herwartus epistulas a se missas intulit.

ad p. 301,1] cf. Ant. Favaro, *Ticone Brahe e la corte di Toscana.*

ad p. 302,27] Io. Virdungi Hasfurdii *Tabulæ resolutæ* prodierunt Noribergæ 1542 (in 4°). Folia sunt 62, quorum 41 »Canonem« continent. Sequitur in foll. 42—44 Catalogus Stellarum ad annum 1526 ex Alphonso verificatarum. Denique Tabulæ, quarum numeri sunt Alphonsi; Anni collecti sunt 1508, 1528, 1548 usque ad 1628.

ad p. 302,30] Copernici *De triangulis* liber prodiit Wittebergæ 1542 et receptus est in opus *De revolut.* I 13.

ad p. 304,23] Quomodo verba »magni ſunt roboris« cum antecedentibus conjungenda sint, dubium est.

ad p. 305,30] Edita est hæc epistula inter Kepleri *Opera* VIII p. 729 sq. Hac scripta in gratiam cum Tychone rediit; cf. hujus tomi p. 324.

ad p. 309,15] Hoc exemplum »Stellarum inerrantium restitutionis« nunc est codex Vindobonensis lat. 10705.

ad p. 311,1] Nomen tantum subscripsit Tycho. Edita est epistula inter Galilæi *Opera* X p. 79 (ed. nat.).

ad p. 313,7] Fieri potest, ut pro »4 die« rectius legatur »9 die«; cf. hujus tomi p. 350,38.

ad p. 313,39] De exemplo »Stellarum inerrantium restitutionis« cf. tom. III p. 411. — Batavus, de quo loquitur, est Will. Janson Blaev, qui Hvenæ fuerat hieme annorum 1595—96.

ad p. 318,11] Ipsius Bongarsii manu.

ad p. 319,2] Scripta est fortasse ad Rudolphum Corraducium.

ad p. 323,34] Horatii *Epist.* I 1,32.

ad p. 324,5] Utrumque exemplum, alterum inter Kepleri, alterum inter Tychonis chartas, sigillo instructum et Tychonis manu subscriptum est. Cf. Kepleri *Opera* VIII p. 730 sq.

ad p. 325,5] Ipsius Monavii manu.

ad p. 327,1] Ipsius Rollenhagii manu.

ad p. 330,18] Papa est oppidum Ungariæ, 100 fere km ab occidentali parte Buda-Pestini.

ad p. 332,13] »Trahit ſua quemque voluptas«: Vergilii *Ecl.* 2,65.

ad p. 333,23] Martial. *Epigr.* VIII 18,10 (cf. tom. VI p. 26,14).

ad p. 335,1] Schedæ illius transscriptio reperitur in Diplomatario Langebekii cum epistula conjuncta; continet vero has duas epistulas.

DEM DURCHLEUCHTIGENN HOCHGEBORNEN MATTHIASENN ERTZHERTZOGENN ZU OSTERREICH HERTZOGENN ZU BURGUNDT, STEYER, KHÄRNDTEN, CRAIN VNND WIERTTENBERG, GRAUEN ZU TYROLL, VNSERM FREUNDTLICHEN GELIEBTEN BRUDER VNND FÜRSTENN.

RUDOLFF.

DURCHLEUCTIGER, was ann vnß FRIDERIGH ROSENNKRANTZ, in dem das wir ſeinn Perſohn Eur: L. zu ainnen auffwartter oder andern weittern Befurderung jhn kriegsdienſten recommendirn wollen, vnderthenig gebetten, das vornehmenn Sy ob der beylag mit mehrenn Inhallt.

Dieweil ehr vnß dan danebenn inn ander weg auch commendirt wirdet, vnd wir alſo jme ganz gernn wilfarth ſehenn woltenn, alß erſuchen wir Eur: L. hiemit freundt: vnd bruederlich geſinnet, Sy wollen jne gedachtenn ROSENKRANTZ auff ſein geburliches anmeldenn, ſo er mit dieſen thuen wirdet, inn guettenn beuelch nehmenn, vnnd ohne beſchwar auff mittell gedenchenn, wie Sy denne auff ain oder den andern weeg zu ainer ſtöll vnd vnderhallt nach gelegenheit ſeiner Perſohnn vnnd Stands befurdernn muegenn, Alß jhme dan Eur. L. wol zuthuenn wiſſenn. Vnd ſein wir derſelbenn mit bruederlichenn Huldenn vnndt allenn guettenn forders wollgnaigt.

Gebenn Pilſenn denn 24. May 1600.

DEM WOLGEBORNENN HERNN, HERRN OCTAUIO CAURIANO, HERRN ZU ENSISFELDT, RÖM. KEY. MAY. CAMMERER, VNND HAUPTMAN ZU HUNGERISCHEN ALLTENBURG, AUCH ERL. DURCHL. ERSHERTZOGEN MATTHIASSENN ZU OSTERREICH RATH, CAMMERERN VNND OBRS STALMEISTERN, MEINEM SONDERS GROSSGUNSTIGEN HERRN.

WOLGEBORNER großgunſtiger Herr, Demſelbenn ſeyenn mein gantzwillig gefliſſene Dienſt, beſten Vermogens zuuor.

Vnnd nach deme von der Romen Keyen Maytt vnſernn allergnedigſtem Hernn an die Fürſtl. Dhl. Erſherzog MATTHIASENN zu Oſterreich weiſer dis FRIDERICH ROSENKRANTZ (alß der ſich inn Hungernn, wiedern Erſfeindt ge-

mainer Chriſtenheit zuuerſuchen begerett, auch ſonſtenn eines anſehenlichen fürnehmen geſchlechts inn Dennemarchk vnnd ſo wohl inn derſelben, alß Deutſchenn, Hiſpaniſchen, Welſchenn vnnd françöſiſchen Sproch, zimlich erfahrn iſt) intercedendo gnedigſt verſchriebenn, dieſe Perſohn auch mir von guetenn Orth meliori nota recommendiert wordenn, alß habe ich dern zu meinen großgunſtigen Herrn tragenden dienſtlichenn affection Nötth nicht vmbgehenn muegenn, Jhme ROSENKRANTZ hiemit dem Herrn inn gleicher vnnd beſter form zurecommendieren, Geburnths vleiß hochlich bittennd, Er wolle demſelbenn vmb meinet willenn, zu allenn denne in ganz guetenn beuelch haben, Was ferner beſchehenn werdet muegenn, vnnd Jhme zu ſeiner verhoffenden Befurderung geraichen kan. Allermaßen er ROSSENKRANTZ ſein vorhaben oder Intent ſelbſt melden werdet, daß erkhenne vnd verdiene ich dergeſtaltt inn aller möglicheit, alß obß mihr oder denn mienign ſelbs bewiſſen worden wehre. Meinen groſßgunſtigenn Herrenn demnach inn ſchutz des almechtigen, vnnd denſelben mich zu allenn gunſtenn gleichſfals beuehlenn. Datum Pilſenn denn 25 May 1600.

RUDOLPHUS CORADUCIUS,
Imperij Procancellarius.

ad p. 335,15] Edidit Gassendus in *Tychonis Brahei Vita* p. 202 ed. Paris.

ad p. 336,1] Ipsius Oswaldi manu.

ad p. 337,1] Ipsius Braschii manu.

ad p. 337,25] Varadinus cognomen erat Melchioris Rhederi. — In margine adscripta sunt, quæ in ima pagina posuimus.

ad p. 339,10] Nomen tantum subscripsit Winshemius.

ad p. 340,13] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 343,10] Charta jam eo tempore lacera erat, cum epistulam Hanschius transscripsit.

ad p. 343,35] Mortuus erat Ursus d. 15 m. Augusti. Verba »ıam antea« (v. 32) commentationem quandam respicere videntur a Keplero mense Martio a. 1600 Herwarti in usum scriptam, ubi hæc leguntur: »Io. Kepleri Judicium de hypothesibus Tychonianis, quas quidem Nicolaus Ursus Dithmarsus sibi arrogare præsumit, aut si id apud cordatiores obtinere non posset, ut saltem Tychonis inventum non esse, sed ex Martiano Capella, Copernico aut Apollonio Pergæo desumptum fidem faceret (cod. Vindob. lat. 10689[1]; cf. Kepleri *Opera* I p. 281 sqq.).

ad p. 344,16] Tychone monente »Apologiam Tychonis contra Ursum« Kepler conscripsit, ubi neque Apollonium neque quemquam alium Tychonis systema proposuisse demonstrat, ut contenderat Ursus. Neque tamen publice edita est, antequam inter Kepleri *Opera* I pp. 236—276 edidit Frisch. Cf. annotat. ad p. 343,35.

ad p. 344,18] Nomen tantum subscripsit Tycho. Adjecit in margine Herwartus annotationes nonnullas, quas nos omisimus.

ad p. 345,26] Mirum est, quod æquationem Lunæ annuam Tycho hic ponit 10′, quæ veræ æquationi (11′ 10″) proxima est. Nam in theoria Lunæ satis habet peculiarem æquationem temporis introducere, quæ veræ longitudinis

Lunæ correctioni 4′.$_{5}$ per sinum anomaliæ Solis multiplicatorum respondet, ita ut vix dimidiæ partis veræ æquationis annuæ rationem reddat. Sed ita se res habet, ut pluribus »circellis« adhibitis theoriam Lunæ impeditiorem reddere nollet. Vid. tom. I p. LIII et tom. II p. 102, et cf. Kepleri *Opera* III p. 28 et VIII p. 627.

ad p. 345,$_{39}$] De Regiomontis longitudine cf. tom. V p. 310,$_{8}$ et p. 312,$_{3}$. A Regiomonte Borussiæ longitudines terrestres indicant Tabulæ Prutenicæ, e. g. Londini Angliæ $1^h\ 50^m$ (debuit esse Grenovici $1^h\ 22^m$), Lutetiæ Parisiorum $1^h\ 35^m$ (rectius $1^h\ 13^m$). Numeri 46° 45′ (= $3^h\ 7^m$) apud Reinholdum non inveniuntur, sed ab Insulis Fortunatis, ut tum mos erat, longitudo numerata esse videtur.

ad p. 346,$_{3}$] De longitudinibus Romæ et Cracoviæ cf. tom. V p. 310,$_{17}$ et $_{22}$.

ad p. 346,$_{13}$] De altitudine poli Regiomontis cf. Tychonis annotatio tom. X p. 348.

ad p. 347,$_{35}$] vid. tom. II p. 282; tom. VI p. 73,$_{30}$; p. 106,$_{35}$; p. 143,$_{20}$.

ad p. 348,$_{23}$] vid. tom. II p. 411 sqq.

ad p. 350,$_{32}$] vid. hujus tomi p. 305,$_{17}$ sqq.

ad p. 351,$_{39}$] Respicit versus carminis, quod inscribitur *Consolatio ad Liviam*, 405 sqq.:

Sidera quin etiam cælo fugisse feruntur,
  Lucifer et solitas destituisse vias:
Lucifer in toto nulli comparuit orbe,
  Et venit stella non præeunte dies.

Hoc enim carmen inter Ovidii carmina nobis traditum Albinovano Pedoni ascripsit Iosephus Scaliger in editione Vergilii Appendicis (Lugduni 1573); nobis auctor illius non constat. Edidit nostris temporibus inter alios F. Vollmer inter *Poetas Latinos minores* II 2 (Lipsiæ 1923). Sed mirum est, quod Scaligero de hac re a Tychone interrogato hi versus in mentem non venerunt (vid. hujus tomi p. 263,$_{40}$).

ad p. 352,$_{23}$] Mortuus erat Ursus d. 15 m. Augusti; at nihilo minus de actione juridica contra librum ejus Tycho desistere noluit; hæc est »aliqualis necessitas«, de qua loquitur v. 29.

ad p. 354,$_{9}$] Liber est *Geographica*, quæ edidit David Hœschel (Augustæ Vindelicorum 1600). Scylacis Caryandensis mentionem faciunt Herodotus (IV 44) et Strabo (XII 4,$_{8}$ p. 566; XIII 1,$_{4}$ p. 583; XIV 2,$_{20}$ p. 658). Alius est Scylax Halicarnassius, cujus meminit Cicero (*De div.* II 42,$_{88}$) quamquam hos duos confudit Suidas (s. v. Σκύλαξ). Ceterum liber, qui fertur, Scylacis, neutrius horum fuisse videtur.

ad p. 354,$_{12}$] Ipsam epistulam expressimus ab Herwarto missam.

ad p. 354,$_{35}$] Totam Kepleri epistulam in codice Monacensi 1607 asservatam edidit C. Anschütz (*Ungedruckte wissenschaftliche Correspondenz zwischen Johann Kepler und Herwart von Hohenburg* [Pragæ 1886] pp. 34—53).

ad p. 355,$_{29}$] cf. verba Kepleri, quæ attulimus ad p. 343,$_{35}$.

ad p. 355,$_{30}$] Hæc verba in ipsa epistula intra delineationes locum tenent.

ad p. 356,$_{40}$] Hæc verba in margine addita sunt.

ad p. 359,$_{10}$] Loquitur de supplicio, quo Lincopiæ affecit nobiles homines Suecos dux Carolus (vid. hujus tomi p. 378,$_{31}$ sqq.).

ad p. 359,$_{15}$] Charta illa est, quam exscripsimus p. 284 sqq.

ad p. 360,$_{13}$] Nitide descripta est epistula, quam expressimus, et ab ipso Tychone subscripta, sed non missa.

ad p. 366,$_{1}$] Nitide descripta et nomine Herwarti subscripta est epistula Basileæ asservata; exemplum in codice Monacensi, quod inscriptione et subscriptione caret, adumbravit ipse Herwartus.

ad p. 366,$_{13}$] Liber est *Luminarium et motus planetarum Tabulæ LXXXV, omnium ex his qui Alphonsum sequuntur, quam faciles, auctoribus Ioanne Blanchino, Nicolao Prugnero et Georgio Purbachio* (Basileæ in fol.).

ad p. 368,$_{34}$] Canisium nunc est Nagy Kanizsa Ungariæ, non procul a lacu, qui vocatur Balaton.

ad p. 375,$_{20}$] Nomen tantum subscripsit Sturcius.

ad p. 377,$_{1}$ et p. 379,$_{16}$] Ipsorum Bacmeisteri et Braschii manu.

ad p. 382,$_{7}$] Lacerum est folium, at ex folio 152^{r}, quod adumbrationem continet priorem, supplevimus, quæ in fol. 153 desunt.

ad p. 383,$_{1}$] Ipsius Kepleri manu (cf. Kepleri *Epistolæ* ed. Hansch p. 123 sqq.).

ad p. 386,$_{3}$] Homeri *Iliad.* XIII 99 et sæpius; V 725 et sæpius.

ad p. 386,$_{14}$] Liber est Francisci Vietæi *Opera mathematica, in quibus tractatur Canon mathematicus seu ad triangula* (Londini apud Franciscum Bouuier 1589). Sed in hac editione nova tantum adjecta est inscriptio editioni priori, quæ sine auctoris nomine prodiit Lutetiæ 1579 *(Canon mathematicus seu ad triangula. Cum Adpendicibus).* Hujus editionis omnia exempla, quæ nancisci potuerat, delevit Vietæus, quia multos in ea errores deprehenderat. Itaque nunc raro occurrit, sed rarior etiam esse videtur editio Londinensis, cujus nullus scriptor eorum, qui artium mathematicarum historiam tractant, mentionem facit. In bibliotheca tamen Bodleiana Oxoniensi utraque editio reperitur. De rebus, quæ in eo libro tractantur, vid. *Abhandlungen zur Geschichte der Mathematik* IX pp. 217—240.

ad p. 387,$_{7}$] Homo quidam incerta fata quærens, Antonius sive Ammonius Sherley (sive Shirley), natione Anglus, qui a. 1599 in Persia versatus erat, ab Abbate, Persarum rege, legatus ad nonnullas Europæ civitates missus est. Mense Februario a. 1601 Pragam reliquit, ut per Italiam in Persiam reverteretur, comitante filio Tychonis natu majore (vid. hujus tomi pp. 394, 398, 418), at ultra Italiam ei non contigit ut perveniret.

ad p. 387,$_{41}$] Ab hoc loco (»Etsi...«) usque ad p. 388,$_{8}$ (»... dubium«) verba in codice deleta sunt; at propter voc. »postmodum« (p. 388,$_{8-9}$) iis carere non possumus.

ad p. 388,5] De libello, qui inscribitur *Icones instrumentorum*, cujus nunc duo tantum exempla (in bibliothecis Vratislaviensi et Vindobonensi) exstare videntur, vid. tom. V p. 317 sq. et tom. VI p. 367.

ad p. 389,2 et p. 390,7] In codice non indicatum est, ad quos hæ epistulæ datæ sint.

ad p. 392,19] cf. tom. III p. 322,14.

ad p. 393,20] Libri sunt Ioannis Angeli *Astrolabium planum in tabulis*... (Augustæ Vindelicorum 1488 ac postea Venetiis 1494, 1502, 1594) et *Tractatus de Cometis*... *per* Iacobum Angeli de Ulma, qui prodiit sine indicatione loci et anni, teste vero Thaddæo Hagecio (in *Dialexi*) prodiit a. 1475; hic maxime disputat de cometa, qui apparuit m. Feb. a. 1402.

ad p. 394,13] Nomen tantum subscripsit Tycho.

ad p. 394,34] vid. hujus tomi p. 251,5 cum annotat.

ad p. 395,4] cf. hujus tomi p. 251,29.

ad p. 396,30] cf. Terentii *Andria* 920: »Si mihi perget quæ vult dicere, ea quæ non vult audiet.«

ad p. 398,15] Ipsam epistulam descripsit Antonius Favaro in *Bibliotheca mathematica* l. c.; ubi vero nunc lateat, investigare nos non potuimus.

ad p. 402,1] Ipsius Braschii manu.

ad p. 403,1] Nomen tantum subscripsit et pauca verba postscripta addidit Sturcius.

ad p. 404,1 et 406,1 et 407,1] Ipsorum Bacmeisteri et Caminæi et Henniochi manu.

ad p. 411,9] Vergilii *Ecl.* 3,41.

ad p. 411,30] vid. tom. I p. 148.

ad p. 412,7] Liber est *Catalogus imperatorum, regum ac principum qui astrologicam artem amarunt, ornarunt et exercuerunt*... *Collecta ab* Henrico Ranzovio *ac edita a* Theophilo Silvio (Antverpiæ 1580, 109 pp. in 12°). Cf. Lalande, *Bibliographie astronomique* p. 109.

ad p. 414,27] Ennii verba de Fabio Maximo afferunt Cicero, *De offic.* I 24,84; *De senect.* 4,10; Vergilius *Æn.* VI 846.

ad p. 416,10] »Nobis hæc ocia fecit«: Vergil. *Ecl.* 1,6.

ad p. 416,15] Nomen tantum subscripsit Rollenhagius.

ad p. 416,39] *Evang. Ioh.* 18,36; 16,33.

ad p. 417,3] De Gog et Magog vid. *Ezech.* 38—39.

ad p. 417,14] *Evang. Matth.* 24,15 sqq.; cf. *Daniel.* 9,27; 11,31, 12,11. Infra vero respicit *Daniel.* cap. 2.

ad p. 417,35] »Qui amant...«: Vergil. *Ecl.* 8,108.

ad p. 418,1] Nomen tantum subscripsit Tycho. Partem epistulæ exscripsit Antonius Favaro, *Ticone Brahe e la corte di Toscana* (vid. annotat. ad p. 118,25).

ad p. 418,24] Hinc orta est fama illa, Tychonem de cantu nocturno mona-

chorum Capucinianorum conquestum esse. Venerunt illi Vindobona Pragam autumno anni 1600, at ædes sacra eorum et monasterium non ante tertiam dominicam post Pascha anni 1602 dedicata sunt. Cf. J. Herain et H. Matiegka, *Tycho Brahe, esquisse biographique et compte rendu de la découverte de la dépouille mortelle de Tycho Brahe* (Pragæ 1902) p. 32 (sermone Bohemico ac Gallico).

ad p. 420,10] Tota epistula ipsius Rollenhagii manu scripta est.

ad p. 420,23] cf. Kepleri *Opera* VIII p. 742.

ad p. 420,32] »Domine...«: *Evang. Matth.* 8,25.

ad p. 421,1] Ioh. Garcæi *Astrologiæ methodus in qua secundum doctrinam Ptolemæi exactissima facillimaque genituras qualescunque iudicandi ratio traditur* (Basileæ 1576 in fol.).

ad p. 421,5] »Fertur equis...«: Vergil. *Georg.* I 514.

ad p. 421,16] Hessen est arx et oppidum ducatus Brunsvicensis, Lat. + 52° 1′, Long. 10° 46′ a meridiano Grenovicensi.

ad p. 421,18] Ipsius Schelei manu.

ad p. 421,29] cf. Kepleri *Opera* VIII p. 742.

ADDENDUM.

Nota † in margine interiore editionis posita, qua ad has annotationes lectores reiciuntur, his locis deest: pp. 69,18; 74,12; 88,7; 101,13; 157,20; 210,12; 211,1; 216,15; 288,22; 293,1; 297,1; 297,37; 298,1; 301,1; 302,27; 302,30; 305,30; 313,7; 335,1; 343,10; 395,4.

INDEX VIRORUM DOCTORUM ATQUE ALIORUM HOMINUM INSIGNIUM, QUORUM IN TOMIS VII ET VIII MENTIO FIT.

Omisimus eorum hominum nomina, de quibus nihil aliud constat, quam quæ in epistulis leguntur, ut eorum, quos enumerat Riddershusius (VIII 219 sqq.), et nomina hominum nobilium Suecorum (VIII 214).

Ad indicem conficiendum adhibuimus inter alia *Dansk biografisk Lexikon*, Jœcheri *Allgemeines Gelehrten-Lexicon, Allgemeine deutsche Biographie*, Poggendorffii *Biographisch-literarisches Handwörterbuch zur Geschichte der exacten Wissenschaften, The Dictionary of National Biography*.

CASTALIO, Sebastianus (Châtillon), natus in Sapaudia circa annum 1515, professor litterarum Græcarum Basileæ, totam Scripturam sacram in sermonem Latinum et Gallicum vertit, mortuus 1563.

CHRISTIANUS II, elector Saxoniæ inde ab anno 1591, uxorem duxit Hedvigam, filiam regis Friderici II, mortuus 1611.

CHRISTIANUS Ioannis Ripensis, discipulus Tychonis 1586—90. Postea peregre profectus Tychoni misit observationes deliquiorum et cometæ anni 1593. Hauniæ professor factus est primo artium mathematicarum, deinde litterarum Græcarum. Episcopus Aalburgensis mortuus est 1642.

CHRISTIANUS sive Christiernus vid. Longomontanus.

CHYTRÆUS, David (Kochhaff), theologus, natus in Suevia 1530, professor theologiæ Rostochii 1551, ecclesiarum Lutheranarum statum in Austria ordinavit, in formulam concordiæ conscribendam operam contulit, mortuus 1600. Cf. tom. II p. 453; tom. III p. 401.

CHYTRÆUS, Nathan, Davidis frater minor natu, nat. 1543, rector gymnasii Bremensis, carmina confecit Latina, mortuus 1598.

CLAVIUS, Christophorus (Klau), natus Bambergæ 1537, Jesuita, professor artium mathematicarum Romæ, inter principes fuit calendarii reformandi, mortuus Romæ 1612.

CLINGIUS, Bartholomæus (Klinge), natus Confluentiæ 1535, doctor philosophiæ et juris, auctor dissertationum juridicarum, per 51 annos professor Rostochii, ubi mortuus est 1610.

CORNELIUS vid. Gemma.

CRAGIUS vid. Krag.

CRAIGUS, Ioannes (John Craig), natus in Scotia, inter cives academiæ Wittembergensis receptus d. 11 m. Oct. a. 1570, professor artium mathematicarum et logices Francofurti apud Viadrum, in Scotiam reversus 1584 medicinam exercuit Edinburgi, medicus regius factus est, mort. 1620. Cf. tom. IV p. 516.

CRAIGUS, Thomas, frater Ioannis natu major, natus 1538, Lutetiæ studiis operam dedit, officiis civilibus functus est, mortuus 1608.

CRAMER, Daniel, theologus, natus 1568, archidiaconus et sacerdos Stettini, auctor multorum librorum, mortuus 1637.

CUNRADUS ASLACIUS (Cort Aslakssön), Bergensis e Norvegia, natus 1564, discipulus Tychonis 1590—1593, postea professor theologiæ Hauniæ, Tychonis *Orationem de disciplinis mathematicis* edidit 1610, mortuus 1624.

CURTIUS, Iacobus, a Senftenau, procancellarius Imperii, mort. 1594. In hujus domo Pragæ Tycho habitavit atque illic mortuus est. Cf. tom. V p. 119 sqq. et annotat. ad p. $121,_{28}$.

CYPRIANUS vid. Leovitius.

DANZÆUS, Carolus (Charles de Dançay), natus circa annum 1509 prope Limonum Pictonum (Aquitanum eum vocat Tycho tom. V p. $143,_{15}$), Argentorati studiis operam dedit ibique ab ecclesia Romana defecit. Legatus in Daniam missus usque ad mortem ibi remansit (1589). Amicus fuit Tychonis et Uraniburgi fundamentalem lapidem posuit.

DASSELIUS, Hardevigus (Hartwig von Dassell), natus 1557, inde ab anno 1590 consiliarius Imperatoris, mort. 1608.

DAVID PETRI (Pedersen) 1597 Hvenæ remansit, ut arcem Uraniburgum atque instrumenta a Tychone relicta custodiret, deliquium Solis d. 25 Febr. a. 1598 observavit.

DEE, Ioannes, mathematic., astrologus, necromantis, natus 1527, Cantabrigiæ studiis operam dedit, peregrinationes multas suscepit, vixit in Polonia et Bohemia 1583—1589, deinde in Britanniam revertit, mortuus 1608. Cf. tom. III p. 203,34 cum annotat.

DIETRICHSTEIN, Franz von, natus 1570, episcopus Olmutii et cardinalis 1599, princeps Imperii 1624, mortuus 1636.

DIGGESÆUS, Leonardus (Digges), Oxonii studiis operam dedit, artes mathematicas tractavit; filio teste constructio telescopii ei nota erat, mortuus est circa annum 1573.

DIGGESÆUS, Thomas, Leonardi filius, Cantabrigiæ studiis operam dedit, Copernici systema probavit, auctor fuit libri, qui inscribitur *Alæ seu scalæ mathematicæ* (Londini 1573), mortuus 1595. Cf. tom. III p. 167 sqq.

DOLDIUS, Leonhardus, medicus, natus 1565, doctor medicinæ Basileæ, medicinam exercuit Norimbergæ, ubi mortuus est 1611.

DOMINICUS MARIA vid. Novara.

DOUSA, Janus, filius philologi Batavi (van der Does, mort. 1604), natus 1572, bibliothecarius Lugduni Batavorum, auctor carminum et operum philosophicorum, mortuus 1597.

DRUSIUS, Ioannes (van den Driessche), philologus, nat. in Belgica 1550. Oxonii et Cantabrigiæ studiis operam dedit, professor linguarum orientalium Oxonii 1572, Lugduni Batavorum 1577, mortuus 1618. Cf. tom. VII p. 229,42 cum annotat.

DUDITHIUS, Andreas (Dudith), nat. Budapestini 1533, episcopus Quinque Ecclesiarum Ungariæ, uxorem duxit et Lutheri fidei se addixit, auctor libelli de cometis, mortuus 1589.

DUNCANUS vid. Liddelius.

ERASTUS, Thomas (Liebler), natus prope Basileam 1523, professor medicinæ Heidelbergæ 1558, theologus quoque fuit Calvini partes secutus, Paracelsum et astrologiam oppugnavit, propter persecutiones theologorum Heidelbergam relinquere coactus est 1580, mortuus Basileæ 1583.

ERNESTUS, natus 1554, dux Bavariæ 1577, archiepiscopus et elector Coloniensis 1583, mortuus 1612.

EXSECCIUS (Robert Devereux, comes Essex), natus 1567, vicarius Irlandiæ 1599, conjurationem iniit, ut Elisabethæ reginæ ministros a muneribus removeret, et cives Londinenses excitare conatus est. Perduellionis damnatus et supplicio affectus est m. Febr. a. 1601.

FABRICIUS, David, natus in Frisia orientali, sacerdos, observationibus astronomicis strenue se dedit, stellam variantem Miram Ceti m. Aug. a. 1596 primus animadvertit, Wandesburgi et Pragæ Tychonem invisit, interfectus 1617.

FABRICIUS, Iacobus, natus Rostochii 1577, discipulus Tychonis, postea medicus regis Christiani IV, mortuus 1652.

FABRICIUS, Paulus, mathematicus Imperatoris, novam stellam observavit 1572, mortuus Vindobonæ 1589.

FISCHER, Tobias, poeta, natus in Silesia 1559, mortuus 1616.

FRACASTORIUS, Hieronymus, natus Veronæ 1483, Paduæ studiis operam dedit, medicinam exercuit Veronæ, mortuus 1553. Auctor libri, qui vocatur *Homocentrica*.

FRANCISCUS, Ioan. (Hans Frandsen), profes. medicinæ Hauniæ 1560, amicus Tychonis, mortuus 1584.

FRANZIUS, Wolfgang, natus 1564, professor theologiæ Wittembergæ, mortuus 1628.

FREDER, Ioannes, natus 1544, professor eloquentiæ Rostochii 1572, theologiæ 1592, mortuus 1604.

FUGGER, Marcus, e gente nota patricia Augustana, natus 1529, mortuus 1597.

GARCÆUS, Ioannes (Gartze), natus Wittembergæ 1530, professor ordinis philosophorum Gryphiswaldæ 1561, episcopus Brandeburgi novi, mortuus 1574. Auctor fuit librorum ad astrologiam et theologiam pertinentium.

GELALÆUS (Gelâl-ed-dîn), cognomen honorificum regis Persarum Melik Shah, qui vixit circa annum 1100. Nomen dedit æræ Gelalææ (a d. 15 m. Mart. a. 1079 h. 6 A. M.), quam induxit astronomus et poeta Omar el Chaijami (mortuus 1123/24). Cf. tom. VIII p. 85,$_{24}$ cum annotat.

GELLIUS SASCERIDES, nat. Hauniæ 1562, filius Jani Sasgers Alcmariensis, Hvenæ versatus est 1582—1588, in Italia et Basileæ studiis operam dedit usque ad a. 1593, professor medicinæ Hauniæ 1603, mortuus 1612.

GEMMA, Cornelius, astrologus, natus Lovaniæ 1535, mortuus ibid. 1577.

GEMMA FRISIUS, Rainer, Cornelii pater, natus in Frisia 1508, professor artium mathematicarum, postea medicinæ Lovaniæ, mortuus 1555.

GEMPERLIN, Tobias, pictor Augustanus, Tychonis hortatu a. 1575 vel paulo post in Dania consedit.

GIPHANIUS, Hubertus (van Giffen), natus in Geldria 1534, philologus et jurisconsultus, professor Altdorfii 1583, Ingolstadii 1590, mortuus 1604.

GŒDELMANNUS, Ioannes Georgius, natus 1559, professor juris Rostochii 1580. Postea sæpius legatus missus est, ab anno 1592 consiliarius fuit in aula Dresdensi, comes Palatinus 1597, mortuus 1611.

GRAMINÆUS, Theodorus, professor artium mathematicarum Coloniæ, auctor librorum de nova stella et cometis annorum 1577 et 1580. Cf. tom. III p. 289,$_{4}$ cum annotat.

GRYNÆUS, Ioannes Iacobus, natus Bernæ 1540, professor veteris Testamenti Basileæ 1575, mortuus 1617.

GRYNÆUS, Simon, natus 1493, humanitatis studiis et theologiæ se dedit, professor litterarum Græcarum Heidelbergæ 1524, Basileæ 1529, Ptolemæi *Syntaxin* Græce edidit 1538, rector academiæ mortuus est 1541.

GUALTHERUS vid. Walter.

GYLDENSTJERNE, Axillus, consobrinus Tychonis, præfectus Norvegiæ.

GYLDENSTJERNE, Henric., sororem Tychonis in matrimonium duxit.

GYPHANIUS vid. Giphanius.

nus, nat. 1535, cancellarius 1573, princeps quattuor procuratorum regni a senatu institutus 1588, mortuus 1594.

KEPLER, Ioannes, natus in Wirttemberga 1571, Tubingæ studiis operam dedit, mathematicus provincialis in Styria 1594, cum Tychone in arce Benatica versatus est a mense Februario in mensem Junium 1600, Pragæ a mense Octobri 1600, Tychoni successit mense Octobri 1601, mathematicus provincialis Lincii 1612—1626, mortuus 1630.

KRABBE, Ioannes, natus Myndæ, geometres Guelferbyti 1585, multas observationes instituit et indicem deliquiorum annis 1581—1600 a se observatorum Tychoni misit.

KRAG, Andreas, natus 1558, arti medicæ operam dedit in Monte Pessulano, professor artium mathematicarum Hauniæ, mortuus 1600.

KRAG, Nicolaus, Andreæ frater, historicus regius 1594, mortuus 1602.

LANGE, Christianus, canonicus Ripæ Daniæ, mortuus 1604.

LANGE, Ericus, dominus prædii Engelsholm, alchymiæ deditus, Hvenam adiit 1584 Raimarum Ursum secum ducens, Sophiam sororem Tychonis sibi despondit 1590, peregre profectus 1592 Sophiam duxit 1602, mortuus est post 1613.

LAZARUS (tom. VIII p. 29,28) videtur esse Petrus Antonius, natus Paviæ 1572, antistes S. Mariæ illius urbis, auctor librorum res sacras tractantium, mortuus 1630.

LEOVITIUS, Cyprianus (Lwowczky z Lwowicz), natus 1514, auctor librorum ad astrologiam pertinentium, professor artium mathematicarum Lauingæ, ubi Tycho eum invisit 1568, mortuus 1574.

LIDDELIUS, Duncanus (Duncan Liddel), natus in Scotia 1561, Francofurti apud Viadrum studiis operam dedit, discipulus Pauli Wittichii 1582—1584, professor artium mathematicarum Helmstadii 1591—1603, prorector 1604, auctor librorum medicinalium, in Scotiam reversus est 1607, mortuus 1613.

LILIUS (Aloisio Lilio) calendarii reformati primus auctor fuit. Cf. annotat. ad tom. V p. 179,33.

LINDANUS, Guilelmus Damasi, natus Dordrecti 1525, inquisitor ac postea episcopus Roermondæ, mortuus 1588.

LINDENOW, Otto, homo nobilis Danus.

LŒSERUS, Ioannes (Loeser), homo nobilis Saxonicus, dominus arcis, quæ vocatur Pretzsch.

LONGOMONTANUS, Christianus Severini (Chr. Sörensen Longberg), natus 1562, Tychonis discipulus et administer 1589—1597 et a mense Januario in mensem Augustum a. 1600, professor artium mathematicarum Hauniæ 1605, mortuus 1647.

LYCOSTHENES, Conradus (Wolfhardt), philologus et theologus, natus in Alsatia circa annum 1518, docuit Basileæ 1542, sacerdos ibidem 1545, mortuus 1561. Auctor fuit libri, qui inscribitur *Prodigiorum et ostentorum chronicon* (1557).

MÆSTLINUS, Michael, nat. 1550, Tubingæ studiis operam dedit, professor Heidelbergæ 1580, artium mathematicarum Tubingæ 1584 usque ad mortem 1631. Copernici rationes secu-

tus est, calendarii reformati exsecutionem vehementer impugnavit. Cf. annotat. ad tom. VII p. 82,9.

MAGINUS, Ioannes Antonius (Giovanni Antonio Magini), natus Paduæ 1555, Bononiæ studiis operam dedit et professor artium mathematicarum factus est 1588, mortuus 1617.

MAIOR, Ioannes, theologus, natus 1533, Wittembergæ studiis operam dedit et professor theologiæ factus est. Vexationibus obnoxius erat, quia Calvini decretis nimis favere insimulabatur, mortuus est 1600.

MARINUS, Claudius (Claude de Marne), bibliopola, gener Andreæ Wechelii bibliopolæ.

MARIUS, Simon (Mayr), nat. 1572, mathematicus Marchionis Onoldinensis, Pragæ versatus est 1601, satellites Jovis inter primos observavit, mortuus 1624.

MARNIX, Philippus van, legatus principis Oragniæ ac theologus, natus Bruxellæ 1538, consul Antverpiæ 1583, mortuus 1598. Auctor fuit libri *De Byencorf der H. Roomsche Kercke,* quem Germanice vertit Io. Fischart.

MATTHIAS vid. Seiffart.

MAURITIUS, Landgravius Hassiæ, »doctus« appellatus, filius Guilelmi IV, natus 1572, mortuus 1632.

MELISSUS, Paulus (Paul Schede), poeta, natus 1539, bibliothecarius Heidelbergæ, mortuus 1602.

MERCATOR, Gerhardus (Krämer), natus in Flandria 1512, geographus, auctor *Chronologiæ a mundi exordio ad a. 1568 ex eclipsibus et observationibus astronomicis* (Coloniæ 1568), mortuus 1594.

METELLUS sive Metellanus, Ioannes (Sir John Maitland), natus circa annum 1545, cancellarius Scotiæ, nominatus baro Maitland of Thirlestane 1590, mortuus 1595.

METHODIUS, episcopus Olympi Lyciæ, mortuus 311. Auctor fuit *Convivii decem virginum, De resurrectione contra Origenem* etc. *Revelationes* vero injuria ei ascribuntur. Opera ejus Græce et Latine edita sunt Parisiis 1644 et sæpius (*Revelationes* jam 1496).

MICHAELIUS sive Michaelides, Ioannes (Hans Mikkelsen), aliquamdiu præceptor regis Christiani IV, postea rector scholæ Soranæ, mortuus 1601.

MŒSTLINUS vid. Mæstlinus.

MOLLERUS sive Müllerus, Ioannes, mathematicus electoris Brandenburgici usque ad annum 1608 vel etiam post. Tychonem Hvenæ invisit m. Sept. a. 1596, Wandesburgi 1598, Pragæ 1600—1601.

MOLLERUS, Vincentius, consul Hamburgi.

MONAVIUS, Iacobus (Monaw), e societate Iesu, natus Vratislaviæ 1546, mortuus ibidem 1603.

MORSIANUS, Christianus, natus 1485 in insula Mors, professor Hauniæ 1520, quia Lutheri partes sequebatur, in exilium ire coactus est, revertit 1530, professor medicinæ 1537, mortuus 1560.

MUFETIUS, Thomas (Moffet), natus 1553, Cantabrigiæ et Basileæ studiis operam dedit, medicinam exercuit. Hvenam adiit 1582, mort. 1604.

MULÆUS, Bartholdus Ivari, filius fuisse videtur Ivari Bertelsen, qui professor fuit ac postea sacerdos.

MULÆUS, Claudius, frater fuisse videtur Jani Mulæi.

MULÆUS sive Mulius, Janus, natus 1564, medicinam exercuit Othaniæ Daniæ ab anno 1605 usque ad mortem (1633).

MUNOSIUS, Hieronym. (Muñoz), professor linguæ Hebraicæ Valentiæ, postea artium mathematicarum et linguæ Hebraicæ Salmanticæ, auctor libri de nova stella.

MYLIUS, Martinus, poeta coronatus ab Imperatore, rector gymnasii Gorlicii, mortuus 1611, annum agens 69. Cf. annotat. ad tom. IV p. 287,12.

NOLTHIUS, Andreas, Embeccensis, auctor libelli de nova stella, quam Terræ multo propiorem quam Lunam esse opinatus est.

NOVARA, Domenico Maria, natus 1454, professor Bononiensis, amicus et præceptor Copernici, mort. 1504.

ORIGANUS, David, filius Tostii, natus 1558, professor linguæ Græcæ ac postea artium mathematicarum Francofurti apud Viadrum. Edidit Ephemerides; *Novarum cœlestium motuum Ephemeridum* tom. I (Francofurti 1609) utilis est ad astrologiam perdiscendam. Mortuus est 1628.

ORTELIUS, Abraham, geographus, natus Antverpiæ 1527, mortuus ibid. 1598. Negotiorum causa ab anno 1575 multum in peregrinationibus versatus est. Auctor est *Thesauri orbis terrarum,* quæ prima fuit magna collectio tabularum geographicarum (1570 ac postea auctior).

OTHO, Valentinus, natus circa annum 1550, discipulus Rhætici, mathematicus electoris Palatini. Auctor est *Operis Palatini de triangulis* (Neostadii 1596), quo Rhætici opus ita perfecit, ut pro singulis 10″ sex quantitates trigonometricas præberet, posito radio 10000000000.

PATRITIUS, Franciscus (Francesco Patrizio), philosophus, natus 1530, docuit Ferraræ et Romæ, ubi mortuus est 1597. Cf. annotat. ad hujus tomi p. 206,38.

PENA, Ioannes, natus in Provincia circa annum 1528, professor artium mathematicarum in collegio regio Lutetiæ, mortuus 1558. Edidit et interpretatus est Euclidis *Optica* et *Catoptrica* (Lutetiæ 1557). Opinionem ejus, cælum aëre repletum esse, sæpius affert Tycho (e. g. tom. II p. 77,28; III p. 154,24).

PEPLER, Christophorus, negotia Tychonis procuravit in feudo ejus Nordfjord Norvegiæ.

PETKUM, Simon von, negotia Tychonis Hamburgi procuravit.

PETRUS SEVERINI (Peder Sörensen), natus 1542, ab anno 1570 medicus regis Daniæ, mortuus 1602. Sicut Tycho adversarius erat medicinæ Galenianæ.

PEUCER, Caspar, nat. 1525, artibus mathematicis et astronomicis operam dedit Wittembergæ, professor artium mathematicarum 1554, medicinæ 1559; gener fuit Philippi Melanchthonis. Calvini decretis nimis favere insimulabatur et ab anno 1574 ad annum 1586 in carcere tenebatur. Mortuus est 1602.

PINELLUS, Vincentius (Vincenzo Pinelli), nat. Neapoli 1535, ab anno 1558 Paduæ vixit, in multis disciplinis versatus est, libros et codices manu scriptos strenue collegit, mortuus est 1601.

II imperatori ab interioribus consiliis et qui privata eiusdem negotia procuravit ab a. 1576, præterea aulæ magister ac summæ rei publicæ gubernator 1591, a muneribus remotus m. Oct. a. 1600, mortuus 1606.

SAGER, medicus Lubecæ.

SAGREDO, Giovanni Francesco, homo nobilis Venetianus, natus 1571, Paduæ discipulus fuit Galilei, qui nomen ejus clarum reddidit, eo quod in dialogis suis *De systemate mundi* et *De duabus novis disciplinis* loquentem eum fecit.

SAVILE, Thomas, homo rerum antiquarum peritus, Henrici Savilii frater, Oxonii studiis operam dedit, mortuus 1593.

SCALIGER, Iosephus Iustus, philologus, natus Aginni Aquitaniæ 1540, professor Lugduni Batavorum 1593, ubi mortuus est 1609. Præcipuum ejus opus fuit *De emendatione temporum* (Parisiis 1583, ed. altera auctior Lugduni Batavorum 1598).

SCHISLERUS, instrumentor. confector Augustæ Vindelicorum.

SCHŒNER, Andreas, filius Ioannis, natus Norimbergæ 1528, mort. 1590, gnomonicæ maxime operam dedit.

SCHŒNER, Ioannes, natus 1477, Walthero moderante Norimbergæ studiis operam dedit, professor artium mathematicarum gymnasii illius urbis 1526, mortuus 1547. Opera aliquot Regiomontani edidit e libris manu scriptis, qui Waltheri fuerant.

SCHRECKENFUCHS, Erasmus Oswaldus, natus in Austria 1511, professor linguæ Hebraicæ Tubingæ et Basileæ et Friburgi Brisgaviæ, ubi mortuus est 1579. Edidit Abrahami ben Chija *Sphæram Mundi* (Basileæ 1546) et Ptolemæi *Opera* (ibidem 1551).

SCHWALMIUS, medicus Gorlicii.

SCULTETUS, Barthol. (Schultz), natus Gorlicii 1540, Homelio moderante Lipsiæ studiis operam dedit, deinde Wittembergæ. Gorlicium migravit 1570 ibique consul factus est; mortuus 1614.

SEIFFART, Matthias, Tychonis administer Pragæ fuit, deinde Kepleri. Mortuus est ante Keplerum.

SEVERINUS vid. Petrus.

SKYNENS (fortasse Skynner, i. e. Skinner), amicus Ioannis Craigi.

SNELLIUS, Rudolphus (Snel van Roijen), natus 1546, professor artium mathematicarum Lugduni Batavorum ab anno 1578, mortuus 1613.

SNELLIUS, Willebrordus, filius Rudolphi, natus 1580 vel 1581, 19 annos natus Ptolemæi *Syntaxin* docuit, patri successit 1613, mortuus 1626. Tychonem invisit fortasse 1599. Hic primus per artem trigonometriæ Terræ quantitatem metitus est.

SOMMER, Iacobus (de Somere), poeta Belga.

STADIUS, Georgius, natus in Austria 1550, professor astronomiæ et mathematicus provincialis Græcii 1582, mortuus 1593. Auctor est calendariorum.

STADIUS, Ioannes, natus prope Antverpiam 1527, professor Lovaniæ et Lutetiæ, mortuus 1579. Auctor est Ephemeridum a. 1554—1606.

STUART, William, ab Houston, amicus regis Iacobi VI, legatus missus est in Daniam, Germaniam, Hollandiam. Cf. tom. IV p. 515.

STURMIUS, Ioannes, natus 1507,

docuit Argentorati ab anno 1537, in humanitatis studiis versatus est, mortuus 1589.

STURCIUS, Christophorus (Sturtz), natus in Livonia, doctor juris Rostochii 1584, multos per annos Hauniæ versatus professor historiarum Rostochii factus est, ubi mort. est 1602.

STYGGIUS, Ioannes (Stygge), homo nobilis Danus.

SWALBIUS, Bartholomæus, fortasse Bernhardus Swalue, medicus Embdensis, qui studiis operam dedit Lugduni Batavorum et auctor fuit complurium librorum ad medicinam pertinentium.

TAUBMANN, Fridericus, vir humanitatis studiorum peritus, natus 1565, professor poeseos Wittembergæ 1595, mortuus 1613.

TENGNAGEL, Franciscus (Franz Gansneb T. von Camp), natus in Westphalia, Hvenæ versatus est ab anno 1595 et cum Tychone in Germaniam et Bohemiam profectus. Filiam ejus Elisabetham in matrimonium duxit m. Jun. a. 1601. Post mortem Tychonis Imperatori ministeria fecit. Mortuus est 1622.

THURNEISSER, Leonhardus, natus Basileæ 1530, medicus fuit et alchymiæ deditus, multum in peregrinationibus versatus est, medicus fuit electoris Brandenburgici 1571, in Italiam fugit 1584, mortuus est Coloniæ 1596. Liber ejus de nova stella nullius pretii est.

TRAPEZUNTIUS, Georgius, natus in Creta 1395, in Italia habitavit, Romæ mortuus est 1483. Ptolemæi *Syntaxin* (quæ edita est 1528 et 1551) aliosque libros Græcos vertit.

TRAUTSONIUS, Paulus Sixtus (Trautson), comes, natus circa annum 1550, aulæ mareschallus, simul cum Rumpfio minister imperatoris Rudolphi usque ad m. Oct. a. 1600, mortuus 1621.

TREUTLER, Hieronymus, natus 1566, professor eloquentiæ Marpurgi, auctor librorum ad jura pertinentium, mortuus 1607.

URSUS, Nicolaus Raimarus (Reymers Bär), natus in Ditmarsia, in comitatu Erici Langii Hvenam venit 1584, mathematicus Imperatoris Pragæ 1591. Edidit *Fundamentum astronomicum* (Argentorati 1588), in quo Tychonis systema sibi vindicavit, et *De astronomicis hypothesibus* (Pragæ 1597), libellum calumniis repletum. Mortuus est Pragæ m. Aug. a. 1600.

VALESIUS, Franciscus, natus in Castilia vetere, medicus regis Philippi II. Auctor fuit libri de nova stella (vid. tom. III p. 87 sqq.). Cf. annotat. ad tom. VI p. 185,$_{30}$.

VALLA, Georgius, medicus, vixit circa annum 1500. Procli *Hypotyposin* vertit. Cf. annotat. ad tom. VII p. 85,$_{38}$.

VARADINUS vid. Rhederus.

VELLEJUS, Andreas Severini (Anders Sörensen Vedel), præceptor Tychonis 1562—1565, a sacris regiis orator 1558—1581, deinde canonicus et historicus regius usque ad 1595, mortuus 1616.

VIETA sive Vietæus (François Viette), mathematicus insignis, nat. 1540, senator in Aremorica, regi Henrico IV a consiliis intimis Lutetiæ, mort. 1603.

VOGELINUS, Ioannes (Vögelin), natus exitu sæculi XV, in gymnasio

cathedrali Augustæ Vindelicorum docuit ab anno 1517, professor artium mathematicarum Vindobonæ 1528, mortuus ibidem 1549. Auctor fuit Geometriæ elementaris, quæ Euclidis *Elementis* nitebatur, et libelli de cometa anni 1532.

WALTHER, Bernhardus, natus Norimbergæ circa annum 1430, adjutor ac socius fuit Regiomontani ab anno 1471 et post hujus mortem (1476) observationes ejus continuavit. Mortuus est 1504.

WELSER, gens patricia Augustæ Vindelicorum. Maxime notus est Marcus Welser, natus 1558, consul 1594, senator 1598, mort. 1614. Historiæ et rerum antiquarum peritus erat, eique epistulas de maculis Solis conscriptas inscripserunt Galileus et Scheiner.

WERNER, Ioannes, natus Norimbergæ 1468, per quinque annos in Italia studiis operam dedit, sacerdos Norimbergæ 1498, a fide catholica defecit, mortuus est 1528. Cf. tom. I pp. XXXII et 319 sq. et tom. II p. 223,31 sqq. cum annotat.

WINCKLER, Nicolaus, medicus Halis Suevorum, auctor *Cometæ Pogoniæ* (vid. tom. IV p. 348 sqq.).

WINSHEMIUS, Vitus, natus Wittembergæ 1521, professor juris ibidem 1560, consiliarius regis Daniæ et decanus ædis cathedralis Hamburgi 1587, mortuus 1608. Etiam Pragæ legatus fuisse videtur.

WITTICHIUS, Paulus, Vratislaviensis, natus circa annum 1550, Wittembergæ primum cum Tychone congressus per menses complures Hvenæ versatus est 1580, rationem prosthaphæreticam excoluit inter primos (cf. tom. I p. XXXII). Mortuus est 1587.

WOLFIUS, Hieronymus, nat. 1516, mortuus 1590. Basileæ et Augustæ Vindelicorum maxime habitasse videtur.

CORRIGENDUM.

P. 210,12 pro 99 scribi debuit 98.

QUÆ OCTAVO TOMO CONTINENTUR.



TYPIS DESCRIPSERUNT NIELSEN & LYDICHE
(AXEL SIMMELKIÆR)
CHARTAM PRÆBUERUNT OFFICINÆ CHARTARIÆ
CONSOCIATÆ (DE FORENEDE PAPIRFABRIKKER)
QUÆ LUCIS OPE EXPRIMENDA ERANT
EXPRESSIT F. HENDRIKSEN
NUMERUS EXEMPLORUM VENALIUM: 225

OCTAVUS TOMUS PRELUM RELIQUIT
D. 14. M. NOVEMBRIS
ANNO
MCMXXV